






LVII
D.
32.

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LVII
D
32
NAPOLI





BREVIS ET SUCCINCTA
SYNOPSIS
RERUM MAXIME MEMORABILIUM
BELLO ET PACE GESTARUM

AB SERENISSIMIS

Lotharingiæ, Brabantiæ, & Limburgi

DUCIBUS,

AB ANNO POST CHRISTUM NATUM SEXAGESIMUM
Septimum ſupra milleſimum ducenteſimum, uſque ad Annum
milleſimum ſexcenteſimum trigeſimum tertium.


SCRIPTORE

HUBERTO LOYENS,

Moſæ-Trajectino, & in ſupremo Brabantiæ Senatu

SECRETARIO.

Cujus etiam operâ & Stylo adjunctæ ſunt omnium ferè DUCUM Pactiones inaugurales, è vernaculo in Latialem ſermonem verſæ.





BRUXELLIS,
Typis HENRICI FRIC'X, ad inſigne Typographiæ. 1672.



EMINENTISSIMO
IAC: ROSPIGLIOSIO,
S. R. ECCLESIÆ
CARDINALI,

Domino ac Patrono ſuo plurimùm ſuſpiciendo ac venerando

HUBERTUS LOYENS S.&F.

EMINENTISSIME DOMINE:

Quantoperè Reipublicæ interſit inclyta ac memorabilia Principum facta ab oblivionis vindicari interitu, quò poſteris ſana in rebus pace belloque gerendis exempla petantur, neminem eſſe ſanæ mentis exiſtimo, qui inficiari poſſit. Verùm cùm omnium diſciplinarum cognitio utilis ac jucunda ſit mortalibus; Hiſtoriæ cognitionem utiliſſimam jucundiſſimamque eſſe cenſeo. Hæc enim eſt humanarum actionum

moderatrix, magiſtra vitæ, vitæ memoria, teſtis temporum, nuntia vetuſtatis, mater civilis prudentiæ. Hinc Baſilius Imperator Leoni filio: *Per Hiſtorias*, inquit, *ire ne recuſa; illinc enim hauries & bonorum virtutes, & improborum vitia; vitæ humanæ varias mutationes, & rerum in ea converſiones; mundi inſtabilitatem, & præcipites Imperiorum caſus: & ut uno verbo complectar, malorum facinorum pœnas, & bonorum præmia, quorum illa fugies, hæc amplecteris.* Itaque nulla melior vitæ magiſtra excogitari poteſt, quàm Hiſtoria, cujus lectione animus incitatur, intellectus paſcitur, pectus ſaluberrimis præceptis imbuitur. Et herclè niſi forent Hiſtoriæ, quis Cyrum? quis Alexandrum Magnum? quis Æmilium, Fabios, Scipiones? quis Cæſarem Dictatorem, imò Cæſares omnes noſſet, niſi eos luculentiſſimi Scriptores in literas retuliſſent, ac poſteritati commendaſſent. Prætereà maximâ lectorem perfundit jucunditate, quæ ex multiplici rerum emergit affluxu,

fluxu, quùm in immenſo fortunæ theatro, novas ſubindè viciſſitudines intueri liceat: bella, conflictus, clades, ovationes, triumphos. Quamobrem cum animo agitarem multiplices varioſque fructus quos Hiſtoria profert, cœpi ſubciſivis horis & per crebra intervalla captato otio, ex variis monumentis excerpere res Illuſtriores ab Sereniſſimis Ducibus Brabantiæ domi foriſque geſtas, ex quibus, tanquam è varii coloris filo, unum aliquod aulæum contexui. Acceſſerunt multa à mea manu, ut liber veluti redivivus & inſtauratus lucem aſpiceret. Ne tamen patrocinio ac præſidio orbatus in publicum prodiret, Tuo, EMINENTISSIME DOMINE, genio conſecrare viſum eſt. Cui enim dignius, aut aptius, cui juſtius dedicari debeat, profectò non videbam. Primùm enim quantum ei lucis à Sole tuæ Purpuræ eſſet acceſſurum, quantum ponderis, quantum momenti, haud vano mentis augurio præſentiebam; quin & legeretur libentiùs, tereretur ſtudioſiùs, &

placeret impensiùs ſub tanti Nominis ac patrocinii umbra. Porrò ad ſuperiorem cauſam, cur E. T. hanc qualem qualem fœturam deſtinaverim, accedit profuſiſſimæ humanitatis tuæ grata recordatio, quâ me hominem nullâ magnoperè dote commendabilem, olim Bruxellæ illuſtri gratiâ tuâ complecti non es aſpernatus. Magnum ſanè nomen ſum in tuis tabulis, cui expungendo quicquid eſt mei, ſufficere non poſſit. Verùm cùm nec tua generoſa indoles talionem aut redhoſtimentum expoſcat: nec mea tenuitas ejuſce rei facultatem præbeat, neceſſe erit, animum referendæ gratiæ cupidum, metiri non æſtimatione muneris, ſed propensâ tribuentis voluntate, quæ in ratione officiorum utramque paginam facit. Omitto hìc commemorare Nobilitatis tuæ ſtemmata, quę à longa origine repetenda eſſent. Prætereo Avorum tuorum domi foriſque, tùm bello, tùm togâ egregia geſta, quùm unus multorum loco ſit Patruus tuus CLEMENS IX.

IX. P. M. Sanctum omnibus seculis nomen. Titum Orbis amorem ac delicias olim appellatum legimus, propter morum clementiam: talem nunc universus Christianus Orbis Clementem Patruum tuum non perfunctoriè prædicat. Quippe ille miseris his & calamitosis temporibus, veluti benignum ac salutare sidus Orbi affulsit, discordiarum nebulas inter potentissimos Hispaniarum & Galliarum Reges discussit, eorumque animos ad fœdus percutiendum, ad amicitiam reconciliandam, ad pacem ineundam summâ contentione, prudentiâ atque authoritate flexit ac persuasit. Neque tamen satis suo desiderio & propensissimæ voluntati ad decus dignitatemque Christianæ Religionis præstitisse sibi visus est, nisi quoque copiis subsidiariis, commeatu, cæteroque instrumento bellico, laboranti Candiæ, jam tres æstates hyemesque continuas à teterrimo Christiani nominis hoste Turca, arctissimè circumsessæ, & acerrimè oppugnatæ, subveniret: Christianis Principibus facem præferens,

rens, ut & ipſi rebus feſſis ſuppetias ferant, atque infeſta arma in immaniſſimum Tyrannum vertant, qui florentiſſimis Europæ Regnis exitium, aut ſervitutem, quâvis morte atrociorem, minatur. Cæterùm tametſi nôrim ſingularem modeſtiam tuam, quæ laudes ſuas tàm ægrè admittit, quàm cæteri mortales lubenter audiunt, non poſſum tamen ſine piaculo tacitè præterire illuſtres virtutes tuas, quæ uno omnium ore prædicantur, extolluntur, celebrantur, imò neſciant cui primas dent: judicio an conſilio; prudentiæ an ſapientiæ; æquitati an juſtitiæ; ſeveritati an benignitati; gravitati an comitati. Harum enim unaquæque in Te adeò eminet, ut certatim propemodùm ſeſe efferant, & altera alteram ſuperare nitatur. Adeſt Tibi judicium ſubactum ac ſalubre conſilium: Adeſt Sapientia, usûs & experientiæ filia: Adeſt conſtantiſſimus juſtitiæ cultus, cujus acerbitatem æquitate & clementiâ quâdam condire ſoles: Faciles patent

ad

ad Te aditus, quoſcumque benignè excipis, & ſuavi alloquio demulces: ita tamen, ut nihil ſeveritati comitas, nihil gravitati benignitas, nihil majeſtati manſuetudo detrahat, ſed altera alterius ſplendore fiat illuſtrior. Ob has eximias dotes ALEXANDER VII. P. M. Belgicæ Burgundiæque Legationem Tibi decrevit, in quo non graviſſimum de Te ſolùm judicium, ſed Virtutis etiam tuæ præſtantiam facilè declaravit. Hoc munus tàm prudenter, tàm præclarè obiiſti, dignitatemque ac decus Sedis Apoſtolicæ ſuſtinuiſti, ut in ſacrum Purpuratorum Patrum ordinem coöptari merueris, non tam cognatione, quâ junctus es Summo Pontifici, quàm virtute ac meritis nixus. Crevit tua dignitas, ſed quod in tanto faſtigio mirum eſt, nihil in animo mutavit purpuræ ſplendor. Hoc nimirùm Sapientiâ conſecutus es, ut tui uſque ſimilis, amari, quàm coli malis, cùm nemo tamen ſatis amare Te poſſit, niſi colat. Talem Te fama loqui-

tur, & Bruxella experta eſt: quicunque enim fortunæ bonis exuti; quicunque parentibus orbati; quicunque calamitate oppreſſi erant, certum ſibi & obvium in tuæ inexhauſtæ liberalitatis præſidio conſtitutum eſſe refugium reapſe intelligebant. An non omnis ordinis homines, vel infeſtâ fortunâ, vel temporis injuriâ, gravi ære alieno involutos, & ob id comprehenſos & in cuſtodiam datos, eorum nomina tuâ largitate diſſolviſti? ac ita expeditos libertate donaſti? nè ſqualore & mœrore miſerè extabeſcerent. Nunc quod hâc luce fruantur, quod vitæ munera exerceant, hoc totum tuæ pietatis beneficio acceptum referunt; votaque pro tua incolumitate læti exolvunt. Poſſem longiùs in laudes tuas ire, ſed vetat agnata Tibi modeſtia, quæ virtutis mercedem, ſolidamque gloriam in conſcientia rectè factorum reponit. Patere igitur hoc exile donarium aræ tuæ benignitatis, ingenuâ devotione appendi, Perexiguum fateor, ſed tamen

men

men perenne mei ergà Te cultûs & obſervantiæ monumentum: quod quùm palàm exſtare cupio; illud oro atque obſecro, ut tantorum Principum & Ducum gloriam, præſidio tuo tuearis. Gaudebunt Illuſtriſſimi quondam, nunc etiam beatiſſimi Heröes, Cæli Incolæ, res ſuas geſtas, præſcriptione tui Nominis illuſtrari, atque ſub eo prodire in publicum. Ego verò gratulabor mihi, ſi quam operam reviviſcenti eorum memoriæ conſecravi, E. T. gratam acceptamque habuerit. Vale, ſeròque terris interſis perpetuò felix. Bruxellæ

APPROBATIO
Cenſoris ordinarii.

HOc Compendium geſtorum memorabilium DUCUM Brabantiæ, nihil fidei Catholicæ, aut bonis moribus adverſum habet: Sed è contra multa præclara & imitatione digna continet, rei veritatem pandit, formam regiminis ac legum Brabantiæ ſummâ prudentiâ & judicio refert: ſtylo & elegantiâ nullis antiquis cedit. Ita pro bono publico typis utiliter mandandum cenſeo. Datum Bruxellæ 3. die Menſis Maii 1669.

MATTHÆUS M: DDEGAELS *Decanus Inſignis collegiatæ D.D. Michaëlis & Gudilæ Archi-presbyter Diſtrictûs Bruxellenſis, Librorum Cenſor.*

AUCTOR
BENEVOLO LECTORI.


O ecce Tibi, *BENIGNE LECTOR*, *Heroïca ac maximè memorabilia Sereniſſimorum DVCVM Brabantiæ facinora, quæ veluti fulgentes gemmas, è vaſto rerum campo decerptas, intra non magni voluminis anguſtias coëgi.*

Qualis Apis, violas quæ circum ludit Hymetti
Ambroſiumque ſagax non uno è ceſpite florem
Seligit, & dulcis prægustans roſcida veris
Munera, cœleſtem depaſcitur avia rorem.

Sic ego, per præſtantiſſimorum Hiſtoricorum hortos, & laudatæ authoritatis monumenta volitando, undique vernantes flores delibavi, quos in tuum alvearium deferre poſſis, ac in ſuccum convertere. Quippè ex His leges fructus, qui ad Virtutem ſtimulos addent. Hîc diſces quomodo civium tumultus & ſeditiones comprimantur: quàm multùm olim conſtiterit improvida inconſulta Subjectorum rebellio, quæ illos in exitium ſæpè egit. Hîc varii eventus, & perquàm miri, adverſi, proſperi, triſtes, læti, felices, tragici, ſub unum dantur aſpectum. Hîc cernere eſt, quàm docto dolo & ſtratagemate ad fallendum hoſtem, ſit utendum. Series rerum plena eſt amœnitatis & varietatis; itá ut quamcumque inſpexeris partem, vel ames varietatis jucunditatem, vel admireris jucunditatis varietatem. Præterea hîc omnis ætas, omnis Status documentorum affatìm hauriet, quæ combibat. Eam ob cauſam, multis gratum me facturum credidi, ſi res illuſtriores DVCVM Brabantiæ in Epitomen congeſtas, in lucem educerem. Placuit autem ordiri telam à tempore, quo Ducatus Limburgenſis æternâ acceſſione Brabantiæ fuit conglutinatus: idcòque auſpicari à IOANNE, ejus nominis primo, qui memoratum Ducatum Limburgenſem juſto titulo quæſitum, exindè fuſis ac profligatis hoſtilibus copiis, illius poſſeſſionem ſibi aſſeruit. Cæterùm non ſum neſcius quo ſeculo vivam. Multi ſunt nigri, atrâ mente, atrâ lin-

linguâ: nam ut verissimé à Tertulliano dictum est: Tot sunt venena, quot ingenia. Erunt, qui livore, & invidiâ proritati oggerent Cramben me recoctam Lectorum palato obtrudere. Non diffiteor Historicos veteres hoc argumentum fusé occupasse. Quid tùm? num per eos ità exhaustum est. Ecquid prohibet alium, atque alium in tam uberi materia alio, atque alio modo versari. Multa hîc comperies, LECTOR BENIGNE, *ab aliis intacta; nam ubi illi desierunt, ego continuo filo Historiæ seriem pertexui ad excessum usque Serenissimæ Isabellæ Eugeniæ Belgarum Principis. Adjeci insuper tabulas, quas vocant Cortenbergenses, conditas á Ioanne, ejus nominis II. quæ pandunt incunabula Supremi Senatûs Brabantiæ. Vti & Pactiones inaugurales omnium feré* DVCVM, *quæ complectuntur prærogativas genti Brabantæ ob egregiam, ac strenuam in re bellica navatam operam, remunerationis gratiâ, prolixé donatas, quas non immutato apice latinè interpretatus sum. Si fortasse aliqua occurrant, quæ alibi prælibasti, cogita me in eandem segetem falcem mittere, easdemq; spicas adore gravidas excutere: Sed non ideò desinunt esse mea. Facio quod ante me Clariss: Iustus Lipsius à se factum memorat. Lapides atque ligna ab aliis accepi, tamen extructio mea est: Architectus ego sum, licet materiam variè undique conduxi. Nec aranearum textus ideò melior quod ex se fila gignunt; nec verò vilior, quia ex alienis libamus ut apes.* Quicquid scimus, *inquit Plato,* vel per nos ipsos invenimus, vel ab aliis didicimus: *neque interesse quicquam videtur, historiam per te condas, an ex aliorum monumentis contexas. Sunt sanè ut ingeniorum, sic ætatum quoque & seculorum quædam fatales periodi. Quæ enim nunc vetera sunt, olim nova fuerunt; & quæ nunc tanquam recentia contemnuntur, ea posteritas vetustatis nomine suspiciet & venerabitur. Non deerunt, qui in circulis, atque etiam (si superis placet) in conviviis, in conciliabulis & privatis colloquiis hæc scripta maledico dente arrodent, carpent, vellicabunt, & sine ullo populi suffragio tristi supercilio sententiam ferent: Sed hos malè feriatorum morsus nauci facio, more Leonis, qui stolidè oblatrantem ignavum canem, nullo dignatur dente, nec jubas quidem concutit. Nam ut rectè inquit Plautus,* Bacchis bacchantibus siquis velit adversarier, ex insanis insaniores faciet. *Prodibunt alii, qui in stylum arietabunt, dicentq; horum Heroüm illustria facta non tenui dictionis filo, sed vel*

Demosthenis cothurnis, vel Ciceronis nervis & venustatibus fuisse celebranda. Verùm cùm hæc mihi omnia & artis & spiritûs subsidia deêsse non ignorem, D. Pii rescripto me tuebor: Ut cùm ex liberalitate meâ conveniat, non nisi in quantum facere potui, damnandum me dicam. Sed quid hoc ego crimen persequor? ocymum, apium, & cuminum pedum calcatu lætiora surgunt; convitiis etiam & probris in satione lacessita, uberiùs proveniunt. Si in hoc scripto Auctores non laudo, hoc in me acriùs nemo censeat quàm in Phrygionibus, qui aulæis suis eorum nomina non intexunt, à quibus fila sumpsêre & exempla. Excipe igitur Tu quisquis es grato animo hasce subsecivarum horarum reliquias, & velut æqui boniq́ arbiter, justam (Te amabo) sententiam feras. Tibi si placuerim, satis mihi fecerim: Sin secùs, me impositæ in re tam præclara operæ nunquam pœnitebit.

Vale, Tuque Invidia longùm.

SUMMA PRIVILEGII.

CAROLUS Dei Gratiâ Hispaniarum & Indiarum Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, &c. Diplomate suo sanxit, nè quis Librum, cui titulus est: *Brevis & succincta Synopsis rerum maximè memorabilium bello & pace gestarum ab Serenissimis Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgi DUCIBUS, &c. Scriptore HUBERTO LOYENS, Mosæ-Trajectino & in Supremo Brabantiæ Senatu Secretario,* citra Auctoris consensum, proximo novennio frustatim, aut omninò typis imprimat, aut alibi impressam, in has inferioris Germaniæ Ditiones importet, venalemvè habeat. Qui secùs faxit, ejus non solùm libri in commissum cadent, sed insuper mulctam triginta aureorum luet: Et nè quis excusationem obtendat specie ignorantiæ, statuit præterea, ut Apographa Privilegii, exemplis singulis excusis inserta, pro Archetypis habeantur. Uti latiùs patet in Literis datis Bruxellæ.

Signat.

GAILLARD.

IN

IN EPITOMEN
RERUM MAXIME MEMORABILIUM GESTARUM A SERENISSIMIS BRABANTIÆ DUCIBUS
AUTHORE
HUBERTO LOYENS,
IN SUPREMA BRABANTIÆ CURIA SECRETARIO.

Quisquis es Historiæ generoso incensus amore,
Magnaque facta DUCUM *noscere quisquis amas:*
Desine per Teucrûm fastos, Danaûmque vagari,
Hûc mentem, hûc oculos incipe ferre tuos.
Desine Romanos percurrere, desine Persas.
Quod cupidâ aure bibas, hoc tibi præbet opus.
Quidquid Teucrorum fasti, Danaûmque tulêre,
Persiaque aut quidquid nobile Roma tulit:
Visceribus dedit ipsa suis Brabantica Tellus.
Quosque diu peperit, jam stupet ipsa Duces.
Illius in Campis, LECTOR, *Ducibusque morare,*
Multa dabunt campi fortia, multa Viri.
Illic Æsonidas non paucos esse videbis,
Parta trophæa solo, parta trophæa sale.
Invenies illic (: quos tu mirere :) Catones,
Et multos illic Hectoras esse scies.
Invenies, patriam, qui defendêre Camillos,
Et Codros, patriæ quos nece traxit amor;
Aspicies (mihi crede) Numas, hîc pacis amantes
Atque hîc Æacides unus, & alter erit
Invenies illîc, quos admireris, Vlysses,
Invenies magnis Nestora consiliis.
Hîc & Alexandros, Mecœnatesque videbis
Militibus carus, Vatibus ille fuit.
Quid memorem pompas, convivia, prœlia, paces,
Cuncta hîc sunt numeris prodigiosa suis
I nunc, qui laudas externa, domestica spernis
Exempla, ex illo, Zoile, nomen habes:
Si monumenta DUCUM *nostrorum discere quæris,*
Sæpè legas, animum, quod satiabit Opus.

D. C. Q. ex filiali affectu HENRICUS LOYENS.

CLARISSIMO VIRO

D. HUBERTO LOYENS, I.C.

CATHOLICÆ SUÆ MAJESTATI

IN SUPREMO

BRABANTIÆ CONCILIO

A SECRETIS,

Synopsim suam rerum memorabilium à Ducibus Brabantiæ, bello & pace gestarum in publicum edenti.


On ego virtutum, magnos Huberte Triumphos.
  Non decus eximium sollicitare volo.
Hoc alius faciat, major cui copia fandi,
  Copia cui dandi carmina, major inest.
Sed juvat, has meritò scriptis ornare Camænas:
  Ornatum cupiunt scripta referre Loyens.
Hic Hubertus adest: omni venerabilis ævo.
  Arte notas docti qui Ciceronis habet.
Scripta Liber retinet: primis quæ nuper ab annis
  Quæque Brabantinis sunt patefacta viris:
Hæc sunt: hæc memorant insignia facta virorum
  Hæc sunt: quæ repetunt prælia gesta Ducum.
Quis Bruxella tuam Dominus conscenderit aulam
  Quis Dux, quis tulerit læta trophæa Comes.
Quis fuerit sævis Ductor generosus in armis
  Quis patriæ Custos, spesque salusque, Domûs.
I, liber, i felix, populo te trade petenti,
  I; tua, nam verum nil nisi, scripta docent,
Notus ab occasu solis, liber, ibis ad ortum:
  Et vix audito nomine, notus eris.
Sic tua, per varias ibunt præconia terras,
  Sic venient Domino præmia justa suo,
Hic est: sic scriptis Huberti gloria fulget,
  Hic viret immensum, tempus in omne, Decus.

Grato animo applaudebat.

RICHARDUS MERCX
Pastor in Etterbeke.

CLARISSIMO VIRO

D. HUBERTO LOYENS,

SUPREMI BRABANTIÆ CONCILII SECRETARIO,

THEOD. GRASWINKEL S. P. D.

OPUS tuum de rebus memorabilibus Illustriss: DUCUM BRABANTIÆ bonâ fruge offertissimum, avido animo lectitavi. Exposcis ut Censoris Provinciam suscipiam: næ tu suaviter mecum ludis? ego me ultra quàm pennæ meæ ferre possunt, eveham? quàm enim exiles ingenii mei opes sint, sentio, altior aliqua indoles ista curet. Vnum tamen audeo citra palpum dicere, me non dubitare, quin Senatus criticus omnis, ex eo genere Scriptorum esse censeat, quæ memoriam sibi posteritatis vindicent. Mihi sanè ea studia probantur, quæ sua varietate legendi aviditatem magis magisque proritant, & quosdam in animo stimulos, dulcesque aculeos relinquunt. Nihil certè neque è re publica literaria, neque ex existimatione tua præstantius facere potuisti, quàm illustria tantorum Ducum *facinora Libitinæ eripere, & styli tui vivacitate æternitati consecrare, ex quo solida gloria in te, in omnes summa utilitas redundatura sit, neque aliter dicent, quorum judiciis livor non obstat. Summoperè autem placet stylus, tersus, molliter fluens, &, ut ait Petronius, naturali pulchritudine exsurgens, adeò ut me totum delibutum reddiderit, detinueritque. Macte eo animo, nihil interim sollicitus, quid Momus & quisquiliæ hominum de tuo opere sentiant, quippe nihil tam probè dici, aut scribi potest, quod non vellicare audeat proterva dicacitas, illa individua virtutis comes. Hæc Spartanâ Nobilitate concoquenda, & generoso contemptu ulciscenda: cum maximè Sol splendet, urit. Si quispiam immurmuret Divæum, Haræum, & alios in hoc pistrino desudaße, quid vetat plures eandem incudem tundere; quæ sparsim disjecta in iis legeram, ea hîc in uno conspectu legere, majoris fructus, & solidioris voluptatis esse censeo. Præterea nullus illorum Historiam prosequutus est ad excessum usque Serenissimæ Isabellæ Eugeniæ Hispan. Infantis. Nemo hactenus (quod sciam) Ducum inaugurationes impollutâ traditione posteris propinavit cum tanta Romani sermonis castitate. Nemo eorum virtutes publicas & privatas, in epitomen contractas, feliciore penicillo expressit: Vndè mirari subiit, in tanta ætate, rude digna, tantosque inter fori*

*** *strepi-*

strepitus, etiam Musis vacare animum itâ occupatum, itâ districtum. Tibi itaque gratulor, quòd tam sedulò rem publicam litterariam juvare satagas: Quare operi tuo da vela &

——— Seri videant præclara nepotes
Ingenii monumenta tui.

ne tibi, & nobis invideas; tibi maximam laudem, nobis voluptatem. Vale, & Graswinkelium tibi addictissimum, ut soles, amare perge. Lugduni Batavorum quinto Idus Maii 1667.

RESPONSUM AUCTORIS.

HOc unum mihi in votis erat, Clarissime & Doctissime GRASWINKELI, ut Opus meum ad critices tuæ libram exhiberes, castigares, & censeres: & si quicquam ipse damnasses, damnare, si approbasses, probare denique totum accuratissimæ tuæ limæ effingendum, expoliendumque committere: si quidem in nostris (ut nosti) plerumque cæcutire nos facit splendida illa philautia, nec videre manticam quæ in tergo est. Sed votum meum frustrata est epistola tua, quam magnâ quidem cum voluptate, sed tamen (dicam candidè) non sine stomacho legi, neque verò injuriâ, quùm tot laudum præconiis, me oneras veriùs, quàm ornas; nisi fortè ex immoderato, cœcoque mei amore profectum esse istud qualecumque studium suspicari lubeat. Utinam talis essem, qualem me prædicas! Verùm non sum adeo Suffenus, ut istas in me laudes agnoscam; nam cùm penitiùs me excutio, & tenuitatem meam ad Critolai libram appendo, probè intelligo quàm sim impar tantis laudibus: tamen errorem hunc, & amicam hallucinationem fero: quippè si Nævianus Hector præcipua in laude posuit à viro laudato collaudari, quidni ego aliquam laurum me assequutum putem, cui ab eruditissimo viro præconium tam luculentum, & albus calculus obtigit. Tuo igitur hortatu fretus, Præstantissime GRASWINKELI, fœtum meum luci propinabo. Si criticis quibusdam non perindè probabitur, haud gravatè feram, quis enim omnium morosis judiciis satisfacere se posse credat? Sat mihi, uni tibi Varroni placuisse. Desino, tantum hoc à te impetratum velim, ut non minùs in me amando perseveres, quàm ego in te observando omnem diligentiam adhibebo. Vale sæculi nostri magnum decus. Bruxellæ X. Kalend. Iunii M. IↃC. LXVII.

HUBER-

HUBERTUS LOYENS,

ANAGRAMMA,

LEVIS NUBES HORTI.

SI fas vatibus omnia innovando,
HUBERTE, in varias referre formas,
Num mentes hominum diſertiorum
Excultum malè nominabis *Hortum*?
Ubi florigeri frutex odoris,
Ubi frondiſero colore ramus,
Ubi fructiferi ſaporis arbor,
In nares, oculos, & in palatum
Ubertim varium ferunt decorem.
Sed, ſi mens hominis videtur *Hortus*,
Et crebris ſtudiis coluntur ambo,
Quid tandem cupido vovebis ore,
Quàm ſi nec nimio gravatus imbre,
Nec nullo tamen aridus liquore
Noſter *nube levi* irrigetur *hortus*?
Tu ſic, tu facies, faciſque pridem,
Ut qui *de Ducibus* tuos, HUBERTE,
Annales relegent *Brabanticorum*,
Si clarum, nitidum, gravemque ſcripti
Ordinem videant, ſtylum, laborem,
Sint, me judice, candidum daturi
Calculum, & placidis ſonent Camœnis:
Ecce, quàm viridantis inſtar horti,
præclari benè culta mens HUBERTI,
Quam necdum ſterilem facit ſenectus
Quintoque & decimo gravata luſtro,
Munerum ratione publicorum
Plus quater decimâ decora meſſe,
Granenſi * minimè arefacta *Buſto*,
Brabanto * minimè gravis *Senatu*,
Ecce, quàm facilem *levemque nubem*
Et nunc præſtò habeat, rigante cœlo,
(Nam Cælo venit omne, quo valemus;)

* *Scripſit* Buſtum Aquiſgranenſe
* *&* de Cancellariâ Brabantiæ.

Dum

Dum sic gesta *Ducum* refert *Brabantûm*
Et prisca & nova nobilissimorum,
Pulchroque, & vario colore, odore,
Et suavi sapientibus sapore
Delectans animos, movens, docensque.
Siquidem oportet.

Ignosces vel meo amori, vel tuo, Clarissime HUBERTE, *si neque dignitati Operis tui, neque desiderio meo satis respondeat Carmen, quod, non ut tibi placeat, offero, sed quia placiturum dixisti, quidquid à me profectum foret. Hendecasyllaba hæc dùm respicio, in mentem venit recordatio duorum ejusdem metri versuum (si bené memini) ex Carmine Catulli ad Ciceronem:*

Tanto pessimus omnium Poëta,
Quanto tu optimus omnium Patronus.

Ita penè mihi contigisse dicam, dùm elegantiam styli tui meo versificandi stylo comparavero. Certè, si alludere licet ad ea, quæ in adjunctis versibus lusimus, nihil mihi hîc defuit, nisi, quæ tibi affluit, levis nubes horti *Musarum. Nam & tenue istud Aganippidos undæ, quod olim in me fuit, longâ desuetudine penè exaruit, & studiorum occupationes graviorum*, levi *adeò, atque obiter prætervolante* nube; *non satis in Poëticam revirescere sinunt, minime tametsi isti obstaculo refragantem. Quod amici est, ausus sum, versiculos feci, & dicavi: tu, quod itidem amici est, versiculos, si videtur, rejice dicantem ex animo suscipe, qui tibi perpetim esse desidero.*

Addictissimus in Christo Servus
Fr. MARTINUS HARNEY. S. T. D.

Brux. M.D.C.LXX. Idibus Julii.

BREVIS ET SUCCINCTA SYNOPSIS RERUM MAXIME MEMORABILIUM BELLO ET PACE GESTARUM AB SERENISSIMIS Lotharingiæ, Brabantiæ, & Limburgi DUCIBUS,

AB ANNO POST CHRISTUM NATUM SEXAGEſimo ſeptimo ſupra milleſimum ducenteſimum, uſque ad Annum milleſimum ſexcenteſimum trigeſimum tertium.

JOANNES I.

Dux Lotharingiæ, Brabantiæ, & Limburgi.

PATREM habuit Henricum ejus nominis tertium, Lotharingiæ & Brabantiæ Ducem; Matrem Aleidem, Hugonis Burgundiæ Ducis filiam, fœminam lectiſſimam, & fœcundam plurium liberorum genitricem, ex qua virilis ſtirpis tres ſuſceperat proles, nempè Henricum, Joannem, & Gothfredum; & filiam unicam nomine Mariam, quam Philippus III. ejus nominis Francorum Rex, habuit tori throniqúe conſortem. Hos liberos nobilis ac prudentiſſima mater, poſt Hen- *Ioannis Ducis parentes.*

 rici

Aleidis Principatum administrat. rici fatum, educabat in ſpem potentiæ; ſed quia per ætatem nondum firmi oneri erant, Aleidis ab exceſſu Henrici, Principatum circiter octennio adminiſtravit, ſcilicet ab anno Chriſti 1260. uſque ad annum 1268. ac licet Otho Gelriæ Comes, ut & ejus frater, ac denique Henricus Thuringiæ Lantgravius, tutelam puerorum, ac Ducatûs adminiſtrationem ſinguli affectarent; ita cum eis egit prudentiſſima Aleidis, ut cœpta omitterent. Quamvis autem naſcendi ſors, Henricum natu maximum ad Imperium deſtinabat, nihilominùs, ob mentis imbecillitatem, ſceptro gerendo inhabilis cenſebatur. Quare mater, conſilio Waltheri Bertholdi, Mechliniæ Reguli, omni contentione connitebatur, Joannem, ſecundò genitum, excelſæ indolis, ac generoſi animi, ad
1267. Principatum evehere. Ea de cauſa Arnoldus Baro Weſemaliæ, civeſque Lovanienſes irâ frementes, expoſtulabant, injuriâ Henricum excludi à Gubernaculis, eique, ſi deſtitutus eſſet animi dotibus ad imperandum requiſitis, tutores Gubernatoreſque dandos, qui vicem ejus implerent. Hanc ſententiam tàm inverecundè & præfractè tuebantur, ut advenienti cum matre Joanni ut Principatum de more iniret, aditum ad urbem præcluderent. Deindè iræ

Lovanienſes agrum Mechlinienſem incurſant diripiuntq́;. acerbitatiſque ſuæ virus adverſus Bertholdum evomuerunt, agrum Mechlinienſem ferro ac igne vaſtarunt. Quam injuriam ut ulciſceretur Bertholdus, collectis impigrè copiis, in adverſum occurrit. Lovanienſes ſubito pavore oppreſſi, audaciâ in trepidationem verſâ, effunduntur in fugam, multis cùm captis, tùm trucidatis, quorum ſanguine necem ſuorum expiavit. Hâc repentinâ

Bertholdus Mechlinienſium regulus in eos ducit, fundit fugatq́;. clade perculſi Lovanienſes, Joannem ejuſque matrem Aleidem ſupplices appellant, & noxarum gratiam implorant, quam ab beningiſſimis Principibus facilè impetrant. Hanc culpæ condonationem Divæus refert his verbis: „Menſe Maio in Cortebergenſi „Cœnobio habitis comitiis, Adelheidis omnem rebellionem ſibi, „filio, fautoribuſque ejus irrogatam, Lovanienſibus remiſit, pro„mittentibus Joannem, ſecundum filium ejus ſe in Ducem rece„pturos. Quo anno illud, non æquè liquet: ſimile tamen verò, non priùs, quàm ſcirent Henricum Cameraci ejuraſſe Principatum, mundoque repudium renunciaſſe, præſente Richardo Cornuviæ Comite, qui Imperatoris titulo eo tempore initiatus erat; quam ceſſionem Miræus aſcribit anno 1267. „Porrò Henricus Divionem „in Burgurdiam ſecedens, & in Eccleſiæ ſortem adſcriptus, ſe ſacræ „Canonicorum Regularium familiæ addixit, ſolemnique more „Religioſi vota nuncupavit Cal. Octob. M.CC.LXIX.

Seda-

Sedato civili motu, Joannes mense Junio anno 1268. Lovanium ingressus, magna omnium Ordinum celebritate, totius regionis Imperium capessivit, pace Cortebergensi, & omnibus urbis Lovaniensis Privilegiis jurejurando assertis. 1268.

Exinde Margaretam filiam Guidonis Comitis Flandriæ conjugem sibi poposcit; eæque nuptiæ, incredibili apparatu ac festivitate celebratæ, cum annus à Christo nato flueret millesimus, ducentesimus, septuagesimus tertius; ex qua genuit Joannem successorem suum, Gotfredum qui infans obiit, Margaretam uxorem Henrici VII. Imperatoris, & Mariam Amadeo Comiti Sabaudiæ nuptam. *Nuptiæ Joannis Ducis,* 1273.

Meminimus superius Philippum cognomento Audacem Francorum Regem, Mariam Joannis Ducis Sororem, conjugem sibi adjunxisse. At juvat fortunæ lusum hic interserere. Erat Philippo regii cubiculi præfectus Petrus Brossius, vili ac plebeia origine, Ludovici Sancti primùm Chirurgus. Is summum Imperium in Philippi animum assecutus, duobus intendebat potissimum, primùm, ut avaritiam per omne nefas expleret, tum ne quis alter in Regis gratiam irreperet. Maria, aut æmuli forsan impatiens, aut miserta regni ministrorum; vel indignans in vilissimo capite ali tot crimina, palam obtrectabat potentiæ Brossii, ejusque scelera Regi intrepidè deferebat. Ille igitur de salute sua sollicitus, in Reginæ perniciem totus incumbit, gnarusque nihil novercæ privignis odiosius, eam intendit machinam ad patrandum animo conceptum nefas. Erant Regi ex Isabella priore conjuge liberi. Spargit Brossius Reginam illis regnum invidere, optareque ex se partos ad id dignitatis promoveri: atque exequendo facinore [illegible], Ludovico regiæ prolis [illegible], propinat toxicum. Statim improvisa mors, punctis lividis maculata cutis, aliaque indicia [illegible] venenum. Hoc perpetrato flagitio, pravis artibus animum Regis sic implicuit, ut opinio veneficii in Reginam unam [illegible]. In hac anxietate Rex [illegible] rem quærere instituit. Erat Nivellæ in Gallo-Brabantia Virgo vestalis, ex Beguinarum professione, quæ profitebatur se occulta expromere. Ad hanc consulendam Philippus Rex, Petrum Bajocensem Antistitem, Uxoris Petri Brossii consobrinum, & Stephanum Divi Dionysii Abbatem, legat. Hi cum Nivellam pervenissent, Petrus Bajocensis simulans sibi superesse aliquid divini obsequii absolvendum, relicto domi Abbate, fatidicam adit, cognoscitque ex illa perniciæ nomen, & simul obtestatur, ne id collegæ suo retegat. 1276.

Scelestum facinus Petri Brossii.

Maria Regina Franciæ in suspicionem criminis vocata.

Quæ paulo post a Stephano rogata, respondit, quæ de [illegible] noveret B[illegible], [illegible], si velit, [illegible]. Hoc [illegible] prævenitus a Petro Stephano, [illegible], ro[illegible] men [illegible], [illegible] Arnulfo [illegible] ad Regem [illegible]. [illegible] [illegible] Virginem [illegible], [illegible] Præsule, quærit, quod [illegible] Virgine de [illegible] [illegible], [illegible] dente, si revera Virginem [illegible], [illegible] [illegible] posse; Ergo, [illegible] Rex, non ut Pro[illegible] [illegible] fessionibus, [illegible] [illegible], sed [illegible] suum crimen [illegible]. [illegible] [illegible] Pontifice, atque Arnulpho [illegible] [illegible] vatem [illegible], qui [illegible], Phi[illegible], Reginam [illegible] [illegible]: [illegible] esse, qui [illegible], [illegible] oculos Philippi [illegible]. In hoc procella, Maria [illegible] [illegible] in [illegible] [illegible], atque in [illegible] custodiam [illegible], [illegible] [illegible] ad fratrem Joannem [illegible], [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] [illegible], anno a Christo nato [illegible]. [illegible] [illegible] & [illegible], concitatissimis equis Parisios advolat; [illegible] [illegible] [illegible], & [illegible] [illegible] Philippo [illegible] [illegible], [illegible] Castellæ Rege, Blanca [illegible] [illegible], [illegible] ad [illegible] [illegible], [illegible], nisi [illegible] [illegible]. Alphonsus per [illegible] Brossi [illegible] [illegible] Regiam [illegible] [illegible], [illegible] Atrebati Comitem, [illegible] [illegible], [illegible], [illegible], [illegible] sunt in [illegible], [illegible] Philippum Regem, [illegible] ad [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] Philippo, [illegible] Castellæ Rege [illegible] [illegible] [illegible], [illegible], [illegible]. Unde Parlamento [illegible] dicio [illegible], [illegible] & [illegible] [illegible] [illegible] Burgundiæ, Brabantiæ & [illegible] [illegible], [illegible].

[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Walramus III [illegible] Limburgensis, [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Comiti, [illegible] [illegible] [illegible] Rainaldum Comitem, & Adolphum Montensium Comitem de Ducatu Limburgensi [illegible] [illegible]: [illegible] cum Adol-
phus

Brossius traditur.

Suspensus strangulatur.

1280.

Controversia de Ducatu Limburgensi

[illegible] efferens, ſe Duci cognatione [illegible] diſ-
[illegible] ad ſe devolutum omne jus [illegible]. Gel[illegible]us
[illegible], aut [illegible] jure [illegible]i
[illegible] Itaque [illegible] di-
[illegible] ad bellum [illegible] videbatur. [illegible] Adol-
phus [illegible] Gelri potentiam, Joanni Lotharingiæ & Brabantiæ Duci Limburgum cum omnibus ſuis juribus [illegible] anno *Limburgum Duci Joanni venditum.*
1282. Hinc [illegible] Gelros bellum ſibi illaturum [illegible],
qui [illegible], quod Ermengardis [illegible]-
[illegible] ſine liberis deceſſiſſet, [illegible] cum Henrico [illegible]-
burgenſi, Marchione Arlunenſi, Comite Juliacenſi, [illegible] *Rainaldus Comes Gelriæ fœdera nectit.*
[illegible], [illegible], [illegible], ac [illegible]-
[illegible], [illegible] & [illegible]. Hi om-
[illegible] Reinaldo Gelriæ Comiti, [illegible] quoſ-
cumque [illegible] & [illegible] Brabantiæ Du-
[illegible], ac [illegible] -
[illegible]. Præter hos, Sifri-
dus, [illegible] Archiepiſcopus, [illegible] & [illegible]s,
[illegible]. Nec *Joannes Dux instruit exercitum.*
[illegible] Dux Brabantiæ, [illegible] Brabantia [illegible] robur
[illegible], & [illegible] Falkenburgenſi
c[illegible]. Mox [illegible]
[illegible], [illegible], nec pro-
[illegible]. Reinaldi & fœderatorum
[illegible] exercitus. At Joanni [illegible]
[illegible] Philippus [illegible] III. [illegible] Rex, [illegible]
[illegible] anno 1285. Hic enim, pro-
[illegible] ca-
[illegible] Ducem, [illegible] Dominum [illegible], [illegible] inducens,
[illegible]. [illegible] Dux [illegible], tan-
dem [illegible] bella [illegible]. R[illegible] Du-
ce, [illegible]. Gelri [illegible], quæ 1286.
Brabantiæ [illegible] ter- *Terram Bommelianam subigit.*
ram Bommelianam, [illegible], clemen-
tia [illegible] præſto [illegible]
tem, [illegible] Gelro. R[illegible], [illegible]
[illegible] a Brabanto his [illegible] cum [illegible] *Gelrum ad singularem pugnam provocat.*
[illegible] pugnatum, ſ[illegible] eſſet, [illegible] con-
[illegible] rem [illegible], vel in
[illegible], vel [illegible]

 can-

cantatam fabulam; Gelrumque, incensis aliquot Batavix vicis, Neomagum concessisse, verùm [illegible] animum, quâ ratione amissæ Bommeliæ jacturam resarciret. Dum in Boscoducensi hæret Brabantus, Gelrus & Coloniensis Trajectum Mosæ expugnandi spem conceperant; at illa consilia vigilantia & celeritate Ducis oppressa; Etenim simul ac illud moliri eos intellexit, [illegible] præ-dis agro Bommeliano, in Brabantiam reversus, [illegible] rium delectu novo comparato exercitu, Trajectum properans, inceptum hoc irritum reddidit. Frementes itaque, Wittemium arcem adoriuntur, sed & inde repulsi, arcem Litsiæ oppugnare constituunt, verùm ea quoque spe per Ducis [illegible] exclusis, variè dispersi sunt. Coloniensis Wassenbergam, [illegible] Gelrus, Lutzenburgensis Limburgum, Guido Flandriæ Comes, qui illorum [illegible] accesserat, Namurcum se recepit. [illegible], Brabantus jam [illegible] victricia arma circumferens, cum Reinescale arcem [illegible], Limburgi suburbia, & Mul[illegible] arcem Gelricæ ditionis, cremavit.

1287. *Archiepiscopus Coloniensis Comitatum Montensem ferro & igne vastat.*

Sequenti anno, qui superiorem excepit, Archiepiscopus Coloniensis [illegible] in Montensem Comitatum [illegible], eumque [illegible] mirum miserandâ, vastavit, incendit, atque [illegible]. Brabantus [illegible] Principi [illegible] haud procul Aretrâ castra locavit. Id ubi [illegible] Coloniensis, castra Brabanti prætergressus, Lingenam [illegible], spe haud dubiâ reditum Brabanti ad suos præcludendi. [illegible] tis, hinc Lutzenburgensis [illegible] Gelrum, [illegible] semque arcessit, [illegible] convenerunt, eâ indagine cinctum Brabantum, [illegible] jactura elabi possit. Brabantus [illegible] Coloniensis [illegible] sociorum copiis, [illegible] prælium expedit, ac hosti dimicandi [illegible]. Coloniensis contra cùm [illegible] hostem mediâ [illegible] sperarct, nequicquam belli [illegible] dam ratus, [illegible] vallo continuit. Brabantus, [illegible] cibariis ad demensum militi diviso, ubi [illegible] pugnam [illegible] posse videt, castra oppugnare [illegible]. Quod [illegible] Coloniensis, proximi [illegible], castra movet. Brabantus carpens hostis vestigia, [illegible] fuit, conturbat ordines, [illegible], & in palantes magnâ clade grassatur. Eoque [illegible] exercitus nomen & gloria,

ut

ut [illegible] memorabiles clade, bellicosissimæ [illegible], nullo [illegible], nullâ laude, damnum, pro gloria, probrum retulerint.

[illegible] vere anni [illegible], qui fuit millesimus [illegible] octuagesimus octavus, Principum [illegible] conventus indictus est Trajecti Mosæ, ut controversia inter Brabantum, Gelrumque, Procerum arbitrio, dirimeretur, & quid [illegible] usui foret, [illegible] stabiliretur. Spoponderat Gelrus se staturum illorum placitis, nec latum [illegible] ab eorum [illegible] abscessurum. Postea tamen à Gelro præter [illegible] pulsans [illegible], ac novum dolum comminiscitur, paucis [illegible] paris [illegible] evocatis, ficto & imaginario contractu, [illegible] Coloniensi & Falcoburgensi, quod [illegible] in Limburgum [illegible] habebat, in Luxemburgensem transtulit. Quod ubi [illegible] Brabantus, vehementer [illegible] Gelri fallacia, [illegible] [illegible] omnes, qui singulis [illegible] [illegible] erat, infestis [illegible]. Quæ [illegible] cognita [illegible], alii alio, Coloniensis [illegible] metu [illegible], ad ulteriora [illegible]. Insecutus hostilem Brabantus, cum nusquam assequi posset, Bonnam usque [illegible] excurrit. Illic [illegible] omnia Archi-præsulis radicitus [illegible], effractum [illegible], feræ per agros vagæ permissæ, partim venatu [illegible], epulum exercitui præbuere. Hinc [illegible] tem Ducem, cives Colonienses Archiepiscopo perinfensi, adducunt, [illegible], ut arces aliquot vicinas, prædonum, ut aiebant, latibula, [illegible]: quorum precibus [illegible] derogandam ratus, [illegible] in [illegible] decora, & ab omni memoria à Ducibus Limburgensibus [illegible]. Woringam arcem [illegible] situ validam [illegible] oppugnat [illegible] erant [illegible] erat, Woringenses, [illegible] Archiepiscopi, rapinis ac latrociniis vivere, Coloniensibus [illegible] [illegible], quod eo modo suorum [illegible] perduellionem ul[illegible]. Coloniensis accepta Woringæ obsidione, exercitum [illegible], atque per [illegible] nuntios, fœderatos omnes [illegible] quisque secum ducto, confectoque [illegible], ad [illegible] advolant. His incrementis auctus Coloniensis [illegible], in Ducem ejusque exercitum fulmen Ecclesiasticum [illegible] optimam conceperat, ut curru traheret & [illegible] atque compedibus, quibus Dux, qui que e officio [illegible], capti, vincirentur. At Brabantus, præmissis aliquot equitibus, ubi & quantus hostium exercitus esset, explorat. His [illegible] propinquo esse [illegible]

renun-

1288. *Conventus Procerum Trajecti ad Mosam.*

Gelrus [illegible] pas promissa.

Woringa arcis obsidio.

renuntiaverunt, more impatiens, ac dimicandi avidus, contempto hostium numero, suos militari [illegible] se per innumeras phalanges hostium, per imbres sagittarum, balistarum, gladiorumque [illegible] ad victoriam, [illegible] ducturum hostes, pater [illegible], subiectu esse, sub gladio, [illegible] demque [illegible] & vinci. Simul ipse primus in [illegible] parte perrexit. Coloniensis [illegible] acie [illegible] Westphalos, assuetam [illegible] gentem, in fronte locat. Hinc Gelrus & [illegible], illinc Lucemburgensis cornua tenuere.

Joannes Dux militari ratione suos animat.

Dispositio exercitus Archipraesulis Coloniensis.

Exercitum conflabant [illegible] millia: equitum numerum [illegible]. Brabanti [illegible], at delectum [illegible] provinciae robur, nobiles magna pars, inter quos eminebant Walterus Bertholdus, Mechliniae Princeps, Arnoldus Diestensis, Arnoldus [illegible], Godefridus Comes Vierdae, Dominus [illegible], Daniel [illegible]anus, Arnoldus [illegible], Walterus ab [illegible], Robertus Ascanius, [illegible] Heverlensis, [illegible]ardus R[illegible]ensis, Walterus [illegible], Arnoldus Hellebecius, Joannes Rotius, Henricus Opp[illegible], Gulielmus [illegible], mille in universum & quingenti equites. His equitum Francorum [illegible] accesserat, [illegible] Vianani fratre [illegible] & Guidone S. Pauli [illegible]. Pedites erant pauci. Adolphus M[illegible], Arnoldusque Lossensis Comes cum [illegible] quoque [illegible]. Hos [illegible] disposuit. Brabantos omnes in fronte constituit, a [illegible] equitatu, ut subsidiaria militia d[illegible] fungeretur, & la[illegible] pararet. Leodiensi dextrum cornu, laevum Montano [illegible]. Postea Henricum Withemium & Ma[illegible], [illegible] gentium [illegible] in c[illegible]stra [illegible], [illegible] adjunxit.

Dispositio exercitus Ioannis Ducis.

Tum primum Gelri, qui que [illegible] Brabantinorum [illegible], [illegible]. Comitens, Gelrus, Lucemburgensis [illegible], frontem, [illegible], terga [illegible], fisi praesidio [illegible] rum [illegible], [illegible] pugnabant. [illegible], [illegible] in [illegible], [illegible]sus, [illegible], [illegible]ss[illegible], modo [illegible] ex[illegible] omnes, qui [illegible] quà [illegible] bene [illegible]. [illegible] horas [illegible] pugnatum est [illegible], [illegible]dum, [illegible], [illegible] ctum, [illegible] c [illegible]

Conseritur atrox pugna & diu anceps.

Dux in discrimine.

pugnam

pug[illegible], ac [illegible] est, prælium [illegible] redintegratum. Lucelburgensis spe victoriæ [illegible], [illegible] movet, [illegible] magna mole circumfusum [illegible] Ducem cernebat, illuc incurrit. At Brabantini, Ducem undique circumcingebant, [illegible] objectu corporis [illegible] protegere, ab illo periculum propulsare conabantur: non [illegible], non vulneri, non tela ([illegible]) quemquam frangebant. Præter cæteros [illegible] *Arnoldus* Hostaldius, ex [illegible] Lotharingensium [illegible] vir strenuus, Hic Ducem peditem, & ab hoste circumventum [illegible], perrupta acie hostili, Ducem suo equo imponit, seque plurimis congrediens, equo [illegible] Lu-celburgensi [illegible] co-[illegible] hostile, quod [illegible] equitibus [illegible] Hoc [illegible] gello, Du[illegible], H[illegible], [illegible] Daniel Bochol-[illegible], *Arnoldus* W[illegible], [illegible] eques Transmosanus, Walt[illegible] robore Lucelburgenses invadere; [illegible] sequuntur milites; modo recta fronte obvios [illegible], modo ad dextram versi, mox ad lævam, hamum late cadaveribus [illegible]; Comes [illegible], circa quem [illegible] suorum corpora [illegible], [illegible], verum, equo [illegible] per M[illegible], [illegible], frustra fugam [illegible], a W[illegible] ab Episcopatu gladio trajectus, occubuit. Lucelburgenses, cæso Comite, adornant fugam, & saluti consulunt. [illegible] Walramus Ropius, fortiter impugnato [illegible], cum omnibus fere [illegible]. Ex ea [illegible] ac V[illegible] Brabantini, ut credebant, à Lucelburgensibus laborantibus, [illegible] accurrentes, in dispersos & palantes Lucelburgenses incidunt, iterata illic cædes & [illegible]tio, fuisset [illegible], nisi [illegible], [illegible] Brabantinorum cum [illegible] G[illegible], in aciem rapuisset. Hinc itaque [illegible] Lossensi & Montensibus, cessere [illegible], cessere Geiri, & mox in fugam dati præcipites; ac tot [illegible] cladibus numerosissimæ gentis pervicacia fracta est. Coloniensis, pugnæ tuba, deploratâ salute, Godefrido Virsonio, se permisit. Hæc inter Adolphus, Comes Montium adveniens, illum protinùs abductum, sacra conclusit in Æde, trans Rhenum in Mauben. Capti ibidem

Prælium redintegratur.

Henricus Comes Luceburgensis interfectus.

Coloniensis Archiepiscopus captus.

dem Adolphus Nassovius, (qui ad Imperatoriam dignitatem postea evectus fuit) Marchionesque. [illegible] Gelrum è [illegible] retractum, San-Paulinus Duci captum [illegible]; [illegible], militari peritiâ [illegible], non dubitavit [illegible] molem in se versam, [illegible] instauratur [illegible] ceps, tandem [illegible] Falcoburgensi a D[illegible], totus exercitus in fugam [illegible] est. Ita [illegible] captivitatis eadem [illegible] quæ triumphi [illegible]. [illegible] rum, qui Gelrum [illegible] sectabantur, [illegible] quadringenti equestris ordinis viri. Captivorum numerum [illegible], cum tamen [illegible] excessisse, nonnulli [illegible]. [illegible] clari nominis Walterum Berthaldum, & [illegible] prætereà hos trecenti octo milites cecidisse [illegible]. Hæc memorabilis ad Woringum pugna, qua [illegible] millibus, viginti ferè millia sunt debellata, [illegible] nas Junii 1288. Dux *Ioannes* inter suorum [illegible] sus Bruxellæ exceptus, Christianæ pietatis memor, [illegible] riæ Deo [illegible] egit gratias, pugnæque die [illegible] stituit, ubi [illegible] Procerum catervâ [illegible] magnificâ pompâ circumferunt per urbis compita [illegible] in [illegible], comitante Magistratu ac [illegible].

Woringa funditus excisa.

Woringa paucis interjectis diebus, Duci [illegible] Coloniam [illegible] habitura [illegible], deleta est & funditus excisa. Limburgensis [illegible] eos [illegible] invento, appendix fuêre victoriæ. [illegible] oppido [illegible] præsidium; Hermano Witemio, [illegible] viro arci præesse jusso. Coloniensem, sibi à [illegible] donatum, Adolphus Montanus septennium, si [illegible] annum detentum ait. Falcoburgensi, [illegible] 1289. data libertas.

1290. Anno qui fuit millesimus [illegible] nonagesimus Reinaldus è custodia dimissus est, [illegible] Philippo Pulchro, Francorum Rege: [illegible] est, ut præter Limburgensem Ducatum, quatuor insuper oppida, Duysburgum, [illegible]burgum, Hen[illegible], & Spiremontes Duci cederet[illegible]. Atque hic belli Limburgensis, quod totum propemodum [illegible] tenuerat, finis fuit.

Barbarum Archi-præsulis Coloniensis facinus.

Con[illegible]ter ad hæc visum [illegible] barbarum prorsus & inauditum Archi-præsulis Colon[illegible]. Hic carcere exemtus, occasionem sedulo explorabat [illegible] illatam ab Adolpho Montano

con-

[illegible] u[illegible]retur, quem incautum, & contra datam fidem, [illegible], inclementias habuit, ac caveæ ferreæ, [illegible], quoad vixit, Scra[illegible]onum & [illegible], miserrimo mortis genere neci dedit, [illegible] omnino d[illegible]abili, & quam in pectus Christianum [illegible] potuit: ut omittam Ecclesiæ Præsulem, vix fides [illegible] Auctores probatissimi uno ore idem afferrerent, quos inter [illegible] Merlæus, scriptor luculentus.

Concesserant p[illegible] id tempus Duci suo Brabantini in præ[illegible] [illegible] bellorum sumptus vectigal longe opulentum, scilicet omnium bonorum ac proventuum suorum vicesimam, Quorum ille [illegible] id gratiæ retulisse fertur, ut se successoresvè nunquam in futurum [illegible] tributum exacturos juraret, adhibitis qui [illegible] signarent codicillos, ipso Imperatore Adolpho, & [illegible] Joanne, aliisque Dynastis ac Comitibus. *Brabanti, vicesimas omnium bonorum suorum conferunt in belli sumptus.*

Exinde Joannes Dux, [illegible] ad Thermillen, [illegible] ut est, [illegible], nisi Justitiâ firmetur; ideo anno ab orbe redempto nonagesimo, supra Millesimum ducentesimum, promulgavit Tabulas, quas vernaculè appellant, *Den Landt-Charter*, in quibus [illegible] compescendis, vindicandisque perditorum hominum [illegible], ut quos natura retinere in officio non posset, hi terrore pœnæ à flagitiis [illegible], indictâ pœnâ, aut nummariâ, aut exilii, aut capitis, pro modo delicti, in eos, qui alios [illegible], [illegible], pulsant, colaphos impingunt, calce [illegible], sica vulnerant, aut mutilant: Qui alium in suâ ipsius domo, aut mansione quærunt, alios vino, cerevisiâ, aliove madore [illegible], arbores furtim succidunt, sepimenta evellunt, terminos movent, [illegible] ad incendium suggerunt, [illegible] aliquunt, ex comparatis [illegible] cædem admittunt, [illegible] circumveniunt, ad monomachiam provocant. *Tabula dicta den Landt-Charter.*

Ad hæc [illegible], ut, qui pacis publicæ fœdera violaverint, quadratum di[illegible], membraque ad extima [illegible] palis suffigantur. Qui fortunis [illegible], si uxorem & liberos habet, ut his dimidium bonorum, [illegible] Toparchæ cedat: si verò non habet, bona universa Toparchæ acquirantur. Qui delicti coargui non potest, ut cum tertia fide dignorum manu, purgatione innocentiam tueatur: Si exterus est & hospes, juret se esse innoxium, nec testes invenire posse. Porro in virginum raptores decreverunt, ut ii, noxæque affines, capite luant, ac fortunis universis mulctentur: Et qui matronarum pudicitiæ, virginumvè castitati

 vim

vim intulerit, eæque de vi quærantur, ut ligneâ serrâ ei cervix præcidatur. Statutum ulterius, ut qui membrum [illegible] verit, lege talionis, pro simili sui corporis membro, sit obnoxius. Ut, Drossardus Brabantiæ, Præfecti pagorum, [illegible] dicundo præsunt, nullis muneribus, operis, [illegible] judicii obtinendi, aut remorandi gratiâ, [illegible] Demùm spondet Dux neminem se creaturum Drossardum, Majorem, Baillivum, Amannum, aut Schultetum, ob [illegible] datam, aut mutuò dandam. Acta hæc in solemni [illegible] conventu, Anno incarnationis Dominicæ 12[illegible]. Hæc [illegible] lemni formulâ, in pauca, per summa capita, [illegible], quia [illegible] ctius continentur in Edictis ac Placitis nostrorum Principum.

1294. *Obitus Ioannis Brabantiæ Ducis.* Nec abinde multum temporis supervixit gloriosissimus Principum Joannes, Domi undique rebus pacatis, ac [illegible] suarum pomœriis, annum 1294. fatalem habuit. Siquidem, Divæo teste, cum Eduardus Anglorum Rex, M[illegible] Henrico Barrensium Comiti connubio [illegible]t; [illegible] profectus Joannes Dux, in ludicro equestri [illegible], vulnere in brachio dextro, [illegible], eoque [illegible] curato, V nonas Maii, Princeps tot [illegible], etiam felicissime semper exactam, [illegible], [illegible]o quadragesimo. Funus [illegible], inque [illegible] Franciscanorum Bruxellis magnifico monumento [illegible], quod superioribus Belgii turbis ab iconomachis [illegible], Serenissimi Archi-duces Albertus & Isabella cu[illegible]. Erat Princeps magnanimus, prudens, belli [illegible] & splendidus: ore amœnus, ac vultu gravi, [illegible] staturâ excellâ & rectâ, firmaque [illegible]. Cæterum impensè deditus ludicræ [illegible]es tàm in Gallia, quam Germania, [illegible] fama decurrit, semperque palmam [illegible].

JOANNES II.

Filius superioris, Dux Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgi, Marchio Sacri Imperii. &c.

POst excessum, de quo memoravimus, Illustrissimi Principis Joannis, Lotharingiæ, Brabantiæ, ac Limburgi Ducis, rebus gerendis confestim admotus est, Joannes filius [illegible] ejus natu maximus, quas summâ cum moderatione administravit: utpote quem multis animi corporisque dotibus ornatum, [illegible] Chronologi; fuisseque non modo corporis habitu, aspectuque [illegible] ac commendabilem: sed & magnanimum, munificum, [illegible], pacis & quietis studiosum.

Excepit [illegible] Walrabung[illegible], Juliacæ hodie ditionis oppidum, inter Juliacum ipsum & Ruremundam positum, quod cum [illegible] tractaret, a Duce est eversum, anno 1295. 1295.
Atrox tum quoque inter Francos Flandrosque bellum exortum. Guido enim Comes, avo [illegible] Joannis Ducis, a Philippo Pulchro Francorum Rege Lutetiam accitus cum filia Philippa, ut saltem in speciem, ipsius collocandæ [illegible] a Rege posceret, extemplo in custodiam est datus: quod Anglorum fœdus amicitiamque [illegible], filiam suam [illegible] filio Regis despondendo, nec ea solutus est, nisi repudiato cum Anglis fœdere, filia in pignus fidei detenta est. Unde anno insequenti, cum a Francis illam [illegible] repetiisset, illa dolore [illegible], quod nuptiis & [illegible] prohiberetur. Pater, sublato pignore, rursus idem liberam, [illegible] cum Anglo renovat, spondetque Isabellam alteram filiam, iis quibus ante conditionibus, uno [illegible], ut junctis viribus [illegible]. Et Adolphus Imperator in partem belli adscitus: ac [illegible] pertractis aliis aliunde Principibus, vario marte [illegible] est, exitu parum prospero: Nam Guido Comes, desertus ab Adolpho, in eas angustias recidit, ut Carolo Valesii Comiti, Regis fratri & in exercitu legato, se Ardenburgi dedere necesse haberet, hac conditione: ut ipse duoque ejus filii natu maximi, unà cum quinquaginta optimatibus, ad Regem supplices accederent. Hac submissione, Valesius

1296. Flandriæ Comes cum Filia à Rege Francorum in custodiam mittuntur.

Comes bellum instaurat infeliciter pugnat, & capitur. 1297.

Comiti ſpem veniæ facit, regiam clementiam oſtentat; ſin Rex iræ pervicax eſſet, ſanctè jurabat, ſeſe incolumes omnes domum reducturos. Hâc ſpe fultus Comes, ad Regem pergit, precesque ſupplices ad appellandam eius clementiam fundit. Verùm contra ſpem datam, durum [illegible] imperviumque Philippum reperit. Ille poſtquam ſupplici exprobravit audaciam, & obſtinatam perduellionem, Comitem, eorumque [illegible] compegit in carcerem; & quod durius viſum, ſejunxit patrem à liberis, ſingulis, urbes ſingulas, in cuſtodiam [illegible] cæteris abrogatis, [illegible] pro[illegible] Valeſius. Anno 1299 [illegible] Flandriam pergit, totam ferè poteſtati ſubjiciens; unde abſcedens, Jacobum Caſtillionæum, Comitis San-pauliani fratrem, proregem conſtituit, virum ferocem [illegible] in exigendis tributis [illegible]. Hinc Brugis [illegible] artifices de iniquitate [illegible], ſeditionem concitant, ac cædibus per omnia [illegible] in Gallos, [illegible] armatos graſſati, mille & [illegible] equites, duo millia peditum [illegible]. Acta hæc die vigeſimo quinto Maii, anno 1302. Jacobo Caſtillionæo, Regis vicario, [illegible] Cortracum elapſo. [illegible] occaſione [illegible] ter [illegible] uſi [illegible] K[illegible]burgius, princeps [illegible] ex [illegible] uxore filius, & Gulielmus Julianenſis, [illegible] nis partem à Gallis abducere, [illegible] permanerat, obſederunt. [illegible] tur, Philippus Rex ampliſſimum conſcribit exercitum, in quo recenſebantur [illegible] octo [illegible] equitum duodecim, cui præfecit Robertum Atrebatum, [illegible]. Ubi advenisset, Franci magno impetu in hoſtem [illegible]. At irruentes, Flandrorum [illegible]. A tergo enim [illegible], ab Oriente & [illegible] ſoſſam, amenſeſe, quà hoſti [illegible] aditus [illegible], ad bicornis [illegible] formam [illegible] agris aquas excipiebat, quas in Lisam [illegible] aggere, [illegible] æquabili, utroque margine in ſuperficiem aquæ deſinente, [illegible] opera & latenti viridi cæſpite obtexerant, [illegible] Galli, ignari fraudis, [illegible] equis delati, [illegible] ſidente [illegible] præcipites devoluti, breviſſimo temporis ſpatio, [illegible] equitatum immerſerunt, [illegible] incredibilem [illegible]orum [illegible] bipennibusque acceperre. Hæc [illegible] ignominiæ, [illegible] jacturæ, nullus [illegible] ſalvus emerſit. Proceres omnes Nobilesque, præter Comites Claromontanum & Sancti Pauli abſorpti ſunt; cæterorum numerus, [illegible] vigin-

1299. *Philippus pulcher Francorum Rex in Flandriam penetrat, & totam ferè ſubigit.*

1302. *Brugis Galli mactantur.*

Arx Cortracenſis, quam Galli tenebant, obſeſſa.

Francorum clades ad Cortracum.

[illegible] duo millia, memoratur. Victores spolia e cadaveribus rapuerunt, [illegible] pretiosissima, inaurata calcaria octies mille, *Pugna calcaria.* quæ gestare nobilitate dumtaxat insignibus, fas tunc erat; eorumque plurima in Templo Cortracensi appensa. Hæc Victoria [illegible] celebrata, parta fuit eodem illo anno trecentesimo secundo suprà millesimum, Julii mensis die undecimo. Rex [illegible] iam vindicaret, novum extemplo exercitum contrahit, & numerata intra mensem, sexaginta peditum millia, equitum decem. Nihil tamen gestum tanto exercitu; [illegible] Atrebatum in Flandriam invasisset, milites assidui, amnesque inundantes, vetuerunt progressum. Ad ultimum, ut belli aliquando finis esset, Flandri cum Rege Philippo transigunt, ut Guidoni Comiti [illegible] principatu restitueretur; Flandri privilegia, locaque [illegible] fruerentur, pecuniam Regi dependerent, [illegible] quadringenta, [illegible] Majorem [illegible] Lilium interim, Duacum, Orchiacum cum agris [illegible] Rex pignori teneret. Sed, ea [illegible] pace, Guido frui non potuit; nam antequam domum rediret, diem extremum Compendii clausit 7. Martii 1304. cum annum ætatis octuagesimum excessisset, quam longam est passus potius, quam [illegible] tus. Corpus exanime Principis domum deportatum, ac debitis solemnibus [illegible] humi [illegible].

Exinde anno millesimo supra trecentesimum sexto, Bruxellæ 1306. vesana plebs, vilisque pars populi, constans per textores, *Seditio plebis Bruxellensis.* fullonesque, [illegible] hominum genus plebeiæ & reverentiæ profligatum Nobilitatem consurrexit, ac pulsis urbe Patriciis, ho- [illegible], diripuit, ædesque [illegible] evertit, frustra deprecante Margareta Ducis uxore. Ducem, [illegible] nuntio, armabat [illegible], & ad exscindendam [illegible] vomicam coacto exercitu, [illegible] Foras, inde Vilvordium concessit, ac prima *Seditiosi cæsi & repressi.* die Maii in [illegible] Vilvordianis pratis, [illegible] ordinibus, in vilissimos [illegible], ac more [illegible] militari fractos, mactat, proterit, fundit, [illegible] plurimis, cæteros in fugam agit. Tum urbe receptus, Magistratibus [illegible] plebeiis abolitis, Patricios pristino decori restituit edicto promulgato hac propemodum phrasi ac formulâ: „Patricii septem familiarum, videlicet *Patricii restituti.*
„ t'Serhuyghs, Sweerts, Sleeuws, Roodenbeecks, t'Serroelofs,
„ Steenweeghs & Coudenberghs, immunitates ac privilegia, quæ
„ patris, avi & proavorum suorum temporibus, ipsi, atque eorum

Majo-

„ Majores habuêre, rata firmaque manerent. Ut quotannis, octi-
„ duo antè natalem S. Joannis Baptistæ, ex septem his Patriciorum
„ familiis, septem Scabini deligerentur, singuli videlicet e singu-
„ lis familiis. Ut electio hæc ab iis fiat, qui prioris anni Scabini
„ defuncti sunt. Ut electos rejicere Duci integrum sit, aliis ex
„ eâdem familiâ surrogando. Ne ab officiis collegiis [illegible]-
„ la, vel tributorum collationes fiant, invito Senatu. Opifices
„ singuli, a Duce jussi, arma tradant. Privilegia plebi, ab anno
„ 1303. usque nunc indulta, obsolescant. Ut administratio Xeno-
„ dochii S. Nicolai, penes Scabinos sit [illegible] vero [illegible],
„ inopes patricii generis, solum sustententur. Ut textores, fullo-
„ nesque, motus auctores, urbe excedant. Ut Prætor urbis Patri-
„ ciis deinceps auxilio sit, si quem a plebe motum [illegible] con-
„ tingat: eo negante opem, Patriciis liceat suo [illegible] seditionem
„ coercere. Acta hæc mense Junio anni memorati 1306.

1309. Rusticorum colluvies in Leprosos, & Judæos sævit.

Mox cum flueret annus millesimus supra trecentesimum nonum, ingens hominum multitudo ex pastoribus & rusticis primùm in Francia [illegible], [illegible] convenit, [illegible] persuasa [illegible] agricolarum [illegible] liberatum iri. Itaque obtentu expeditionis sacræ, [illegible] & [illegible] & [illegible] convolant, ac cruce notati, Leprosos Judæosque [illegible], prætextu [illegible], quod Leprosi Judæorum impulsu [illegible] & puteos veneno infecissent, ad [illegible]. Ea accusatio, vera, an falsa, plebem [illegible] mi-seros, & ob [illegible] quotquot erant, [illegible]. Tandem [illegible] Regis, Leprosi [illegible] conclusi sunt, Judæi [illegible] expulsi.

Ex Francia in Brabantiam se effundit, caduntur inque fugam aguntur.

Inde [illegible] turba effudit se in Brabantiam, ac [illegible] me sæviebat, donec Joannes Dux, [illegible] & [illegible] gii homine [illegible], quibus [illegible] globo obsessis, Dux [illegible], ad internecionem cæsis, reliqui [illegible] ita [illegible] hic furor deliberat.

1312. Conventus Procerum habitus Cortebergæ.

I[illegible] Joannes Dux *anno* [illegible] Procerum ac Legatorum [illegible] Brabantiæ Conventum [illegible], [illegible] habendo [illegible] Cortebergæ designatum. [illegible] Corteberga [illegible], [illegible] intervallo à Bruxellis, [illegible] Lovanio [illegible] Ducum Brabantiæ [illegible] Virginum [illegible], [illegible], quod, anno 1584 in [illegible], quæ universum Belgium [illegible]

vol-

valuerant, turbine, militum protervià incensum, in cineres conjiciunt. Sanctæ Virgines, Coloniam Agrippinam profugæ, multumque eorum temporum iniquitate conflictatæ, tandem ad flebiles Monasterii sui parietinas redierunt. *In hoc Conventu Ioannes prælibatis consensu omnium in Rempublicam studiis*, ut frequentes populi motus, quibus grande æs alienum, quo Ducatus per id tempus premebatur, & quod res communes, minus ex usu administraretur, ubique pullulabat, exorirentur, pro se, suisque hæredibus, ac successoribus, sempiterna constitutione sanxit, capita quæ sequuntur. Sed operæ est, ipsas illas tabulas verbis & formulis veteribus conceptas, hic proximè latinè, quantum licuit, redditas, apponere. Sunt enim hujusce propemodum exempli ac sententiæ. *Tabula Cortenbergensis.*

In nomine Sacrosanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritus sancti, à cujus invocatione bonum ducitur exordium, optimusque consequitur finis. Nos Joannes, Dei gratiâ Dux Lotharingiæ, Brabantiæ, & Limburgi, invocantes auxilium Patris, & Filii, & Spiritus sancti, scientes, ac considerantes cum decessorum nostrorum, tum nostram, hæredum & successorum nostrorum salutem, atque publicam utilitatem totius regionis subditorumque nostrorum, inopum æquè ac divitum, ut eis ingenuè consulamus & prospiciamus, præsertim propter complura & fida officia, quæ illi Majoribus nostris, Nobisque præstitere, & præstituros adhuc confidimus, maturâ habitâ deliberatione, iis bonâ fide concedimus & donamus pro nobis & posteris nostris in perpetuum, omnia & singula capita, qualia infrà descripta.

1. Ac primò quidem, quod Nos, neque hæredes, aut successores nostri, nullas unquam oblationes, aut indictiones populo irrogabimus, nisi occasione & causâ Equestris militiæ, conjugii, aut captivitatis; easque indictiones tam moderatè imperabimus, ut nemo lædatur, aut prægravetur.

2. Cum subditis nostris universis, lege agemus & judicio, iisque, divitibus pariter ac pauperibus, jus ex æquo dicemus, secundum archetypum codicillorum eâ de re conscriptorum, qui codicilli diligenter examinabuntur, & si quid in iis deprehendetur, quod emendationem requirat, aut subditis nimis grave & durum videbitur id consilio bonorum virorum, eorumque ad hoc deligendorum, emendabitur, & moderatius temperabitur.

3. Porro insuper Nos, hæredes & successores nostri, omnibus & singulis Urbibus immunitates, libertates, ac jura sua, quibus hactenus fruuntur, integra & salva servabimus, subditisque no-

ſtris juxtà cujuſque Civitatis jura, juſtitiam adminiſtrabimus; neque permittemus ea ullo pacto convelli, aut labefactari.

4. Suffragante concilio patriæ, legemus ex equeſtri ordine quaternos, maximè commodos, prudentes & in publica commoda intentos. Ex plebeio ordine; nimirum ex Lovanienſibus ternos; ex Bruxellenſibus totidem; ex Antverpienſibus, Buſcoducenſibus, Thenenſibus & Leeuvenſibus ſingulos: qui tertia quâlibet hebdomade Cortenbergæ conventum agent, cum imperio & authoritate, quam pro nobis poſteriſque noſtris illis impertimur, ut audiant & cognoſcant, num in rebus patriæ, jam commemoratis, aut quæ in poſterum accidere poterunt, aliquid defectus, aut vitium irrepſerit, illudque pro ſumma poteſtate, quam noſtro, ſucceſſorumque noſtrorum nomine, illis concedimus, emendent ac corrigant, aliaque omnia ſtatuant & decernant, quæ in rem communem uſui fore cenſebunt: Quæ omnia & ſingula, rata ac firma eſſe volumus in perpetuum; neque Nos, aut ſucceſſores noſtri, adverſus ea unquam, quocumque pacto, faciemus, aut quicquam moliemur.

5. Si [illegible] aliquem e ſeculo fato concedere, aut ad id munus haud parem, aut idoneum eſſe; ſublegetur in ejus locum, quem degerit Cœtus Cortenbergenſis.

6. Delegendi Equites, aliique de meliore [illegible], tactu ſacrorum voluminum, Deo Diviſque teſtibus, jurabunt, ſe nobis, poſteriſque noſtris, ac ſubditis univerſis, divitibus juxta & pauperibus, optimè conſulturos, operamque ſedulo daturos, ut ille conſtent jura ſua, juſque ex æquo dicatur.

7. Quæcumque Delegati Cortenbergenſes ſtatuent, aut decernent, rata erunt, & Nos, Succeſſores noſtri, aut quis alius ſi eorum placita infregerit, aut [illegible], placet & volumus pro nobis & ſucceſſoribus noſtris, ut [illegible], neque obſequium ullum nobis [illegible], donec ejuſmodi placitis obtemperatum ſit.

8. Quæ omnia ac ſingula [illegible] bonâ fide, & juramus manu ſacro Codici impoſita, pro nobis, hæredibus & ſucceſſoribus noſtris, rata ac firma habituros, & habenda [illegible], neque adverſus ea quidquam ullo pacto, ſive dolo [illegible], calliditate, aut alia quacumque [illegible], per nos [illegible] noſtros commiſſuros.

9. [illegible] eorum [illegible] perpetuumque munimen, [illegible] Baronibus, Equitibus, aliiſque qui ſub noſtra [illegible] jure prædia poſſident:

Oppi-

oppidanis item civitatum cùm majorum, tùm minorum jubemus per fidem & obsequium, quo nobis obstricti sunt, ut omnia & singula [illegible] commemorata, interposito Sacramento servent, quemadmodùm Nos suprà promisimus ea firta tecta in perpetuum ipsis, ipsorumque [illegible] & successoribus servaturos.

10. [illegible] rogamus & edicimus omnibus præsentibus & futuris, si contingat nos, hæredes, aut successores nostros, capita [illegible], aut ex parte abrogare, aut ab iis desciscere, ut nobis, hæredibus & successoribus nostris nullis obsequii, vel obedientiæ legibus teneantur, nevè auxilio juvent, donec cuncta in integrum restituta fuerint. Si verò aliquis è Baronibus, Equitibus, aliisque beneficiariâ lege nobis mancipatis, vel etiam ex Oppidanis præsentibus & secuturis, has sanctiones infregerit, violaverit, aut infringere & violare molitus fuerit, pro nobis, hæredibus, successoribusque nostris, perfidum eum & [illegible] pronuntiamus, a [illegible] prohibemus. Quæ universa ac singula capita, [illegible] rata fecerunt, Dux ipse Johannes, [illegible] Juliaci, & [illegible] Equites triginta quinque, Proceres [illegible] Et Legati Civitatum hoc ordine, Lovanii, Bruxellæ, Antverpiæ, Boscli, Thenarum, Leviæ, Nivellæ, Geldoniæ, Gen[illegible]æ, L[illegible]æ, H[illegible]sti, Turnohoudæ, Hannuti, Vilv[illegible], [illegible]æ, [illegible], [illegible] & Capellæ; quorum nomina in ipsis Tabulis recensentur. Acta hæc mense Septembris, Anno 1312.

Ex his Tabulis [illegible] & [illegible] Senatûs Brabantiæ, qui [illegible], ad eam pervenit Majestatem & amplitudinem, quâ hodie [illegible]. *In cunabula Senatus Brabantiæ.*

[illegible] Brabantia, Princeps Belgii regio, [illegible] *antiquius* monumentum [illegible] ostendit, quàm [illegible], sed priscâ simplicitate [illegible] Tabulas, [illegible], quàm jus dicen[illegible] per Judices [illegible], secundùm cujusque Fori [illegible], interpositâ fide, de non ferendo, aut permittendo [illegible] solitur. Hæc eadem promissa [illegible] Principes, perpetuâ serie ad hunc diem, in Principatûs sui auspiciis, se servaturos, jurejurando fidem suam populo adstrinxerunt. *Et antea [illegible] ejus nominis, Lotharingiæ & Brabantiæ Dux, testamenti tabulis anno 1260. in hæc verba [illegible]*: Quod ex nunc in [illegible] terræ Brabantiæ, communiter per judicium & [illegible] tractabuntur, & quod sint sine talliâ, exactione & præcariâ; ita quod nihil [illegible]

 capic-

capiemus, vel capi procurabimus, nisi in expeditionibus cum exercitu ad terræ nostræ defensionem, vel juris nostri conservationem, aut injuriarum amotionem: vel in servitium Imperatoris Romanorum, sive Regum Alemaniæ: sive cum filium [illegible] mixtui tradiderimus: aut cum filium [illegible] *cingulo* [illegible] militiæ. Quæ ad amussim congruunt cum iis, quæ Joannes [illegible]. Inter Epistolas Petri de Vineis lib. 5. c. 26. [illegible] Friderici II. Imperatoris, ad exigendam subventionem pro [illegible] gio filiæ Principis. Et Suet. c. 42. scribit C[illegible] collationes in alimoniam atque dotem filiæ recepisse. [illegible] fidem & clientelare obsequium, debet domino [illegible] tulam, vel nuptialitium, vel redemptionis pretium. De [illegible] lationibus tractat Guido Papæ quæst. 57. Choppin[illegible] lib. 3. de Domanio c. 4. & Accursius meminit ad L. [illegible] Eccles.

Ex his elicio, Majorum ævo liberum à tributis populum fuisse, nisi quando Duci succurrere opus in casibus [illegible], tum effundebant se totos in subsidium; hinc a [illegible] buto, quod Gallico [illegible] *Aides* vocamus: & erant quasi ultro tributa. At quod ab initio [illegible] erat, lapsu temporum in necessitatem transiit, & [illegible] est debitum. [illegible] esse tria pensitationum genera: C[illegible], O[illegible], & [illegible] ctionem. Ut sit hodie Canon, quod Dom[illegible] dicitur, [illegible] toria, vectigalia, bona commissa & caduca, [illegible] nullum [illegible] que vindicem habent, [illegible] cedunt. Cassiodorus lib. 9 variarum Epist. 14 [illegible] mus, omniaque à populis [illegible] Principi [illegible] nem Antiqui vocabant, [illegible] butum in prædia de[illegible].

Ducis Ioannis obitus. Hoc ipso adhuc [illegible] decimum, [illegible] vesicæ [illegible], Joannes Dux [illegible] Novembris, [illegible] extremum clausit diem, cum [illegible] cum mod[illegible] vigilantiæ laude Ducatum, [illegible] Funus [illegible] Bruxellam, [illegible] Archangelo Michaeli [illegible] Ante [illegible] in medio Chori, [illegible] [illegible] Margaretam, filiam [illegible], Angliæ Regis, [illegible] P[illegible] sumptu & opere [illegible] insigni [illegible] elegam & conspicuam,

spicium. Hic frequenter Principem, cujusque consilium commorari solitum, docent frequentia ibidem exarata & subnotata diplomata, atque [illegible] Ducum Mausolæa. Principem fuisse animi [illegible] ac sedati, & qui Sago togam præferens, plura consilio, quam vi [illegible] exsequi fuerit, superiora satis declarant. Bella quoque ipsa quæ gessit, factiones, quæ Ducatum concitabant, in [illegible] fuerunt. Reliquit post se filium sibi cognominem, ac Ducatum paternarum hæredem.

JOANNES III.

Filius præcedentis, Dux Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgi, Marchio Sacri Imperii, &c.

AGebat Joannes, ejus nominis tertius, annum ætatis duodecimum, cum Joannes secundus parens ejus vivis eriperetur; Principatus ejus, excepere gravissimæ procellæ, quæ publicum [illegible] statum non leviter concusserunt. Avus & parens Joannis bellis [illegible], ingentem pecuniam, & quidem grandi fœnore ab externis [illegible] mutuam acceperat. Joannes Secundus, in alieno ære [illegible], maximam nummorum copiam congesserat; post cujus obitum, [illegible] ii, qui Reipublicæ gubernacula moderabantur, has pecunias [illegible] avertissent in [illegible]; [illegible], ut Brabanti, qui mercaturam faciebant peregrè profecti, passim publica custodia [illegible], quibus molestiis per [illegible], tandem a Rectoribus Urbium allevandum [illegible] est, ut partim [illegible], partim [illegible] publico [illegible]. Census vero [illegible], quæ Ducali fisco ab Urbibus debebantur, eatenus [illegible], donec de [illegible] Creditoribus Duce per [illegible], Urbibus compensatio facta foret. Additum [illegible], ut proventus [illegible] Ducalis fisci, in eundem compensationem traherentur. Usque [illegible] majorique cum fide agerentur, è singulis Urbium Quæstores [illegible], quorum [illegible] quæsitum, accessum [illegible] foret, [illegible] acceptis [illegible], Conventui Ordinum referre, [illegible] Quæstorum Ducalium indignatione, quos impensè mordebat, hunc sibi bolum è fau-

Princeps grandi ære alieno obrutus.

Brabanti, qui mercaturam exercebant, peregrè profecti, passim detinebantur.

1313.

Remedium huic malo adinventum

è faucibus eripi. His peractis, Respublica gravi curâ & sollicitudine liberata, Negotiatoribus liberum fasque fuit, quovis proficisci, suaque commercia terrâ, perque flumina pacate exercere. Mense Julio ejusdem anni 1313, Lovanienses & Bruxellenses, inquit Divæus, fœdus inter se percusserunt, cujus [illegible] fuêre: Si Cives aliquos utriusque Urbis inter [illegible] geret, per utriusque Senatum compescendos fore. Utramque Urbem alteri, defendendis contrà quemlibet juribus ac privilegiis auxilio fore. Si jura alterius à Duce [illegible] contingat, omnibus viribus alteram id prohibituram. Neutram [illegible] ut [illegible] nis Brabantiæ aliquid adimatur. Hæc Divæus & ex illo Heuterus.

Fœdus ictum inter Lovanienses, & Bruxellenses

1314. Indè anno salutis millesimo suprà trecentesimum decimo quarto, Joannes Lovanii magno Ordinum plausu inauguratus est; juratus more majorum universa [illegible] privilegia [illegible] se habiturum, datis eâ de re codicillis, quorum [illegible] formula, quæ erat gallice conscripta, hunc [illegible] sensum [illegible]

Inauguratio Ducis.

Nos Joannes Dei gratiâ Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgi Dux, universis & singulis, qui has Litteras visuri aut lecturi, manifestum facimus. Quum [illegible] expenduntur, diligenterque circumspiciuntur [illegible] gravi ære alieno [illegible] cujus dissolvendo [illegible] consilioque Urbium & Cœnobiorum Ducatûs nostri Brabantiæ: Qui [illegible] cum ab [illegible] inire sit ratio, quâ honori nostro cum minimo Reipublicæ incommodo consuluerunt; Idcircò [illegible] te & voluntate chari & dilecti Domini Ludovici, Regis Francorum filii, Comitis Nivernii, aliorumque [illegible] pro nobis, & posteris nostris [illegible] capita, quæ [illegible] scripta, quæ valere volumus in perpetuum.

Pacta inaugurata.

1. Ac primum quidem [illegible] ex subditis Ducatus nostri Brabantiæ [illegible] ob debita nostra, [illegible] ut ea exolvamus ex bonis [illegible]

2. Nusquam in Brabantia numum aut cudemus, aut fabricabimus, nisi [illegible] liberis, ipsisque [illegible] pretium [illegible] Urbium [illegible]

3. Oppidis, Monasteriis, [illegible] habeant [illegible] Litteras, Tabulas, [illegible] Chirographa, quibus a Nobis, aut à Majoribus nostris [illegible] habeant, [illegible] sint rescissa, aut vis & auctoritas [illegible], aut aliqua in parte violata.

4. Si

4. Si Urbes, Monasteria, aut ditio nostra Brabantiæ, datis præ[illegible], creditoribus nostris, aut successorum nostrorum caverint, aut suâ fide pecuniam numeraverint, decernimus, ut eam recipiant ex pro[illegible] nostris expeditioribus.

5. Nemini in posterum plures Præfecturas aut [illegible]præturas in [illegible]um, aut tempora[illegible], mandabimus.

6. Vectigal, quod [illegible] pro instaurandis viis, aliorsùm [illegible], prohibebimus. Spondemus insuper bonâ fide, omnia & singula [illegible], quæ [illegible]scripto continentur, rata atque intemerata, sine ulla infractione in perpetuum servare pro Nobis & Posteris, Urbibus, Cœnobiis & universæ ditioni nostræ, propter præclara eorum merita, eximiam operam, fidem, ac studium ad nos juvandum, quæ memori animo agnoscimus, renuntiamusque præterea omnibus prærogativis, privilegiis, beneficio restitutionis, aliisque [illegible], tum [illegible], tum profanis, quæ hisce Statutis ullo [illegible] fraudi esse possent. In cujus rei [illegible] dedimus [illegible], hasque Literas Sigillo nostro obsignavimus, eisque Sigilla [illegible] Comites & Dynastæ, Gerardus Comes Juliacensis, Arnoldus Comes Lossensis, Reinaldus Dominus [illegible]ensis & Monjoye, Florentius Bertholdus Dominus Mechliniæ, Gerardus D. Diesthæ, Præfectus Ar[illegible]s Antverpiensis, Arnoldus D. W[illegible]malæ, Ducatus Brabantiæ Marescallus, Philippus [illegible] D. Bredæ, Equites, & alii. Datum Anno Domini M. CCC. XIV. [illegible] Veneris post Octavas Petri & Pauli.

Sequutus annus millesimus [illegible] quinque, [illegible] Comet[illegible] fuit insignis. N[illegible] vix unquam [illegible] & sine magna [illegible] hominum regionumque clade [illegible], [illegible] juba, [illegible] in cœlo [illegible], locuples omnium [illegible] testatur; Regibus [illegible] extinctis, [illegible], [illegible] contagio, & annonæ [illegible] mortalibus [illegible]. 1315. *Cometes.*

Sequuta est [illegible] Martium anni *Imbres assidui integro ferè anno.* sequentis, imbribus [illegible], quanta nunquam [illegible] hominum memoria [illegible], disruptisque, quibus claudebantur, [illegible], de suo [illegible] alveo, late omnem in proximo campum [illegible], atque homines [illegible] pecudesque nullo discrimine [illegible], ut nec sata, nec fruges, nec [illegible] agrorum proventus eo anno [illegible]rent.

Ex

Annonæ difficultas & pestis. Ex hâc calamitate mox orta annonæ difficultas, quam ultimum supplicium humanorum Livius appellat, quæ omnem circumquaque Brabantiam, vicinosque populos miserè afflixit, ac progressu temporis adeò invaluit, ut plerique ad radicum, [illegible] minumque pastionem adacti, viribusque exhausti, simulacrorum specie, huc illuc vacillarent, donec in mediis [illegible], animam agerent. Ex tam fœdo alimento, computrescente in hominibus sanguine, orta demum pestis, quæ [illegible] hominum partem delevit. Quorum [illegible] S. Job [illegible] expressit: Egestate, inquit, & fame steriles, & calamitate ac miseriâ squallentes; rodebant in solitudine & mandebant herbas & arborum cortices, & radix juniperorum erat cibus illorum.

1317. *Phala Lovanii strui cœpta.* Anno 1317. mense Aprili Phalæ textorum, [illegible] Lovanii strui cœptæ. Hallas vocant, [illegible] aut mercium receptacula. Annales referunt, eo tempore hîc fuisse bis mille & quadringentos textores, & [illegible] opus fuisse non minus, quam triginta, aut quadraginta hominum, qui lanam [illegible], qui [illegible], qui [illegible], [illegible] opera exercerent. Sed in [illegible] opus, cum [illegible] usui. Ex his [illegible] Lipsius, ex solo illo genere, ad sexaginta millia, & quod excurrit, in hac Urbe degisse.

Pomœrium Urbis prolatum. Porrò cum tanta hominum multitudo, ambitu Urbis vix comprehendi posset, necesse fuit pomœrium proferre, [illegible] undique circumdare, quod opus anno 1356. cœptum, quadriennio absolutum fuit, pedes [illegible] in circuitu complexum, [illegible] quinquies [illegible].

Quis credat, [illegible]? Unde hæc tanta turba hîc, ut cum [illegible] receptui signo [illegible] cæneret ad campanum, [illegible] publicè [illegible] rent, ne impetu [illegible] nesque [illegible], donec rursus [illegible] contulissent. [illegible] de plebe Lovaniensi, quæ [illegible] in flore, [illegible] præsertim in [illegible] Angliam, [illegible] honorum [illegible] & gloria [illegible]. Ita fuit olim Lovanium [illegible], multò [illegible] gloria & opum [illegible]. Juventus [illegible] populus, [illegible]. Qui plura volet, Lipsium legat in Lovanio, & Jo. Bapt. Gramaye.

Nec

Nec [illegible] debet, quod [illegible] & [illegible], non indiligentes 1323.
[illegible] silentio [illegible], videlicet, *Gravia Ioanni Duci vendita.*
[illegible] anno 1323. Oppidum suum
G[illegible] & anteces-
[illegible] Joannis Ducis, ejusque
[illegible] ab eodem Duce suo, ac
[illegible] beneficiario jure accepisse : idque con-
[illegible] Ludovici Imperatoris
L[illegible] prædium clientelare
c[illegible], ut jam relatum,
[illegible] Gel-
[illegible] a Ducibus Brabantiæ esset
[illegible] continua lix
inter [illegible], aliique Chrono-
lo[illegible]
[illegible]
[illegible] subjicio.
[illegible], Solum [illegible]
[illegible] propria & li- *Tabulæ venditionis Oppidi Graviæ.*
[illegible] cum omnibus
[illegible] Oppidum
[illegible], quod [illegible]
[illegible] Joan-
ne[illegible], & [illegible] Limburgi Ducis,
[illegible], & ad [illegible]
& [illegible], vel habemus
[illegible] perpetuum, nihil [illegible] oppi-
[illegible]
p[illegible]
de[illegible] fun-
do, [illegible],
atque [illegible], hære-
d[illegible], [illegible] singulis & universis
[illegible]
f[illegible]
[illegible]
[illegible] Brabantiæ ab
[illegible] subscriptum,
[illegible] propria voluntate, atque donavit.

 Et

Et nos de dicto oppido, [illegible], fundo, [illegible] & libertatibus sibi facimus hom[illegible], & [illegible] recipimus in feudum, cum nostro juramento sibi facto de hoc debito & [illegible]. In cujus rei testimonium, sigillum nostrum [illegible] Literis duximus appendendum.

His verò præmissis interfuerunt, Fl[illegible], Dominus de M[illegible]; Joannes Berthout, Dominus de Helment; Rogerius de Lenedale, Dominus de O[illegible] & Perke; Nicolaus de Dorne; Joannes de R[illegible], [illegible] de M[illegible]; Joannes M[illegible]uw[illegible], Dominus de M[illegible]n, [illegible], Milites; nec non Rodolphus de Pipenpoy, [illegible], tanquam fideles Domini Ducis, ex parte [illegible] specialiter vocati; quibus nos supplicamus, [illegible] Sigillum nostrum in signum [illegible] presentibus Literis appendant.

Et nos [illegible] Berthout, Dominus de M[illegible], Joannes Berthout, Dominus de Helmont, [illegible] de Lenedale, Dominus de [illegible] & Perke, [illegible] de Dorne, Joannes de R[illegible], [illegible] de Mes[illegible], Joannes [illegible], Dominus de M[illegible], [illegible] Rodolphus de Pipenpoy [illegible] de Cuyck [illegible] n[illegible] [illegible]. Datum Bruxellis in die [illegible] Beati Joannis [illegible], Anno Domini 1332.

Confirmatio Imperatoris. L[illegible] Dei gratiâ Romanorum [illegible] Augustus, nobili Viro Othoni de Cuyck, [illegible] [illegible] beneficia [illegible] [illegible] puritatem fidei & [illegible] [illegible] & gratia [illegible] Nobis & Imperio [illegible] [illegible] Cuyck [illegible] [illegible] quod idem Otho ab illustri Joanne Duce [illegible] [illegible] sunt

[illegible], & [illegible] testimo-nio [illegible], quas [illegible] super [illegible], & [illegible] Majestatis [illegible] communiri. Datum in Colonia [illegible] Martii anno 1314 Regni [illegible] undecimo.

Templum [illegible], quod Gravæ habetur, Divæ Elisabethæ [illegible], [illegible] Joannes Dux cœpit, [illegible] Sa-[illegible] S. Nicolai, cujus, ut vocant, collationem [illegible] sibi, [illegible] successoribus reservari [illegible] voluit.

[illegible] multò ante id temporis fuerat inter Joannem 1318.
Ducem, & Reinaldum Falcoburgensem tali de causa bellum. *Bellum inter*
Gerardus [illegible] Comes, post [illegible] conflictu [illegible], Reinal- *Ducem &*
dum [illegible] Dominum, [illegible] in arce Nidegia [illegible] *Falcoburgensem.*
[illegible]: Qui tandem, [illegible] pecuniæ summa, di-[illegible], [illegible], & [illegible] suo [illegible]-[illegible], [illegible] Trajecti [illegible].

[illegible] Trajecti, [illegible] resti-tui, [illegible] jubet [illegible] mo-[illegible] urgere cœpit: Quo compe-[illegible], Joannes Dux, bellum in eum [illegible] di-[illegible] imperavit. Inde in agrum Falcoburgensem ex-pulso [illegible].

[illegible] Anal- 1325.
[illegible], [illegible], [illegible]
[illegible] Reinaldus; [illegible],
[illegible] bellum a Joanne Duce [illegible]-
[illegible], [illegible], [illegible]
[illegible], [illegible], [illegible]-
[illegible], cum Bohemiæ [illegible] Joannes, anno
1314 [illegible] Margaretam, Joannis Ducis [illegible]
Brab[illegible] [illegible]-
[illegible] evaderet [illegible], [illegible],
[illegible] in [illegible], [illegible] 1326.
[illegible], vix [illegible] Adolphus [illegible] Leodiensis,
Wilhelmus Comes H[illegible], [illegible] Reinaldus Comes
Gelriæ, [illegible], [illegible]
[illegible] Victoria, [illegible]
[illegible] R-
[illegible] Joanni Duci [illegible], [illegible]- *Bellum in*
[illegible], [illegible] anno 1327 Falcoburgum *spem sopi-*

 Dux *tum.*

1327. Dux, iterùm lis cum in modum [illegible], ut [illegible] burgi muris, inter Bohemum & [illegible] concor[illegible], cæterum quæ inter Ducem & Falcoburg[illegible], [illegible] Bohemi componerentur. Indè Bohemus, cum Ducem [illegible]

1328. esset comitatus, ut filium [illegible] natum, è [illegible] idem, id temporis, per Ducem rogaretur, [illegible] Falcoburgi [illegible] finem faceret, moras trahebat. T[illegible] Nivellæ colloquio, cùm Dux sententiæ [illegible] spond[illegible] Bohemus, velle se, [illegible] ut muri Falcoburgenses diruti, [illegible] & Du[illegible],

Rursus recrudescit. iniquâ [illegible] commoverentur, d[illegible] haud levius. Dux enim [illegible] primo [illegible] 1329 vere, Mosam transiliit. Om[illegible] R[illegible]

1329. Falcoburgum, quatenus [illegible], [illegible], Dux [illegible] illud [illegible] impetum vertit. Tenebat tum [illegible], [illegible], Walramus filius, habebatque ad [illegible]

Falcoburgum deditum Duci. [illegible], qua [illegible] fortissime Oppidum propugna[illegible] [illegible] quieti tempus Dux [illegible], [illegible] [illegible] Oppidum [illegible] [illegible] pene enecti, [illegible]

Arx diruta. [illegible], [illegible] Oppidum [illegible] [illegible] interea in Galliam [illegible], Ga[illegible] [illegible] Du-cem, [illegible] def[illegible], [illegible], petebat, ut Falcoburgum à Duce [illegible] [illegible] Rex [illegible] mi[illegible] ejus [illegible], [illegible] [illegible]

[illegible] Duci Consilio [illegible], qui [illegible] [illegible] H[illegible] [illegible]

[illegible] ejus [illegible]

qu[illegible]

[redacted] 1330

1331

Rex Galliæ cum fœdere icto, bellum Duci indicit.

1332

tuer-

mortalium concurrerent, [illegible], in Duci[illegible] tamen castra [illegible] versus, perrex[illegible]. Qu[illegible] cum pacis cup[illegible] cognosceret, indè ad Gall[illegible], discessit.

Sed corum [illegible] prono [illegible] Ducem, atque indè [illegible]. Illo regressio, [illegible] Brabantiam, quæ Galliam spectat, [illegible], Oppidaque H[illegible], [illegible] Regionis [illegible].

Horum [illegible] Dux, ad co[illegible]nus [illegible] populatores frustra provocarit. Sed [illegible] tur utrosque cohortatus, [illegible] Regem [illegible], qui Brabantiam [illegible] jam [illegible] rat, finem [illegible], [illegible] eventus, [illegible] atque

Interveniente Comitis Hollandiæ pacta induciæ.

ejus generis [illegible].

Interim [illegible], [illegible] Johanna [illegible], [illegible], an [illegible] litum, id effecit, [illegible]

Cõit demum Pax, & affinitatis nexu firmatur.

Senis, ac [illegible] Comp[illegible] Rege [illegible] liscum, [illegible] cum in [illegible] Ducis filius [illegible] in matrimonium [illegible] Dux, Principem filium, [illegible] & [illegible] Sponsa, Rex [illegible].

1333\. Interea Anno proximo, qui [illegible], [illegible] bellum inter Ducem, [illegible] Comitem [illegible] cum, [illegible], [illegible]

Bellum ortum inter Ducem & Comitem Flandriæ, ob Machliniam

Annales, [illegible] Reinaldo Gelriæ [illegible], Oppidum Machliniæ [illegible], Leod[illegible], Hu[illegible], [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] Reinaldo [illegible] [illegible], quæ [illegible] M[illegible] & [illegible] Flandr[illegible] Dux [illegible] [illegible] Gelriæ [illegible] [illegible], [illegible], eque [illegible].

A[illegible] Ludov[illegible], [illegible] Reinaldum Gelriæ

Co-

Comitem, [illegible] auctorem, Joannes Bohemiæ Rex, qui [illegible] Ducem [illegible], ut [illegible] indicatum, Coloniæ ac Trevirenses Episcopi, ad hæc Hannoniæ, Hollandiæ, Juliaci, [illegible], Hornii, [illegible], Monjoye, & Bellimontis reguli, [illegible] Leodienses. Joanni Duci adfuere Navarræ Rex, & Dux [illegible] [illegible], ut quilibet a suo latere Brabantiam invaderet, & ne [illegible] quispiam reliquis [illegible] pacem cum Duce [illegible] Quin & [illegible] Ludovicus [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], ut Dux omnium [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. *Vix* [illegible] 1334
post [illegible] Duci, per feciales [illegible] bellum denunciarunt [illegible] Teneramundâ [illegible], Malinis Lovaniumque, [illegible] Aff[illegible] Mechliniâ [illegible], [illegible] Bruxellam [illegible]. [illegible] Dux [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Tenas [illegible] [illegible] Agro [illegible] [illegible]. [illegible] Agrorum Villarumque [illegible].

Anno [illegible] *Julius* [illegible] Meta [illegible] Brabantiæ [illegible], Rodâ [illegible] [illegible], [illegible] ab [illegible] parte [illegible] ad [illegible], [illegible] a, ut [illegible] Præfectum, *Joanne* [illegible], & Dominum [illegible], [illegible], [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] [illegible]. Unde Dux, [illegible] [illegible] Brabantiæ Flandriæque [illegible], cum Navarræum Regem [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] Hannoniæ [illegible], [illegible] vero à Gulielmo Comite [illegible], [illegible] Dux [illegible], [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] G[illegible] [illegible], [illegible] [illegible], Trajectum [illegible], [illegible] [illegible], [illegible] Rodæ [illegible], [illegible] Oppidum [illegible], [illegible]. Unde [illegible], [illegible] [illegible], ut [illegible] [illegible] [illegible] Rodæ [illegible] [illegible]. At illi dimissis [illegible], [illegible] prælium [illegible] [illegible], ut Dux [illegible], [illegible] [illegible] Leodienses, [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Mosæ [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] [illegible]. [illegible] D[illegible] [illegible], [illegible] Trajectum [illegible] [illegible] Brabantiam Du[illegible], [illegible], qui [illegible] venerant,

oc-

occurrit, cum quibus de transmittendo iterum Mosâ, varia consilia habuit; verum illi, cùm paci potius conciliandæ, quàm gerendo Bello advenisse se dicerent, omnia agebant, ut Principes in pacis fœdera convenirent. Verum præter inducias, nihil [illegible] potuit. Qu[illegible] [illegible]ntibus, Legati Gallorum R[illegible] Valesii, inter utrumque commeantes, effecere, ut Regis [illegible] arbitrio [illegible] omni[illegible] [illegible]menda permitteretur.

Legati de Pace componendâ missi.

Mox mense Augusto ejusdem anni 1334. Jo[illegible] Dux leges Cortebergenses comprobavit, adje[illegible], [illegible] Antverpiâ duos, unum [illegible] N[illegible] ad eum Conventum [illegible].

Dux Sanctiones Cortebergenses confirmat.

Ad [illegible], [illegible] per [illegible], ex sententiâ Ordinum legendos, quæsituros, an Judices [illegible] qui publicis funguntur Officiis, recte, an secus munus capessissent.

Inde [illegible] Septem[illegible] [illegible], [illegible] inter Joannem Ducem & [illegible], [illegible] Rex pacis leges [illegible] [illegible]

Leges Pacis inter Ducem Flandriæ.

1335. [illegible] Hollandiæ, [illegible], Geldriæque [illegible] : [illegible] Margareta, [illegible] puero, [illegible], Wilhelmo [illegible] ; [illegible], R[illegible] Reinoldi primogenito, [illegible]. De reliquo [illegible], ut Principes erga Ducem [illegible], [illegible] nullus deinceps [illegible] ; [illegible], in posterum [illegible]. Et [illegible], si ratam [illegible] Dux nollet, [illegible] & qui [illegible] [illegible]fenus; [illegible] Divæum, [illegible] Brabanticorum Scriptores, [illegible], [illegible], donec de [illegible], & [illegible] fide quoque [illegible], qui Mechliniam [illegible] [illegible]. Postea vero [illegible], Flandrorum[illegible] Comes [illegible] Calendas Aprilis

1336. 1336 [illegible], ut Mechliniam [illegible], [illegible] Scultetum [illegible] [illegible]. Qu[illegible] ad [illegible], D[illegible] Blaesbergium, [illegible] [illegible] Ma[illegible].

Ejusdem anni [illegible], [illegible] inter Philippum Valesium Franciæ, & Eduardum [illegible] Angliæ Reges, Bellum efferbuit,

Bellum inter Francum & Anglum.

buit, quod hoc fonte atque origine prorupit. Philippo, Longo dicto, quod staturâ procerior esset, Francorum Rege, sine liberis vitâ functo, Carolus IV. ejus frater, dictus Pulcher, ei suffectus est, desiitque vivere anno dum regnaret septimo. Ex tribus conjugibus, nullos liberos reliquit, præter fœtum regium, quem ferebat Joanna, illique dixit Tutorem Philippum Valesium patruelem. Mox partu in lucem edito, cùm deterioris sexûs is esset, Philippus Valesius Rex dictus est. Hinc Isabella Caroli pulchri soror, quæ Eduardo II. Angliæ Regi nupserat, evecto post obitum Patris in solium Eduardo filio, spem regni Francici animo concepit, utpotè, quod Eduardus solus ex stirpe regiâ esset, qui Philippum pulchrum, Avum maternum, proximo cognationis gradu attingeret; esse indubium, naturæ jure transire ad liberos [illegible] paternam, vocari ad successionem & ad hæreditatem [illegible], qui proximi, remotioribus exclusis. Eduardus igitur [illegible] Principe, ad Franciæ [illegible] se erigebat, idque [illegible], Oratores misit qui Regni suo Caroli defuncti coronam [illegible]; sed [illegible] benignè [illegible], re infectâ domum rediere. Mox [illegible] Regem Franciæ dicit, adjunxitque [illegible] filii, quo [illegible] titulo gaudent adhuc posteri. Intereà dum Eduardus rebus domi constituendis incumbit, Philippus Valesius eum evocat, ut de Aquitaniâ & Comitatu Pontivi qui erat [illegible] clientelam profiteatur. Eduardus, quamvis reluctante matre, profectus ad jurandam fidem ei quocum [illegible] de regno, Ambiani Rex venientem magnâ pompâ excepit; [illegible] Reges Bohemiæ, Navarræ atque Majoricæ, Proceres omnes, [illegible] nobiles tùm è Franciâ, tum è [illegible] opprobrium, quod [illegible] multos [illegible] obierunt. Cùm autem ad [illegible] clientelam [illegible], Philippo Rege in solio considente, [illegible] capite coronâ [illegible], [illegible] calcaribus jussus est ornatum [illegible], [illegible] accommodare; paruit, [illegible] penetravit contumelia, deditque fomitem [illegible] mox Francia. Tandem Bellum decretum, quod, ut [illegible] validiùs, Eduardus cum conterminis Principibus [illegible] coit, fœdus icit. In his fuêre Ludovicus cognomento Bavarus Imperator, Duces Brabantiæ, Gelriæ, Juliaci, Hannoniæ Comes senior ([illegible] junior Franco militabat) Coloniensis Antistes, [illegible]. Accessere quoque fœderi Plebs Flandrica Urbesque præcipuæ, studio

Eduardus Rex Angliæ dicit se Regem Franciæ

Eduardus Regi Francorum clientelam profitetur.

Fœdera utrimque inita

Jacobi Artevillæ, is Gandavi diù cerevisiam coxerat, eratque staturâ corporis firmâ & procerâ, magno animo, præfractâ audaciâ, & ad quodvis nefas intrepidâ, ob quas dotes, lato nomine in popularibus comparato, plebi acceptus erat. Ipse interim Flandrorum Comes Ludovicus ab Anglico fœdere erat alienior, utpotè Gallicæ domui connubio jam dudùm innexus. Nec Philippus in quærendis fœderatis segnior, Reges Bohemiæ, Navarræ & Scotiæ, Lotharingiæ & Britanniæ Duces, Comitem Palatinum, Episcopum Leodiensem, aliosque in suas partes pellexerat. Eduardo erant millia Equitûm quatuordecim, sexaginta Peditûm. Philippo Equitûm viginti octo, Peditûm quinquaginta, erantque sub signis quatuor Reges, Comites triginta sex, Vexilla Nobilium viginti supra ducenta, ut Europæ flos in id Bellum convenerit, quod tenuit annos centum & sexaginta. Nullum, inquit Æmilius, Anglico Bello atrocius arma Francorum exercuit, nullum diutiùs tenuit; nullum majore cruore contentioneque gestum; nullum crebriùs repetitum, neutris fœlix lætumque: rei Christianæ calamitosum, piis luctuosum, hostibus Religionis exoptatum. Urbium Arciumque obsidiones, oppugnationes, propugnationes, expugnationes, direptiones, incendia, clades, cædes, agrorum vastationes, alternantis fortunæ vices, & cætera hujusmodi, non describo, narrant ea prolixè Pol. Vergilius, Divæus, Mejerus, Heræus, & alii Chronologi, quorum Codices ea [illegible] implent.

Meminimus superiùs venditionis oppidi ac ditionis Mechliniensis, quæ erat facta inter Renaldum Gelriæ, & Ludovicum Flandrum: & eam ægerrimè tulisse Joannem Ducem, quod diceret eam partem, quam Gelrus vendiderat, suæ esse beneficii ac clientelæ, ad arma ventum, [illegible] tamen Galliarum Rex Philippus sese interponeret, Bellumque [illegible] finiret, [illegible]bus Ducis filiabus in [illegible] Gelriæ, Flandriæ & Hannonii filiis, ætatis adhuc [illegible] matrimonio promissis: atque postea inter Ducem & Flandrum conventum, ut Mechliniam [illegible] possiderent, ut supra relatum. Anno autem supra millesimum trecentesimum [illegible] sexto, mense Junio, [illegible] cum Ludovico Comite [illegible] in modum Dux [illegible], ut persolutis octoginta [illegible] aureorum [illegible], teste Mejero (Divæus [illegible] duntaxat 85500. [illegible]) totam Mechliniam obtineret, [illegible] a Pontifice Maximo impetraret solutionem Sacramenti ejus, quo se [illegible] obstrictus erat, Mechliniam oppidum

1346. *Dux emit à Comite Flandriæ partem quam Gelrus vendiderat.*

pidum

pidum, nunquàm à reliquâ Flandriâ avulsum iri. Verùm priusquàm Dux dictam summam adnumeraret, Ludovicus Comes excessit è vivis. Et demùm accedente nuptiarum Ludovici Malani, filii Ludovici Cressii, cum Margaretâ Ducis filiâ, supremâ solennitate, in plenum Brabantiæ Duci Mechliniam cessit Ludovicus, remissâ etiam pecuniæ summâ, quam anteà Pater stipulatus fuerat.

Finem anni quadragesimi septimi suprà millesimum trecentesimum excepit dira illa & multorum celebrata monumentis pestilentia, quæ spatio quinquennii ità immaniter desævit, ut vix tertiæ hominum parti vitæ usuram reliquerit. Præcesserunt eam crebra tetraque cœlestium luminum deliquia. Luna suæ lucis defectu laboravit: Quis dubitaret portendi hominibus acerbissimas miserias & calamitates 1347. *Dira pestilentia.*

> ——— *Solem quis dicere falsum*
> *Audeat? ille etiam cæcos instare tumultus*
> *Sæpe monet, fraudesque & operta tumescere bella:*
> *Ille etiam extincto miseratus Cæsare Romam,*
> *Cum caput obscura nitidum ferrugine texit.*

Etenim tanta est Dei in humanum genus benignitas, ut nunquam iræ suæ aciem distringat, quin de referendâ in melius vita, homines per prodigia, ultionis divinæ antecambulones, incussô impendentium calamitatum metu, hortetur. Hæc lues, per omnes Europæ oras divagata, Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam vicinasque Provincias passim suâ tabe infecit atque spissima funera cumulans, tantam florentissimis Regionibus vastitatem & perniciem intulit, ut urbes habitatoribus, agri cultoribus destituerentur, nec vivi efferendis mortuis sufficerent.

Florentiæ centena hominum millia in Ephemeridem relata refert Bocatius: Lubecæ nonaginta millia: Argentinæ 16000. periisse Chronologi alii tradunt, cum viginti quatuor horarum spatio mille quingenti vivis eriperentur. Cæsar-Augustæ in Hispania, mense Octobri in rationem Libitinæ trecenta quotidiè funera venisse, tradunt Scriptores Hispani. Fasti domestici memorant, his in terris plurimos mortales stantes, euntesque per vicos concidisse repentè extinctos. Hoc eodem anno Joannes Dux acerbissimâ affectus est ægritudine ex obitu filii unici Henrici Limburgi Ducis, qui mense Novembri præcoci fato raptus est. Ejus sororem natu minorem

Filiæ Joannis Ducis illustribus Principibus elocatæ. Reinaldus Gelriæ Dux uxorem habebat. Nam Joanna post mortem Guilielmi Hollandiæ Comitis, à Frisiis anno Christi 1346. cæsi vidua, quæ filiarum Joannis Ducis maxima natu erat Wenceslao Lucenburgensium Duci, Regis Bohemiæ Joannis, qui in prœlio Cressiacensi occubuit, filio nuptui data, eidem postea, defuncto Joanne patre, Brabantiæ Ducatum doti attulit. His illustrissimis Wenceslai nuptiis, filiæ suæ Joannæ, totique Brabantiæ Ducatui optimè consultum censuit Joannes Dux, utpotè, qui præcipuos orbis Christiani Principes ac Dynastas sanguine, aut affinitate contingeret; præsertim cum & reliquas ejus filias Margaretam & Mariam, hanc quidem Gelriæ Dux, illam verò Ludovicus Malanus Flandriæ Comes, conjuges, ut memoratum, accepissent.

1349. *Terræ motus.* Mox anno qui proximè est insecutus 1349. incidit horriblis ille terræ-motus, qui non modò Italiæ & Pannoniæ aliquot Civitates concussit, ut ædificia passim prosternerentur! sed & Germaniam inferiorem quatiens, inter cætera Juliacum, Gelriæ vicinum oppidum, ab imis succussum fundamentis, evertit: primò aër diro cæpit ululatu strepere, vitreæ totis ædibus fenestræ concuti, parietes tremere, tecta collisis tegulis crepare, deindè ædificia vacillare, edita domorum fastigia præcipitari, ipsa murorum fundamenta, dehiscente terrâ, in profundum desidêre. His cladibus afflicti plerique mortales, publicam noxarum expiationem obibant, precibus, lachrimis, flagris sibi inflictis, ad templa supplices accurrebant, Dei misericordiam implorantes. A quibus orta fuit secta Flagellantium, brevi tempore per orbem Christianum longè lateque diffusa. *Secta Flagellatorum.* Hi semiundi incedentes, à fronte & à tergo crucibus rubris erant signati, capita cucullo, verenda linteo operiebant, flagris se ad sanguinem usque cædebant. Nemo in consortium recipiebatur omnino inops: nemo nisi peccata sua confessus penitentiamque professus. Cœpit se illis jungere ex omni ordine & ætate magna hominum colluvies, & in his extorres, seditiosi, decoctores, adulteri, scortatores, & qui ære alieno immersi, foro cesserant: nec rejicebantur fœminei sexûs adulteræ & scorta, aliique flagitiis infames. Asserebant inter alia, si quis se ipsum incessêret, ac eam flagellationem per dies triginta tres continuasset, omni crimine esse purgatum, omnemque illi culpam ac pœnam remissam: ut Cybeles olìm illi Sacerdotes, quibus proprium gestamen erat flagrum, pecuinis ossibus catenatum, quo se eò usque verberabant, dùm solum, sanguine madesceret, ut est apud Apuleium. Porrò hæc flagellantium societas, postquam in has Belgii oras devenisset,

effudit

effudit se exindè in Gallias, & regiones vicinas. Ubi postremò, quod absque publicâ Pontificis authoritate esset cœpta, edicto Clementis VI. summi Pontificis sublata fuit. Libet hæc claudere verbis Crantzii, qui Vandaliæ suæ libro octavo, ità de his loquitur: Secta flagellatorum vehementer increvit per Provincias, incertum quo auctore primùm instituta, nisi illo, qui cæteris non vigilantibus, traditur Evangelio superseminasse Zizania.

Apud Anglos Eduardus III. anno 1350. Ordinem Equitûm Garteriorum, sive tibialis Fasciæ, divo Georgio, bellatorum Præsidi, sacrum, instituit. Sunt numero sex & viginti, horum Princeps Rex Angliæ: utuntur pallio cœruleo, crus sinistrum paulò infrà genu, corrigiâ fibulatâ, gemmis & auro illusâ cincti, à quâ corrigiâ nomen Ordini inditum, Garter enim Anglis Ligaculum dicitur. De causâ autem instituendi Ordinis omninò ambigitur. Credit tamen vulgus, originem ejus deberi tibiali Fasciæ Comitissæ Salisberiensis, casu è tibiâ ejus lapsæ, protinusque à Rege Eduardo sublatæ, Quam vulgi opinionem firmare videtur, & titulus equestri isti fasciolæ aureis litteris inscriptus verbis Gallicis: *Honny soit, qui mal y pense*, id est, vituperetur, qui malum cogitat. Similem haud multò pòst Ordinem, qui Stellæ, seu Equitûm Stellatorum est dictus, sub annum, qui fuit millesimus suprà trecentesimum quinquagesimus primus, Lutetiæ Parisiorum Joannes Galliarum Rex in æde divi Audœni instituit. Cujus exindè fœderis equites signum stellæ, regiâ coronâ redemitæ, in togâ, chlamyde, vel galero præferebant: fortè in memoriam novi ejus sideris, quod sub natalem servatoris Christi mundo præluxit, Magos ab Oriente ad natæ salutis incunabula viæ sese ducem præbuit. Effulsit eodem hoc circiter tempore in aquilonari cœli parte Crinitum sidus, quod, ut feralem ab alto facem protulit, flammeis cælum radiis flagravit, ac simul excussi in terram igniti globi: mox exorta maxima ventorum vis, quorum violentia multas passim turres & ædificia stravit, arbores & vicos evertit. Erupit tùm quoquè à Septentrione, fœdus vaporum Spiritus, qui infecto cœli tractu, multa hominum funera cumulavit, præsertim cum enata bestiolarum agmina, sata & fruges immani voracitate depopularentur.

1350. Institutio Ordinis Equitûm Periscelidis in Anglia. 1351.

Ordo Equitum Stellatorum in Gallia.

Cometes.

Ingens ventorum vis.

Pestilens vaporum exhalatio.

Nec hic stetit malum, alia ex aliis nascuntur, sibique alternis vicibus succedunt; siquidem pluribus per idem tempus locis, terram quassatam intimisque concussam penetralibus notant Chronologi, & inter cætera Basileam, claram Helvetiorum urbem adeò succussam vibratamque, ut omnes tantæ urbis structuræ, ruinis

Terræ motus.

deformatæ, suam lugere perniciem viderentur, addunt, extra ejus pomœria arces aliquot funditus in ruinam datas.

Basilica Bruxellensis extructa sub Ioanne Duce.

Sub hoc Principe, Gramaius conditam vult Basilicam Bruxellēsem, sed annum non exprimit, cujus verba libet adscribere: in editiore urbis parte palatium suum Princeps habet, inchoatum à Ioāne 3. renovatum perfectumq; à Philippo Bono, auctum à Carolo V. renovatum denuò à Serenissimo Archiduce Alberto. Ad latus Palatii nemus est & labyrinthus, á Burgundis Principibus adornata, a Senatu coëmptis aliquot hæreditatibus muro cincta, ubi feris, piscibus, volatilibusq; asservandis, itemque obambulationi, pilæ ludo, epulis sua sunt loca deputata.

1354. *Ducis morbus.*

Cæterùm Joannes Dux, domo suâ illustrissimarum filiarum suarum connubiis firmatâ, rebusque circumquaque ritè constitutis anno Christi quinquagesimo quarto supra millesimum trecentesimum, invaletudine tentari cœpit, eaque ingravescente, Lovanii in comitiis Ordinum diu deliberatum fuit, cui imperium regionis, si quid ei humanitus accideret, deferretur; cum ut ante monuimus, defuncto postremum Henrico filio, masculæ stirpis liberos superstites non haberet. Solæ supererant filiæ, quarum maximam natu Joannam Wenceslaus, Lucenburgensium Dux, filius Joannis Bohemiæ Regis, ac frater Germanus Caroli IV. Romanorum Imperatoris, uxorem duxerat; Maria Reinaldo Gelriæ Duci, & Margareta Ludovico Malano Flandriæ Comiti, a[illegible] Gallorum Rege Philippo Valesio, obtigerat.

Obitus Ducis Ioannis.

Tandem assensu omnium Wenceslaus, Gelro Flandroque prælatus est.

Et anno statim insequenti, Joannes Dux, cum fatalem sibi diem imminere cerneret, demandata Wenceslao Republicâ, commonitisque Ordinibus, ut ei u[illegible] ejus fidos se deinceps præberent, Nonis Decembris 1355 [illegible] concessit, ætatis anno quinquagesimo quinto, Principatus verò quadragesimo tertio, conditus in Cœnobio Villariensi, Cisterciensis Ordinis. Ejus obitu haud levem jacturam fecit Brabantia. Erat siquidem prudens ac providus, sagax in ponderandis aliorum consiliis, suis obtegendis, bello strenuus, in adeundis periculis imperterritus, hosti formidabilis, justitiæ observantissimus, & qui minime ferret à potentioribus inopes, aut tenuioris fortunæ quempiam injuriâ affici: Calumniatores, Ardeliones, Assentatores, & id hominum genus, odio plusquam vatiniano prosequebatur.

Ejus Dotes.

In epulis tricliniòque instruendo ità erat magnificus & splendidus,

dus, ut vix parem inter ævi sui Principes haberet. Quod verbo, aut syngrapho pollicebatur, inviolabili fide & quâdam religione præstabat. Elugenda est vitæ brevitas, quæ felicitatem Brabantiæ tam citò rapuit.

WENCESLAUS & JOANNA,

Duces Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgi & Luxemburgi, Marchiones S. Imperii, Comites Hannoniæ, Hollandiæ & Zelandiæ, &c.

JUstis Joanni Duci solutis, depositoque, ut memoratum, in Cœnobio Villariensi ejus funere, salutatus exindè est Brabantiæ Dux Wenceslaus, Lucenburgensium Dux, Regis Bohemiæ Joannis, qui in prœlio Cressiacensi occubuit, filius, ac Caroli IV. Romanorum Imperatoris frater germanus. Hic Joannam, post mortem Guilielmi Hollandiæ Comitis, anno 1345. à Frisiis cæsi, viduam, quæ filiarum Joannis III. Brabantiæ Ducis, maxima natu erat, uxorem duxit. Ei, cum Joannâ Lovanium profecto, mox tertio Nonas Januarii, anni, qui fuit millesimus, suprà trecentesimum, quinquagesimus quintus, Ordines patriæ Sacramentum fidei & obsequii dixêre: & ipsi vicissim jurati se universa & singula privilegia, jura, immunitates, ac consuetudines Reipublicæ sartas tectas servaturos: singulari gratiâ & favore novo quoquè indultis & prærogativis, eadem exornârunt auxeruntque, datis eâ de re codicillis hujusce propemodùm exempli ac sententiæ.

1365. Wenceslaus & Joanna ejus conjux in Duces Brabantiæ inaugurantur.

Joanna Dei gratiâ, Ducissa Lucenburgensis, Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgi, ac S. Imperii Marchionissa, & Wenceslaus Bohemus, Dei quoquè gratiâ earundem Provinciarum Dux, ac Marchio S. Imperii ejus conjux, ac legitimus tutor. Universis præsentes Litteras visuris, aut audituris, palam constare volumus. Quoniam æquum & rationi consonum est, prodesse & gratificari iis, qui Principibus fidem suam, operam studiumque probârunt. Nos consideratis & expensis compluribus & fidelibus meritis & officiis, quæ dilecti ac fideles subjecti nostri Ducatûs Brabantiæ;

Pactiones inaugurales.

tiæ, Domino & patri nostro, plurimùm colendo, nostrísque Majoribus piæ memoriæ, sæpenumerò benignè & favorabiliter præstiterunt, & præstituros deinceps confidimus, prout fidos cives decet: eis, ex liberali affectu, & peculiari gratiâ donavimus & donamus in inauguratione nostrâ, nostro posterorumque nostrorum nomine, capita, ejusmodi qualia inferiùs descripta, quæ promisimus, & conceptis verbis juravimus nostro nomine, hæredum & successorum nostrorum, servaturos, rataque habituros, neque ullo modo infringi passuros.

1. Ac primùm quidem spondemus municipibus & bonis subjectis nostris, sororibus nostris attributuros ejusmodi bona, qualia ipsi arbitrabuntur, nunquàm à corpore Brabantiæ sejungenda.

2. Ad hæc promittimus, tabulas & monumenta privilegiorum, ad carissimum Dominum & Parentem nostrum, religiosæ commemorationis, Nosque & Rempublicam spectantia, quæ nunc Lovanii condita sunt, quæque Nos & Respublica nanciscemur in posterum, sub tutelâ Urbium Brabantiæ mansura, communi regionis bono & commodo; neque ea indè amoturos, absque voluntate & assensu earundem Urbium: Eaque tribus clavibus asservaturos, quarum una in nostrâ, altera in Lovaniensium, tertia in Bruxellensium erit potestate: ità ut uni absque altera, sed ea non patet aditus. Fasque erit cùm Nobis, tùm Urbibus eorundem Privilegiorum exemplum, in nostrum, ac earum usum exhibere

3. Porrò promittimus, nunquàm Nos obstricturos, citrà Urbium & Reipublicæ placitum & assensum ad hæc tabulas, aut codicillos ullos obsignaturos majori Sigillo nostro, quibus ditionibus, aut finibus Brabantiæ, cis ultraque Mosam, aliquid, quocumque pacto decedat, aut detrahetur. Idque Sigillum volumus asservari sub tutelâ urbis Bruxellensis, tribus itidem clavibus, uti superiùs memoratum est de Privilegiis jam Lovanii depositis.

4. Pollicemur insuper, neminem in Concilium nostrum juratum cöoptaturos, nisi virum probum, in Brabantia ex justis nuptiis natum, ibidem incolentem & prædictum. Ditionesque nostras Limburgum, Dalhemum, Spremontem, Rodam & Carpos, cum omnibus eo spectantibus, tutas Brabantiæ præstituros, inque ejus potestatem tradituros, quandocumque usus flagitârit, datis idoneis cis Mosam prædibus: neque alio præsidio munituros, quàm Brabantorum, aut earundem ditionum incolarum, qui datis similiter, citrà Mosam, justis Sponsoribus, Nobis & Reipublicæ cavebunt, eas ullo pacto à corpore Brabantiæ fore separandas.

Quod

Quod pari etiam ratione cum Hoesdinensi ditione, arce ac oppido fiet, similibus præsidiis muniendo, & de securitate cavendo: atque insuper Wassenburgum Brabantiæ rursus annexuros, uti par est.

5. Ad hæc spondemus, præstituros, ut ipsis fas sit pacatè navigare & commeare per quascumque Regiones soluto vectigali sueto, tanquam absolutis à debitis & chirographis à Nobis, aut Decessoribus nostris contractis, aut signatis, aut deinceps contrahendis subscribendisvè cum publico detrimento, citraque Urbium ac Reipublicæ assensum; de quibus, deque omni prorsus damno, subjectis nostris cavebimus, juxtà argumentum tabularum Gallicarum.

6. Dolo malo procul amoto, vias omnes publicas eatenùs tutas & securas præstituros, quatenùs id nobis incumbit, ut unusquisque, quàvis vice meare & remeare possit, justo persoluto telonio. Exceptis casibus æris alieni, Chirographi, multæ, aut noxæ, quâ quispiam se obstrinxisset.

7. Promittimus prætereà, Ditiones integras & indivulsas servaturos, neque eas pignori oppposituros, aut quocumque pacto abalienaturos. Insuper hæc Nos Wenceslaus, post obitum dilectæ conjugis nostræ Joannæ Ducissæ, eas indivisas, non imminutas, aut distractas Hæredibus Brabantiæ transmissurôs, excepto Nobis dumtaxat usu fructu; si Joannam sine prole priorem emori contingat.

8. Pollicemur Nos Pacem, vernaculè dictam *Landt-vrede*, in omnibus suis Capitibus, interposito Jurejurando, servaturos.

9. Recipimus pariter Nos Ducissa Duxque sanctissimè observare pacta cum Brabantiæ Urbibus invicem conventa, uti & fœdus cum Diœcesi Leodiensi percussum.

10. Bellum nunquàm suscepturos, neque pignerationem facturos, aut fieri permissuros, insciis & non consentientibus Urbibus Brabantiæ, nisi Nobis bellum prius motum, aut pigneratio facta esset: idque intelligendum, quatenùs parens noster felicis recordationis, Ditiones suas possidebat cis ultraque Mosam.

11. Spondemus Prætores, quos deinceps creabimus, ipsos Præturam obituros, camque elocari, aut jure cesso transcribi, non laturos.

12. Neminem in Brabantia captum, inde captivum avehi permissuros.

13. Nummum procudi non curaturos, aut ei auctoritatem daturos, absque Urbium communi consilio: & si contingat illum publicè exponi, monetalis fabricæ præfectum corpore fortunisque culpam luiturum absque ullâ dilatione; neque aliud ejusdem notæ numisma, typo nostro, percussuros, aut percuti curaturos, sine evidenti signo, quo unum ab altero dignosci valeat; nec alibi, quàm in Urbibus liberis, cusuros; eique nummo pretium & æstimationem indituros ex præscripto tabularum Gallicarum sæpius memoratarum.

14. Neminem in ordinem Senatorium allecturos, Drossardum, aut juridicum in Brabantia dicturos, aut Præfecturis præpositūros, nisi ex justo legitimòque toro natum: atque quotannis Drossardum, Majores, Ammanos, Baillivos & Schultetos commutaturos.

15. Insuper promittimus, quotannis quæstionem habituros, nomine totius ditionis, omnesque juridicos singulis annis gestorum rationem dicturos, eâque redditâ Magistratu abituros: eamque in Urbem secessuros, in qua jus dixère aut Magistratum gessère; ac Lovanii coram duobus è Magistratu; atque in aliis quinque Urbibus primariis, coram duobus Scabinis, obligaturos se inde non recessuros mense solido. Deindè per singulas parœcias illius territorii, in quo munus administrârunt, promulgaturos, ut unicuique liceat de illata sibi iniuria conqueri, quam si apud æquum judicem, neutram in partem propensum, probare potest, id, quod illi iniquè ablatum fuisse comperietur, ex ejusdem juridici facultatibus confestim restituturos, aut earum defectu, eatenus attinebitur, donec rem rependerit. Cæterùm inquisitores, auditis querimoniis primo anno convenient Lovanii, proximo Bruxellæ, & ita vicissim in perpetuum, in eoque conventu interposito Sacramento, ex fide referent ab se comperta, eâque sumtibus nostris æstimabunt intra quatuordecim noctes. Si vero contingat illos in censendis multis nostris, inter se dissidere, alios duos viros bonos ad eam rem assumemus, qui dicto Sacramento, dependendam nobis pro noxa multam æstimabunt, iisque summam tribuimus potestatem adigendi nostro nomine ad jusiurandum, qui de injuria queruntur, & quicquid illi decernent, nobis auctoribus utentur. Quod si verò aliquis, necessitate cogente, huic muneri operam navare non possit, in ejus locum substituetur alius ejusdem oppidi, cujus is civis est. Qui insontes reperti erunt, officiis suis reddentur, si nobis libet; qui vero multam incurrerunt, eâ in Urbe attinebuntur, aut sponsore

cave-

caveбunt; de mulæ luitione: Hæc porrò inquisitio capiet exordium die proximo Divo Joanni Baptistæ sacro, & sic deinceps annuatim in perpetuum. Et si contingeret Juridicos testibus, aut questori minas intentare, negotiumque facessere, & de eo liquidò constaret, hujusmodi Juridici corpore fortunisque multabuntur. Porrò enuntiamus mentem nostram esse, ut quæstor noster ærarius, ac Drossardus Brabantiæ huic inquisitioni intersint, primo anno Lovanii, anno insequente Bruxellæ, & ita deinceps quotannis perpetuò.

16 Si in memorata Provincia aliqua oriatur contentio, aut pugna, omnes culpæ exsortes firmâ solidâque pace fruentur à tempore exortæ contentionis, aut pugnæ, usque ad meridiem diei insequentis, & si quis interim aliquid committet, eum pacis infractorem pronuntiamus.

17. Promittimus homicidas lare & patriâ non donaturos, nisi cum interempti consanguineis in gratiam redierint.

18. Si quis ex provincialibus Brabantiæ, Hoesdenæ, aut ditionis trans-mosanæ, consultò & animi destinatione quempiam extra fines regionis ad monomachiam provocaverit, aut compellare præsumpserit, nec illi noxæ gratia sit facta, ei necis & fortunarum omnium multam dicimus, haud secùs ac si hominem interimisset, eique solum patrium perpetuò interdictum volumus: si verò ad larem revertatur, tanquam in nefarium & sceleratum jus dicemus.

Similiter, si quis ex municipibus nostris concivem suum extra regionem in jus trahet, eadem pœnâ obnoxium edicimus. Cæterùm impertimur & concedimus, quod nemo indigenarum extra ditionis fines in jus vocari possit, quacumque demum ex causa, exceptis dumtaxat causis testamentorum, pactorum matrimonialium & piarum donationum: Qui secus fecerit, pœnam bonorum & corporis incurret, neque eum patrio solo unquàm restituemus.

19. Extorres & relegatos ob sedtiones, homicidia, furta, aut stupra, in perpetuum à Brabantia exulare jubemus.

20. Si ingenuæ feminæ, aut virgini, reluctanti, vis illata sit, eáque non nolens cum stupratore cohabitet, res omnes mobiles Nobis committet; res verò soli catenùs, quoad vivet, quæ post ejus obitum ad hæredes resident. Si verò à viro quocum consueverat, se abstraxerit, bonis suis universis utetur fruetur. Stupratorem autem qui tali flagitio se implicuit, capitali pœnâ & bonorum multâ damnamus. Parem pœnam decernimus in eum, qui virginem impuberem rapuerit.

21 Concedimus ad hæc, quod nemo vulneris, aut homicidii arcessi poterit, qui paratus est innocentiam suam probare, crimenque à se amoliri, donec judicio sit convictus.

22. Promittimus præterea, quod omnes & singuli in postrema inquisitione à Duce Parente nostro, venerandæ commemorationis (cujus animæ Deus sit propitius) intimata ac habita, nomine universæ regionis, judicio multati, absque ullâ condonatione damnati manebunt, nosque præstituros unicuique quod sibi adjudicatum est.

23. Terras, oppida, municipia, ditiones, aut arces bello quæsitas & subactas, Brabantiæ in perpetuum annexuros, nec ab eâ ullo pacto, avulsuros.

24. Petentibus contiguos inter agros limites constitui, tàm adversus Nosmetipsos, quàm alios, eorum postulationi spondemus subscripturos.

25. Cœnobiorum omnium privilegia & tabulas, cujusmodi à Domino Parente nostro, ejusque Patre, ac Majoribus nostris (quorum animabus Deus sit propitius) consignatas habent, ratas ac fixas habituros, & in perpetuum servaturos.

26. Municipes Brabantiæ Antverpiam in jus non evocabuntur, neque juxtà ejusdem Civitatis leges & statuta condemnari poterunt, nisi priùs judicio convicti.

27. Clientibus ad homagium S. Petri pertinentibus, jura sua servaturos, eosque habituros prout ab antiquo factum est.

28. Lite inter duos Laïcos ortâ, de bonis in Brabantia sitis, eâque dijudicatâ; Si is, qui causâ cecidit, Clerico jus suum transcribit, ut adversario apud extraneum Judicem negotium facessat, capite & bonis multator.

29. Unicuique fas erit prædia sua canibus, unguibus non truncatis tueri, absque ulla offensa: Et si contingat feras a canibus morsu necari, aut lædi, jubemus feram derelictui haberi; si verò à canibus adedatur, culpæ exortes edicimus. Ad hæc indulgemus, ut unusquisque Lepores Vulpesque totâ Brabantiâ, sine reprehensione, venari possit.

30. Viris equestris ordinis, militibus, municipibus & incolis Urbium Brabantiæ, ferarum nobilium venationem concedimus, præterquam in Sylvis & roboretis, quæ enumerabuntur Codicillis hâc de re edendis.

31 Qui Capellæ montium, Hulpæ, aut Merchtenæ incolæ cives recipiuntur, curabunt in commentarium referri annum & diem suæ

uæ receptionis, & nihilominùs erunt obnoxii oneribus ac consuetudinibus perindè ac si cives non essent.

32. Baillium Gallo-Brabantiæ, cum Actuario, omnibusque Officiariis, qui illi subsunt, ex solis indigenis constituemus: Curiamque Genapiensem nil laurabimus, ut petentibus jus, uti assoletj, dicatur.

33. Denique promittimus & juramus, Nos firma ac rata habituros, omnia & singula privilegia, immunitates, jura, ac tabulas, præsertim Cortebergenses & Gallicas, aliasque, consuetudines, veteresque usus, ac privilegia, quæ Urbes, municipia, Cœnobia, ditioque Brabantiæ donata & consignata habent & usurpant. Et quoniam omnia ac singula jam memorata capita, statuta ac privilegia intemerata & absque fraude in perpetuum servari volumus, Deo teste spondemus & juramus, nostro nomine posterorumque nostrorum, Nos omnia & singula capita, indulta, confirmationes, aliaque quæ hisce pactis continentur, perpetuò rata atque inviolata habituros. Etsi contingat Nos, hæredes, posterosve nostros, quid hisce contrarium committere, aut moliri, subjectos nostros, eousque obsequio ac fide ergà Nos posterosque nostros solutos edicimus, dum ea in pristinum statum sint restituta. Ad firmandam fidem, consignavimus has literas appenso sigillo nostro, inque ulteriorem firmitatem ac certitudinem, rogamus & rogavimus Proceres nostros, ut & ipsi sigillorum suorum munimine ea quoque roborent.

Quorum nomina erant, Theodorus ab Horne, Dominus de Peruweys & de Cranenborch; Henricus de Berthout D. Dussele, Vorselariæ, & Vicecomes Geldoniæ, Joannes de Bouchout; Bernardus D. de Bourgvael, Drossardus Brabantiæ, Equites. Datum Lovanii tertio Nonas Januarii, anno à nato Christo quinquagesimo-quinto, supra millesimum trecentesimum.

Mox annus qui præcedentem est insecutus, qui fuit millesimus trecentesimus quinquagesimus sextus, à Flandria turbarum sequentis atque belli enascitur. Ludovicus Malanus, Flandriæ Comes, post obitum Joannis III. Brabantiæ Ducis, soceri sui litem veterem, etiam ante diremptam, instauravit contra Wenceslaum ejusque conjugem Joannam, obtendens Mechliniam sui esse juris, quod Brabantiæ Dux Joannes pactorum fidem non præstitisset & decem præterea aureorum millia annua, doti uxoris suæ Margaretæ dictæ, non repræsentasset; & eadem quoque solvere Wenceslaus recusaret. Hinc Ludovicus magnis delectibus totâ 1356. *Ludovicus Malanus Comes Flandriæ litem de Mechliniaredintegrat & hinc ad arma procursum.*

 Flan-

Flandriâ habitis, Gandavenses, Brugenses & cæteras Flandriæ præfecturas in arma excivit, ac in Brabantiam irruens, omnia latè populationibus vastat. Wenceslaus expeditionis famâ excitus, instructis copiis occurrit, & haud procul Bruxellâ, ad Scotam (ubi tunc Carthusiense cœnobium) infestis armis concursum est 17. Aug. 1356. At Wenceslaus re improsperè gestâ, victus & profligatus est, multis suorum partim cæsis, partim Zennâ amne absorptis. Notatus ignominiâ à parte Brabantorum Ascanius, quod ad primam Flandrorum impressionem, vexillum Ducis, sub quo copias militares ductabat, ignavè abjecisset, ac præcipitem in fugam effusus, reliquos secum traxisset. Hinc Bruxella, Lovanium, Nivella, Leveacum, Thenæ, aliaque loca, levi, aut nullâ ferè oppugnatione victorem admiserunt.

Brabanti à Flandris juxtà Scotam caduntur.

Indè Ludovicus totam ferè Brabantiam sibi asseruit, ac titulum nomenque Ducis assumpsit. His peractis, urbibusque firmo præsidio munitis, regreditur ovans in Flandriam. Mox Bruxellensium fides in paucis enituit, qui, ut eam spinam revellerent, auctore Everardo Serclasio, Joannis Antistitis Cameracensis fratre, viro impigro ac magnanimo, correptis 24. Octob. armis, Ludovici imperium excutiunt, præsidiarios aggrediuntur, partim depellunt, partim obtruncant; atque ita in potestatem Ducis redeunt. Indè anno proximo, qui fuit millesimus trecentesimus quinquagesimus septimus, inter Wenceslaum Ducem & Ludovicum Comitem de pace agi cæptum est; cum omni studio ac industriâ promovebat Gulielmus Comes Hollandiæ & Hannoniæ. Igitur Athæ oppido Hannoniæ in eas leges conventum est: Pax inter utrosque perpetua esset; captivi utrimque sine pretio dimitterentur; bonis pulsi tempore belli restituerentur: Comes præsidium Afflighemio deduceret, & Monachos suis sedibus restitueret: Urbes Brabantiæ à Sacramento sibi præstito absolveret: Lovanienses, Bruxellenses, Nivellenses cum Thenensibus singulis annis Comiti, dum viveret, earum urbium impensis, per senas hebdomadas militarent, singuli propriis vexillis, numero vero XXV. virorum: Comiti, quoad viveret, Ducis Brabantiæ titulo, Baronum utriusque consilio assumpto, uti liceret: Eidem Duces Brabantiæ Mechliniam pro belli sumptibus cederent. Margaretæ Comitissæ Antverpia, cum vicis [illegible], Wilrica, Berchemo, Orcro, Vilmerdonga, Scadebroucq, Liloa, Berendracq, Burgerto, Santfleto, Seila, Dorne & Wyngemo, dotis nomine assignarentur, eâ tamen conditione, ne quid de privilegiis Antver-

Comes Flandriæ totam ferè Brabantiam sibi asservit, titulumque Ducis assumit.

Bruxella jugum Flandricum excutit.

1357.

Pacis conciliandæ Leges.

pienſium mutaret minueretvè Comes. Beneficio Ducum Brabantiæ hæc Comes poſſideret: Marchiæ Sacri Imperii titulus penes Duces remaneret. Munitiones in Aſcana terra à Comite ſtructæ, diruerentur. Hoſdenam Duces Guilielmo Comiti, hujus pacis arbitro concederent. Acta hæc quarta Junii, ſecundum Divæum. His peractis, Ludovicus & Margareta Antverpiam profecti, Sacramenta à civibus exegerunt. Interim Mechlinienſes urgebant Comitem, ut promiſſas initio belli ſtapulas, ipſis concederet. Obſtabant Antverpienſes, rationibus antea commemoratis. At Comes armatâ manu urbem ingreſſus, abductiſque Primoribus, compulit eos ſuæ voluntati abſecundare, chartaſque omnes, quas in archivis haberent, eò ſpectantes, ſibi tradere. Atque indè ſtapulæ jus Mechliniam tranſtulit.

Hoc ipſo, de quo agimus anno 1357. Lovanienſes in prœlio, quod adverſus Flandros propè Santfletum depugnrâunt, Bombardis triginta duabus numero primò uſos, & *Donder-buſſen* appellaſſe, refert Haræus, annotante Divæo. Tormentum eſt bellicum, quod à bombo, ſeu ſonitu, & ardeo, vocant. De inventione video variare ſcriptores. *1357. Lovanienſes primo uſi bõbardis.*

Polydorus Vergilius lib. 2. de invent. rerum C. 11. à Bertholdo Schwartz, ſeu nigro, homine germano, chymicæ artis perito inventum tradit, ejuſque uſum Venetis in illo bello primùm oſtendiſſe, quod ad foſſam Clodiam cum Genuenſibus, anno 1380. eſt geſtum. Hieronymus Zeiglerus in illuſtrium Germaniæ virorum hiſtoria, memorat Bertholdum iſtum fuiſſe monachum, profeſſione Franciſcanum, machinæque iſtius fabricam circa annum 1354. excogitaſſe. *Varia ſententia de bombardarum inventione, earumq; primo uſu.*

Raphaël Volaterranus lib. 30. Comment. Urbanorum, eadem de re [illegible] verba loquitur: loco Onagri, ſimul & A[illegible], æreas machinas, quas ex ſonitu Bombardas appellant, ingentis ponderis ſaxa, igni [illegible], evomentes habemus, quæ [illegible] machina, primum à G[illegible]s dono Venetis data, [illegible] apud Clodiam foſſam Genuenſes obſiderent. Platina in vita Urbani VI. hujus nominis Pontificis Summi, qui in Pont[illegible] electus eſt, anno ſalutis humanæ 1378. hujus Pontificis tempore, prœlio, quod post captam Clodiam, inter Venetos & Genuenſes pugnatum eſt, Bombardam primùm inventam, & in bellicos uſus converſam, ſcriptum reliquit: nullamque ait ſcapham Venetorum, nullum lembum fuiſſe, qui non duas bombardas, & [illegible] amplius haberet. Verum quisnam mortale hoc fulmen, primò procudere auſus ſit,

nullus

nullus est, qui litterarum monumentis liquidò testatum reliquerit, quod optimâ ratione factum censetur: quandoquidem qui tot malorum, quot hodie videmus, viderunt superiora secula, omnisque visura est posteritas, causam præbuit, & totius quasi orbis necem accersivit; indignus fuit, qui per hominum ora volitaret. Porrò si quis de sphærulis bombardicis plumbeis quærit, certum est in usu olim eas fuisse, vel ipsius Virgilii testimonio, dum ait: *Pars maxima glandes liventis plumbi spargit, pars spicula gestat.* Item Ovid. in Metamorp. *Non ocior*, inquit, *ille hasta, nec expulsæ contorto verbere glandes.* Atque hæc de bombardis.

1539. *Seditio Lovaniensis*

Anno 1359 turbæ Lovanii natæ sunt. Petrus Conterellus Prætor Urbanus imbutus odio, fremebat in Patricios; diuque, opperiebatur articulum, ut eos offenderet, fit tandem voti compos hâc occasione. Rusticus quidam plaustrum piscibus onustum convehebat Lovanium: cumque uliginoso hæreret cœno, conspecto fortè vicinis in pascuis equo, illum plaustrario suo junxit, ut currum è lutosa lacuna extraheret. Re delata ad Prætorem, jubet miserum illicò in carcerem agi, eumque judicio capiti arcessit: ac nihil prohibente Scabinorum sententiâ, qui omni crimine absolvebatur, attamen fiducia sui præferox, captivum mittere recusabat. Unde Scabini pertinaciam hominis indignati, eum muneri gestione prohibent. Ille exæstuans irâ, [illegible] adsciscit, ac vilissimâ plebis fœce in forum excitâ, [illegible] oratione de Patriciorum duro in eos imperio, [illegible] oneribus premerentur, multa peroravit; [illegible] præstent, omnem mox libertatem pessum ituram; [illegible] nunc occasionem asserendi se in libertatem. His plebis ad [illegible] animos. Igitur correptis armis, totâ eâ nocte [illegible].

Patricii Curiam occupârunt. [illegible] citròque commeabat Gerardus a Vorselaria Eques, conciliaturus concordiam; sed cùm animorum [illegible], nihil egit. Sub lucis ortum, Conterellus [illegible] ad Curiam tendit. Patricii animis consternati, [illegible] quam ob causam armati advenissent, respondent se [illegible] postulare; quibus editis, [illegible] arma [illegible], Conterellum in Curiam [illegible]. Is primus [illegible], claves urbis [illegible] compulit, omnes [illegible] detrusit. Deinde [illegible] Magistratu, novum [illegible] plebeis [illegible], & Rempublicam [illegible] arbitratu suo & imperio [illegible]. Aberat per id tempus Wenceslaus in Lucemburgos profectus. Quare Joanna Dux, [illegible] perculsa

post-

postquàm primos animi motus compescuit, aliquos è Ducali Concilio Lovanium misit, ad nectandam Pacem, quæ & sancita est, sed mox rursum rupta. Undè seditio increscens, in annum sequentem tenuit. 1360.

Turba Bruxella. Eodem anno ad Lovaniensium exemplum, Plebs Bruxellensis in Patricios insurrexit, prona ad tumultum ubi impunè furere licet, una discordiæ causa Imperii æmulatio atque consortium. Plebs è suo corpore mediam Senatûs partem creari volens, antè biennium, Patriciis permittentibus, votis potita fuerat; hoc anno, sublatis penitùs Patriciis, omnia publica munera sibi vindicare conatur. Patricii verò, ut nascentem tumultum in cunis atque in semine opprimerent, quem indulgentia intempestiva aluerat, Decuriones singulorum opificum in Curiam accersunt, ut de causa seditionis inquireretur. Lanii suos mittere abnuentes, vim parant, ac Cappellenses in suam factionem adducunt. At Patricii, cöacto suorum globo, portâ lapideâ obstructâ, ne conjungi possent, lanios invadunt & in fugam agunt, eorumque ædibus mox effractis, omnes in vincula compingunt. Deindè Cappellenses aggrediuntur, eos profligant; multis cæsis, compluribus verò captis, raptisque in pœnam. Sic sedato tumultu Urbs tranquilitati restituta est.

1361. *Lovanienses recepti in gratiam his Legibus.* Wenceslaus in Belgium redux, audito tumultu Lovaniensium, vindicaturus injuriam, Exercitum instruit, atque haud procul Lovanio Castra metatur, mense Octobri 1361. Undè metu consternati Conterellus, ejusque causæ assectatores, Oratores ad Ducem mittunt, Pacemque iis conditionibus feriunt: „Ut inter Patricios, Plebeiosque injuriarum oblivio esset. Seditionis auctores, „nudis capitibus, genibus Principis suppliciter advoluti, pacem „expeterent. Senatus deinceps ex Patriciis & plebe legeretur; „Scabini videlicet quatuor ex Patriciis, tres ex plebe; undecim „utrimque Jurati, ex quibus duo Consules essent Patricii. Qui „pecuniarum multam, seditionis tempore irrogatam, necdum „exsolvissent, immunes essent. Tabulæ privilegiorum à Ducibus, cum Lovanii inaugurarentur, conditæ, restituerentur: „Arma ferre plebei deinceps vetarentur. Signata hæc à Wenceslao ac Joannâ Ducibus, aliisque Proceribus 19. Octobris. Hæc tamen Pax haud diuturna fuit. Quippè Patricii impatienter ferebant civium turbam, ac propemodùm fæcem, in auctoritatem summam assurgere, sibi pares plebeios viros incedere, imò in plurimis superiores partes ambire, & Conterellum omnia ad se rapere. Quamobrem in id apud Ducem incumbebant, ut cöercitâ Conterelli

relli

relli plebiſque vecordia, eos in ſedes patrias reduceret; quorum precibus Dux rurſum magno Nobilium militumque numero cinctus, apud Bancum Cœnobium, caſtra poſuit, tantumque metum Conterello ſuiſque ſectatoribus incuſſit, ut impetrato diplomate tuti commeatûs, ſine mora ad eum properarent, imperata ſe facturos, ac Patricios Urbe recepturos polliciti. Tum Dux, Legibus „ Pacis anni præcedentis addidit, ut Patricii, plebeiorumque officiorum Decuriones, ſe in perpetuum eas ſervaturos, jurarent, „ Patricii duodecim, plebs 40. obſides darent. Acta hæc 8. Februarii 1362. Exindè Conterellus, oppreſſus conſcientiâ ſcelerum ſuorum, convaſatis fortunis ſuis, ſe clàm Urbe proripuit, &, cum ſeditioſorum globo, quibus publicæ calamitates pro reditu ſunt & ſalario, in exteras oras profugit, Lovanienſes quos comprehendere potuit, variè exagitans: Quarè præconis voce vocatus ad dicendam cauſam, deſerenſque faſtidioſè Vadimoniam, 13. Maii 1363. perduellionis reus damnatus eſt. Singulas res non recenſeo, ſuos illæ habent luculentos Hiſtoricos, ſatis mihi ſit perluſtrare præcipua, atque enarrare quæ momento in rem fuerint.

1362. *Bellum inter Reinaldum, Gelriæ Ducem, ejusq; Fratrem Eduardum.*

Ea inter, repentè occaſio belli enata eſt inter Reinaldum Gelriæ Ducem, & Eduardum ejus fratrem. Reinaldus primus Dux Gelriæ, mortuâ Sophiâ, filiâ illuſtris viri Florentii Berthoutii, Mechliniæ Domini, ductâ anno 1330. Eleonorâ, Eduardi II. Angliæ Regis filiâ, ex ea ſuſceperat Reinaldum & Eduardum, poſt Gelriæ Duces. Diſſidii cauſa hinc orta eſt, quod Eduardus quereretur in rerum ac ditionum diviſione, ſibi minus ſatisfactum. Cæterùm in Gelria id temporis factiones erant duæ, Herkerorum, ac Bronchorſtiorum; Herkerani cum Reinaldo ſtabant; Bronchorſtiani Eduardo favebant. Nec intrà Gelriam ſtetit malum, ſed latè ſe ſpargens, Principes, populoſque exterarum nationum in partes attraxit: atque eòuſque fraternæ ſimultates evaluerant, ut hinc Reinaldus Dux, indè Eduardus, aperto jam Marte alter alterum impeterent. Reinaldus cum validis copiis Tielam circumvallaverat, quod illâ defectione factâ, Eduardo ſe adjunxiſſet. Eduardus juſto cum exercitu Tielæ opitulaturus, quàm celerrimè accurrit, fratrem caſtris depulit, ſolvitque obſidium, cæſis quamplurimis. Indè itum in prælium ambo in victoriæ ſpem aciem inſtruunt, ac paricidialibus mox armis concurrunt: eodemque ſucceſſu Eduardo expeditio ex voto ceſſit, cæſis, pulſiſque Reinaldi copiis quanquàm acerrimè & contumaciter dimicantibus.

Reinaldus captus, in cuſtodiam datur.

Reinaldus in poteſtatem Eduardi venit, ſtatimque in arce Nienbeca,

beca, ad Isalæ ferè crepidinem inter Daventriam Zutphaniamque positâ, custodiæ mancipatur; in eaque detentus fuit integrum circiter decennium. Hæc pugna pugnata 25. Maii 1361. Maria autem Gelriæ Ducissa, Reinaldi conjux, cujus parens fuit Joannes Brabantiæ Dux, cladis famâ immoderato dolore perculsa, præsertim cum audiret maritum suum munitissimæ Arci inclusum servari à fratre Eduardo, in Brabantiam profuga concessit, remque omnem sorori suæ Joannæ Ducissæ aperuit.

Wenceslaus Dux extemplò Exercitum apparari curat, eoque instructo, inopinatus in agrum Gelrorum irruens, Bommelewerdam Eduardo adimit. Eduardus forti animo Exercitum instruit, quem Duci opponit, ac Bommelewerdam acerrimè oppugnatam recipit; Ducis militem interim ad prædam versum, finibus suis exegit. Atque indè demitigatis mutuis odiis, placuit per sequestros de pace agere, quæ mox coiit. *Wenceslaus copias contrahit, ac Bommelewerdam occupat.* 1364.

Neque prætereundum est quod flagrante inter ambos fratres bello, Reinaldus inops pecuniarum, tria munitissima castra, Gangelt, Vucht & Millen, sita in agro Falkenburgensi, pro ingenti pecunia Comiti de Moers pignori obligavit. Verùm ille veritus, ne Eduardus vbi fratrem superasset, ad recuperenda castra contenderet atque jacturam rei & pecuniarum faceret, multa animo versans, adit tandem Wenceslaum Ducem, eique castra offert eâdem pecuniâ, quâ ea oppignoraverat. Accepit conditionem Wenceslaus, numeratâque pecuniâ, mox Domino de Cuyck illis præfecit. *Comes Meursensis cedit Wenceslao, Gangelt, Vucht & Millen.*

Anno 1365. nova lues invasit Franciam. Numerosissima hominum truculentissimorum multitudo confluxerat, ad delendam Nobilitatem; Superasse C. M. armatorum memorant Historici. Imponunt sibi Ducem Jacobum Bonhomme, undè, per antiphrasin, Boni homines appellati. Hi decursis Picardiâ, Artesiâ aliisque Provinciis, in castra Nobilium impetum faciunt, Nobiles pellunt, facultates diripiunt, castella incendunt, hominesque immani sævitiâ passim necant. Ad exscindendam hanc luem Carolus Navarræ Rex, se suamque operam offert, missisque aliquot equitum millibus sub signis, eos adoritur, magnâ strage cædit & in fugam agit, captoque ductore Jacobo, illum vivum pelle spoliari, atque indè suspendio necari jussit. Reliquam eorundem latronum manum, quæ evaserat, seque Germaniam versus movebat, ut suam luem ibi quoquè spargeret, Wenceslaus Dux, aliique contermini Principes assecuti, funditùs deleverunt. Undè Carolus Imperator *1365. Rusticorum tumultus. Bonhom. Rusticorum cades varia.*

Wenceslaus Alsatiæ Præfectus, viarumq; defensor.

Wenceslaum fratrem Alsatiæ Præfectum, viarumque publicarum defensorem constituit, ut nimirum negotiatores viatoresque, ab ejusmodi hominum, vias obsidentium, incursu, tueretur; quod & ille munus haud segniter obivit: nam anno statim insequenti Arcem Hemersbachiam latrociniis famosam, Gelriæ ac Juliæ Ducatibus propinquam, obsidione fatigatam cepit ac diruit.

Accidit hoc anno Bruxellæ impium & detestabile facinus, perpetratum à putidissimâ Judæorum colluvie, in Sacro-sanctum Christi corpus, quod in venerabili Sacramento Eucharistiæ adoramus. Jonathas quidam, facinorosus, abs Dæmone infessus, qui Angiæ, oppido Hannoniæ morabatur, incredibili flagrabat desiderio adipiscendi alicundè sacram aliquam Hostiam: eam ut assequeretur, appellat quendam Joannem à Lovanio, qui ejuratâ nuperrimè judaicâ superstitione, ad Catholicæ Ecclesiæ castra transierat. Hic partim blandiciis illectus, partim aureis sexaginta inescatus, operam suam prolixè pollicetur, & pro tantillo pretio immani sceleri se obstringit. Quid non mortalia cogis pectora, auri sacra fames? Proindè sceleratus ille trifurcifer, Bruxellam versus viam carpit, nactusque nocte intempestâ opportunum sceleri tempus, irrepsit clanculùm in Ædem Divæ Catharinæ dicatam, ibique clepsit orbiculatam capsulam, cum sexdecim consecratis Hostiis, quam homo sacrilegus ad Jonatham detulit. Hic voto potitus suo, jubet accersiri uxorem, liberos, & Apellas Angiæ agentes; postquàm frequentes convenissent, narrat quæ gesta erant, ac prolatâ capsulâ, excutit indignè sacras Hostias in profanam mensam; tùm diras simùl verborum execrationes ingeminant, contumelias & probra ingerunt. Deum immortalem! quis jam dubitet in hæc tempora vel maximè quadrare illud Esaïæ: *Dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum sine ullo termino.* His gestis secessit Jonathas in hortum suum suburbanum, cælesti eum ultione persequente, dumque alia super alia secum malè meditatur, ecce improvisò irruunt aliquot sicarii, hominem occupant, & adacto per viscera ferro, è numero viventium deturbant. Coniunx cædis famâ consternata, ejulatu & lamentis totam viciniam opplevit, ac pravæ conscientiæ stimulis exagitata, statuit S. Hostias quamprimùm aliorsum transferre. Nec mora, committens se viæ, Bruxellam advolat. Instabat tunc Sacra Parasceve, dies quo Dominus noster JESUS-CHRISTUS, pro humani generis salute, cruci affixus fuit, illo ipso die conjux Jonathæ in conventu Judæorum Sacras Hostias profert, eisque in manus tradit. Tunc subitò

lxto

læto omnia personabant tumultu, acclamabant omnes, exultabant gaudio, gestiebant lætitiâ. Exindè quasi quibusdam furiis agitati Sacro-sanctas Hostias (horrendum dictu) diris devovent, execrantur, detestantur: deindè infestis mucronibus certatim in eas sæviunt & creberrimis ictibus configunt, quoad roseus è plagis cruor dimanaret. O ultimum inferorum portentum! quod concepit inexpiabile in Christum odium, peperit furens impietas, educavit pertinacia inflexibilis. Ad inopinatum hoc divinitus factum prodigium, exterriti, consilium ineunt, atque unâ omnium sententiâ decernunt Sacro-sanctas Hostias, sanguine perfusas, mittere Coloniam ad Recutitos ibidem commorantes. Ad eam rem mulierculam quandam nomine Catharinam, vehementer sollicitant, promittuntque præmium ingens. Hâc catapultâ animus fœminæ quassatus, cedit, operamque suam prolixè addicit. Verùm nocturno commonefacta oraculo, ut proposito absisteret, simul ut diluxit, adit Curionem Parœciæ de Capella, eique rem omnem patefacit. Is primùm stupore defixus hærens, ubi se recollegit, procubuit in genua venerabundus, & Sacras Hostias cum maximâ veneratione & reverentiâ à mulierculâ excepit, ac in Ædem Sacram intulit. Harum tres, consistentibus in diem hodiernum speciebus integris & intemeratis, asservantur in augusto & primario Urbis Templo D. D. Michaëli Archangelo, & Gudulæ Sacro, ubi stupendis prorsùs prodigiis hactenus inclaruerunt.

Postquàm tantum scelus, non modò Bruxellæ, sed & apud exteras Nationes percrebuit, Wenceslaus Dux justâ incitatus irâ, mandat in sceleris reos diligenter inquiri, habitâque quæstione, ultricibus flammis exuri: reliquos omnes perpetuo multavit exilio. Dura ultio, sed justa, & infrà meritum castigans. In hujus prodigii sempiternam memoriam, Wenceslaus & Joanna, piissimi Principes, annuam Supplicationem sollenni ritu peragendam, præceperunt, quæ quotannis incidit in mensem Julium; at quâ pompâ? quâ magnificentiâ? brevibus dicam: ad stuporem exterarum gentium. Et quid-ni Urbs regia Sacro-sanctas has Hostias tam pio cultu & honore prosequatur, quarum tutelâ, & felicissimis auspiciis hactenùs stetit, stabitque æternùm. Portenta & prodigia quæ ab iisdem Sacro-sanctis Hostiis, præter consuetam naturæ legem, rerumque ordinem stupenda, patrata sunt, recensere supersedeo, quia Typis excusa sunt, & non uni solùm Urbi, sed toti jam terrarum Orbi innotuêre: quot homines, tot testes, tot præcones, qui miracula afferant & prædicent. Litigent itaque, atque ambi-

gant unà cum pervicacibus Judæis, Hæretici malè ac perperam de hoc divinissimo Sacramento sentientes, de quibus in Evangelio dicitur: *Et litigabant Iudæi ad invicem, dicentes, quomodò potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Hæc sunt verba infidelium, Divinæ Omnipotentiæ detrahentium, nam eâ omnipotentiâ quâ Verbum factum est caro, eâdem fit Eucharistia caro Verbi. Quod si claudantur oculi, mens erigatur, fides exeratur, lis omnis extemplò dirimetur. Quâ super re, Angelicè, more suo, Doctor Aquinas, Opusc. 58 Cap. 7. ait: *Hic etenim fallitur visus Isaac caliginosus, id est debilis corporis nostri:* quia putat præ oculis habere Esau, *id est panem*, *& tantùm* habet vestes ejus, scilicet speciem *panis*, *& sub illâ latet* Jacob velatus, id est Corpus Christi. Quarè idem Doctor Angelicus divinè monet: *præstat fides supplementum sensuum defectui.*

1371. *Causa belli inter Wenceslaum Ducem & Marchionem Iuliacensem.* Anno 1371. nova exitialis belli seges enata est inter Ducem Wenceslaum & Guilielmum Marchionem Juliacensem. Prædones aliquot, qui mercatoribus infesti erant eosque expilabant, in terram Juliacensem tutum receptum habere dicebantur. Quo ad Ducem delato, adornat legationem ad Marchionem, postulans mercatoribus, qui se in ejus agris spoliatos querebantur, jacturam resarciri, inque prædones animadverti. Legatos illiberaliter habitos, postremò dimisit, cum ejus sententiæ responso, ut bellum, quàm pacem cum Duce malle videretur. Indè reversis Legatis, bellum in Juliæ Marchionatum decretum, conscriptisque in Brabantia equitum peditumque numerosis copiis, auxilia etiam non modica è Galliis, Flandria, Leucis, ac Alsatia, vicinisque regionibus Wenceslaus excivit. Primò Bruxellâ Trajectum Mosæ castra mota. Hinc auxilia confluxêre, ibique lustrato exercitu, annumerata sunt octo bellatorum millia, armis animisque instructissima. Hinc flumine transmisso, ductæ copiæ ad pagum Baeswilder. Gulielmus Marchio, à prima trepidatione recreatus, ad hostem repellendum se comparat, nec in fœderatis quærendis segnior, Eduardum Gelriæ & Bergensem Duces, & Coloniensem Archiëpiscopum in societatem belli arcessit. Jamque litui classicum canebant: Erant, qui prudenti consilio Wenceslaum admonebant, ne eâ die pugnam consereret, exercitumque uno aleæ jactu in discrimen adduceret, sed cunctando & protelando opperiretur nepotem suum Jacobum Borbonium, qui cum flore Nobilitatis Gallicæ adventare ferebatur. Alii contrarium afferebant, satis ipsi virium militumque esse, prælium modò iniret.

Dispositio Exercitus Wenceslai. Ad has voces Wenceslaus revolvitur in susceptum consilium, & ex-

exercitum in duplicem aciem partitur: primam ipſemet cum Guidone S. Pauli Comite agebat; poſtremam ducebat Robertus Namurcenſis. Similiter, & Marchio ſuos ex adverſo diſpoſuerat, habens quàm proximum ſibi Eduardum Gelriæ Ducem. Aciebus eum in modum inſtructis 22. Auguſti pugna conſeritur paribus utrimque animis, at ſucceſſu impari. Wenceſlaus primò fauſtis auſpiciis confligit, cæſo poſt primam impreſſionem Eduardo Duce, ac mox capto Marchione Juliacenſi, multiſque magnam partem conciſis & in fugam actis: Brabanti jam debellatum rebantur, ac in prædam effunduntur. Quo comperto, cœſi exercitûs reliquiæ, ut prioris cladis infamiam novo & expedito facinore deletum irent, inſtauratis ordinibus, in palantes & incompoſitos impetum faciunt, magnamque ſtragem edunt, & licet Wenceſlaus omnia ageret, ut ſparſos colligeret & ſub ſigna revocaret, quà precibus, quà exemplo ad terrorem dimicans; fruſtrà tamen fuit, idque victoriam Juliacenſibus, perniciem Brabantis & ignominiam attulit, ipſo Wenceſlao in æſtu prælii, cum ducentis ſeptuaginta clari nominis viris captis, liberatiſque Juliacenſi ac Bergenſi Ducibus, quos ipſi antè ceperant. Pugnatum eſt hoc cruentum prælium 13. Cal. Septemb. Dux Wenceſlaus in caſtro de Nydeke in cuſtodiam datus eſt. *Wenceſlaus captus.*

Ad primam cladis famam, nemo unus erat, quin affinem aut lugeret mortuum, aut captum doleret; nemo, quin ad Ducis vincula mente exhorreſceret. At Joanna Duciſſa conſternata eſt omnium maximè. Attamen acerbiſſimum doloris ſenſum habuit in poteſtate, nihilque non egit, ut amantiſſimo marito libertatem conficeret. Quarè conſilio Regis Franciæ, Confluentes profecta eſt ad Carolum fratrem Wenceſlai, Imperatorem Romanorum, à quo benignè accepta, remiſſaque cum ſpe mariti paulò poſt recipiendi, domum rediit. Initio itaque anni ſequentis Carolus IV. Imperator, venit Aquiſgranum, magnâ Nobilium catervâ ſtipatus. Et licet animo in Juliacenſem commoto adveniſſet, quem & proſcribere, ac totâ in ipſum excitâ Germaniâ, in prædam dare ſecum conſtituerat; conciliantibus nihilominùs Colonienſi & Leodienſi Præſulibus, juſſit illum ad ſe accerſiri. Adit Imperatorem, ac Ducem Wenceſlaum libertati reſtitutum unà adducit. Hinc extemplò pax inter Ducem ac Juliacenſem convenit iis legibus: ut, captivi omnes, qui cum detinentibus nondum pepigerant, ſine pretio dimitterentur. *1372.* *Wenceſlaus libertati reſtitutus.* *1372.*

Exindè eodem anno 1372. Wenceſlaus & Joanna tabulas Corteber- *Tabulæ Cortebergenſes denuò approbantur.*

tebergenses de integro rursus approbârunt, datis codicillis hujusmodi formulæ; quorum substantiam latinè reddidi.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Wenceslaus Bohemus, Dei gratiâ Lucemburgi, Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgi Dux, ac S. Imperii Marchio, tanquam maritus & tutor legitimus dilectæ consortis nostræ: Et Nos Joanna, eâdem benignitate Ducissa & Marchionissa Ducatuum & Marchionatûs memoratorum, ceu hæres legitima Ducatuum Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgi & Marchionatûs jam memorati. Omnibus præsentibus & in posterùm futuris, notum facimus. Quoniam Majores nostri (quorum pia apud Deum sit recordatio) ob salutem animamarum, tùm suarum, tùm posterorum suorum, attentè perpendentes evidens commodum atque utilitatem, cùm suam hæredumque suorum, tùm subjectorum suorum universìm præsentium & futurorum, utque eos tuerentur & protegerent, sicuti quemlibet bonum Principem decet, ne adversus jus & æquum habeantur tractenturvè: Universis Brabantiæ subjectis egenis iuxtà & locupletibus, impertiverunt & donârunt tabulas Cortebergenses, & Gallicè perscriptum instrumentum, quibus universa ditio Brabantiæ ejusque incolæ magno decore, quiete & quæstu olìm floruerunt, quod Majoribus nostris, Nobisque sæpenumerò magno usui fuit, ac deinceps fore confidimus. Quapropter, ut memoratæ tabulæ iis inviolatæ ac illibatæ serventur; Nos sponte nostrâ, ac consultò ditionis nostræ incolis concedimus & donamus, nostro, hæredûm, & posterorum nostrorum nomine, ut memoratæ tabulæ Cortebergenses & Gallicæ, cum omnibus juribus, privilegiis & immunitatibus, in iisdem comprehensis & descriptis, in pristinum statum revocentur, ac deinceps jugiter serventur. Mandamus & præcipimus omnibus Baronibus, Viris equestris dignitatis, Municipibusque ditionis nostræ Brabantiæ super fide, jurejuranndo ac debitione in iisdem tabulis comprehensis, ut easdem invicem observent, curentvè fortiter & magno animo juxtà formulam earundem tabularum observari. Et quoniam volumus eas fixas & stabiles perennare, absque ullâ infractione, aut imminutione, donamus & concedimus, nostræ ditionis Brabantiæ subjectis, nostro, hæredûm & successorum nostrorum nomine in perpetuum, ejusmodi capita, qualia proximè subjecta sunt.

Ac primùm quidem volumus & seriò mandamus, ut omnes, qui in Concilio Cortebergensi publicam rem gerunt & moderantur, aut deinceps in idem Concilium coöptabuntur, universa tabularum

bularum Cortebergensium Statuta integrè & inviolatè servent, & servari curent: & quò id securiùs & absque officc perficiant, nostro, hæredûm & successorum nostrorum nomine, omnes & singulos, cum suis familiis, in fidem & tutelam nostram, pôsterorumque nostrorum recipimus. Et si quid ipsis mali eveniret, vel in ipsorum personis, vel bonis, nostro id erit periculo; atque bonâ fide, & sine dilatione restituemus, eâque severitate vindicabimus, ut terroris incutiendi studio, illustre pœnæ statuatur exemplum. Si verò quis hujus noxæ reus, profugus esset, ei solum patrium interdictum volumus, neque tolerabimus eum in nostra Provincia, donec noxam eluerit, multamque sibi irrogatam dependerit. Præter hæc, si contingat Nos, aut quemlibet alium, aliquem è Senatoribus Cortebergensibus arcessere judicio, cum eo agetur secundùm jura sui fori.

Omnibus & singulis Ditionis nostræ municipibus, pauperibus juxta ac divitibus, juris experiundi causâ Concilium Cortebergense adituris, aut eò à Concilio accersitis, impertimur nostro & posterorum nostrorum nomine, liberum tutumque commeatum: nimirum triduo ante vadimonium, toto tempore, quo Conventus agetur, ac triduo postquàm is solutus erit, idque ab omni crimine, quo Nobis, aut alii cuiquam erunt obnoxii, excepto capitali, aut promisso sistendi se coram Scabinis Urbium primariarum, aut aliarum terræ nostræ Brabantiæ. Et si quis eos offenderit, aut offendi curaverit, ob testimonii dictionem, aut quamcumque aliam rem coram Concilio Cortebergensi agitatam, id flagitium, exempli statuendi gratiâ, ex Legum severitate ulciscemur, ut alii ad simile audendum deterreantur. Profugos vero eam ob causam, perpetuo multamus exilio, quousque irrogatam pœnam luerint.

Promittimus nostro, hæredûm & successorum nomine, quod omnes, quos Nos, aut Posteri nostri in Concilium nostrum Brabantiæ in futurum ascribemus: pariter & omnes, qui majoris momenti munera obibunt, veluti Drossardi, Quæstoris Brabantiæ, Prætoris Lovanii, Ammanni Bruxellæ, Baillivi Gallo-Brabantiæ, Marck-gravii, Schulteti Silvæ-ducis, Majoris Thenis, Leviæ, & Vilvordiæ, Schulteti Lyræ, Herendaliæ, Baillivi Geldoniæ, Hanuti, Majoris Halæ, Quæstores Urbium nostrarum; Insuper omnes, qui modò in memorato Concilio munere funguntur, præter suetum jusjurandum, quo se Nobis obstringent, insuper, Deo teste, jurabunt, se tabulas Cortebergenses & Gallicas, absque

dolo malo, fartas tectas fervaturos. Et fi contingat, afcifcendos in noftrum, aut Succefforum noftrorum Concilium, aut provectos ad præfecturas jam memoratas, per ofcitantiam, Sacramento non dicere; promittimus noftro & Pofterorum noftrorum nomine, eos adacturos, ut jusjurandum præftent, coram Nobis, aut faltem duobus è Concilio Cortebergenfi, fimul ac Nos, aut Succeffores noftri à Concilio interpellati erimus: Qui verò recufabit Sacramentum dicere, illum Nos, Poflerique noftri à limine omnis Magiftratûs ac poteftatis arcebimus, nec ad ullum munus publicum in Brabantia affumemus, donec jurejurando fe obftrinxerit.

Neminem deinceps juridicum in Brabantia creabimus, aut in ordinem Confiliariorum Urbium cooptabimus, aut muneribus publicis præficiemus, nifi priùs tentatum fecundùm Regionis jura, quique perfolverit multam fibi irrogatam, fi quam incurriffe deprehendatur, atque damnum alteri illatum, refarciverit: neque Urbes, aut municipia eum ad aliquod munus publicum admittent.

Spondemus noftro, & Succefforum noftrorum nomine, neminem unquam in Concilium Cortebergenfe allecturos, aut ad publica munera provecturos, qui Concilium aliquo incommodo afficere poffet. Verùm qui in numerum Confiliariorum adfumptus erit, munus obire debebit, Sacramentum dicere, & jus adminiftrare, juxtà argumentum tabularum Cortebergenfium, nifi jufta & fontica caufa illum munere fungi præpediret.

Quamvis tabulis Cortebergenfibus præfcriptum fit, quod ita electi, vel legendi, teneantur fingulis tribus hebdomadis Cortebergæ convenire: Nihilominùs ob magnum incommodum, quod fubjectis noftris, jure contendentibus, oboriri poteft; conceffimus & concedimus noftro, hæredum, ac fucefforum noftrorum nomine, ut concilio Cortebergenfi Senatum cogere, diefque juridicos agere liceat, alio loco, intra Brabantiæ fines, quem commodiorem arbitrabitur.

Quæcumqne Concilum Cortebergenfe popofcerit à Juridicis, aut Præfectis Brabantiæ, in caufis ad dictum Concilium pertinentibus, ea præftabunt: Si defugiant, pro contumacibus cenfebuntur; ac talibus quales tabulæ Cortebergenfes exigebunt.

Si Civitas Antuerpienfis, quæ fórori noftræ dilectæ, fratrique Flandrenfi doti dicta eft, abnuat mittere duos ad Concilium Cortebergenfe, quemadmodum tabulæ præfcribunt: aut Soror noftra, fraterve intercedant, quò minus id fiat; Volumus & affentimur noftro,

nostro, hæredum & successorum nomine, ut è Marchionatu nostro, alii duo sublegantur, nimirùm ex Lira & Herendalio singuli.

Omnes & singuli, qui posthàc in numerum Consiliariorum Urbium nostrarum, Municipiorumque Brabantiæ, cum Nobis Sacramentum dicent, jurabunt se tabulas jam memoratas, firmas atque fixas habituros, nec adversus eas quicquam ullo pacto molituros, aut suasuros.

Quæ omnia capita, promissa, obligationes, & confirmationes, Nos Dux & Ducissa, compotes animi & sensuum nostrorum, reque vocatâ in deliberationem consanguineorum nostrorum, atque jurati Concilii nostri, fide nostrâ, hærdum & successorum nostrorum recipimus, juramusque tactis Evangeliis pro utilitate, honore & commodo nostro, ditionis & subjectorum universè, imò pro allevamento animarum decessorum nostrorum, salute animarm nostrarum, atque successorum nostrorum, ratas habituros & haberi curaturos in perpetuum, sine ullâ infractione, solertiâ, astu, fraudevè, quibus supradicta Jura, tabulæ, immunitates, pacta, ac promissa infringi, labefactari, aut obliterari possent. Ad hæc promisimus & juravimus, promittimus & juramus, Nos postero tempore nunquam requisituros, neque requiri permissuros à Sanctissimo Patre Pontifice summo, Romano Imperatore, Regibus, aut quoquam Præsule, aut Principe, solutionem ab his promissis, ac juramento quod præstitimus; Quippe fatemur & agnoscimus palàm, hæc omnia sponte nostrâ, non coactè, assensu nostro & scientiâ, nec non collatis suffragiis consanguineorum nostrorum, Concilique nostri jurati, confecta esse ob nostrum, ac universæ ditionis nostræ commodum.

Jubemus, adeòque etiam interdicimus Concilio nostro præsenti & futuro, super fide, obsequio & jurejurando, quo Nobis, hæredibus, ac successoribus nostris obstricti sunt, aut deinceps obstringentur, ne adversus jura, tabulas, privilegia & capita jam memorata, aliquid committant, aut committi permittant ullo pacto. Injungimus etiam & mandamus, Baronibus, Equitibus, ac Dynastis; nec non municipibus civitatum & Provinciæ nostræ Brabantiæ, ut & ipsi memorata jura, tabulas, immunitates, promissa atque capita pro viribus tueantur adversus reluctantes & refractarios; & quicquid per eos actum erit, Nobis, posterisque nostris Auctoribus actum censeri volumus, neque ea de causa quemquam multandum promittimus.

Si verò Nos, hæredes, posterosque nostros adversus hæc pacta,

confirmationes & promissa, aut tabulas aliquid committere contingeret, spondemus & juramus admissum sarcire & abolere, sub pœna absolutionis à fide, obedientiâ, atque obsequio, quo subjecti Nobis sunt devincti, quemadmodum tabulæ Cortebergenses complectuntur. Propterea Nos, hæredes, & Successores nostros firmiter obligamus, quin etiam ejuramus universim & speciatim omnia & quæcumque jura, quæ Nobis, ac Successoribus nostris adversus prædicta usui esse, aut prodesse, quibusvè ea labefactari, [illegible] aut everti possent: neque tuebimur Nos exceptione temporis, personarum, aut Urbium, omni dolo procul amoto, imò ne [illegible] ducere poterimus, hisce in literis plus, minusve perscriptum [illegible] quàm à Nobis sit indultum.

Renuntiamus quoque & discedimus ab omni jure prærogativæ, adepto, aut adipiscendo à Sanctissimo Patre Summo Pontifice, Romanorum Imperatore, aut alio quocumque Principe, vel Antistite, ac generatim omnibus & quibuscumque juribus, quibus jura memorata, tabulæ, immunitates, capita & promissa [illegible], aut imminui possent, nominatim juri præscribenti, generalem renuntiationem nullius esse momenti. In quorum testimonium ac firmitudinem, Nos Dux & Ducissa sigillum nostrum hisce literis appendi jussimus, rogavimusque & rogamus [illegible] nostros & amicos; similiter Consiliarios Concilii Cortebergensis, Barones & Equites, cives & Municipes Provinciæ nostræ Brabantiæ, ut ipsi has literas pro majori [illegible], sigillis sui consignent, atque ità ad arctiorem observantiam [illegible] rium, sese mutuò strictius devinciant. Datum ipso D. Lamberti festo, anno Domini M. CCC. LXXII.

1374. *Wenceslaus redux tributum in capita indicit redimendis captivis.*

Reverso in Brabantiam Duce, detinebantur [illegible] Neomagi ex Nobilitate Brabantici, aliique perplures, qui pactum cum hoste redemptionis pretium, [illegible] pendebant. Hi ut redimerentur, tùm ut externis Nobilibus, qui unà cum Duce capti fuerant, de damnis eo bello perpessis, satisfieret, Wenceslaus tributum in capita imponit, quo familiæ singulæ duos aureos Montones, cum uno quadrante penderent.

Censarum familiarum capita in Brabantia fuère centum millia. In hoc [illegible] Urbes eâ lege [illegible], ut Clerus quoquè tributo esset obnoxius, & Quæstores [illegible] eo cogendo decernerentur, ne à Ducalis Fisci Administratoribus collectum, diffluerct. Quòd sequius interpretatus Wenceslaus, ac deteriorem in partem accipiens, Bruxellâ Genapiam indignabundus, secessit: Indè agrum Ni-

Nivellensem armis invadit; & hæc erant resurgentis belli præludia, nisi deprecante Joanne ab Arkel, Leodiensi Præsule, placuisset pacem instaurare. Igitur Braniæ, vico Brabantiæ, conventum est, his conditionibus: Ut oblivio injuriarum hinc indè esset. Fœdus, quod capto Duce Urbes, Oppidaque inierant, rescinderetur, Diplomatibus quæcumque eâ de re conscripta erant, abolitis. Sexaginta aureorum millia Ordines Duci penderent; atque ex iis 20000. Clerus; his adderentur à duobus Ordinibus, ab Urbibus 25000. à Nobilibus 15000. Quibus exigendis Quæstores ab Ordinibus deligerentur, duobus à Duce additis. Quod præter hanc summam captivis redimendis deesset, è Fisco Ducali suppleretur; provideretque Dux, ne quid ex mora detrimenti Respublica caperet; alioqui id impendiis ejus resarciendum fore. His peractis Dux Bruxellam revertit, & anno 1375. Vilvordiæ Arcem exstruere cœpit, oppidumque muris cingere, ut quidam asserunt. 1375. *Arx Vilvordiensis exstrui cœpta.*

Anno 1377. Carolus Romanorum Imperator Juliaci agens, postquàm Gulielmo Juliacensi beneficiario jure Geriæ Ducatum, ac Comitatum Zutphaniæ mancipasset, mox relicto Juliaco, fratrem suum Wencesslaum salutatum in Brabantiam abiit, ubi magnificè exceptus est & cultus. Atque indè sub finem anni 1378. digressus est in Galliam, ut pacem inter Galliarum Angliæque Reges sanciret. Verùm cum animadverteret Gallos de pace parum esse sollicitos; haud multò post iter in Germaniam est remensus, ubi sub anni finem obiit. 1377. *Carolus Romanorum Imperator Wencesslaum fratrem Bruxellæ invisit.*

Hactenùs Lovaniensium motus, sartâ utcumque discordiâ, sedati videbantur: verùm plebs jam metu libera, anno 1378. se recepit ad primam indolem, & refractis claustris vagata longiùs, in omnia scelera præceps ruit. Et enim prægustatis semel honoribus, eosdem per omne nefas regustare nititur, commodeque absentiam Ducis nacta, vexillum seditionis rursum erigit, insignia nova induit, caputium videlicet album, in Patricios insurgit, ac urbe pellit. Post hæc Walterus à Leida, Proconsul plebeus, Bruxellam profectus, conspiratione Patriciorum ibi commorantium, interemptus est. Quo Lovanium relato, plebs irâ efferata, in vindictam exarsit, atque in famosum scelus assurgere ausa est. 1378. *Seditio Lovanii renovatur.*

Patricios omnes in suspicionem adductos, in Curiam venire compulsos, firmâ sagittariorum cohorte custodiri jubent. Joanna Ducissa ad hoc nuntium expergefacta, mittit Lovanium, pollicetur que se veritatis exemplum in reos edere, iturum ad posteros, nihilominùs ferociam plebis placare haud potuit.

 Igitur

1379. Igitur correptis armis Curiam circumsident, vinctosque Patricios novo immanitatis genere, per fenestras præcipites agi jubent, exceptosque hastatum spiculis, fœdâ dilaniatione conficiunt. Periêre hâc carnificinâ septemdecim Patricii, additusque unus [illegible] plebe, quod is Platuotium, misertus veteris patroni, scamnis abditum, veste contexerat. Perpetrato flagitio, metus subiit, qu[illegible] magna scelera dum patrantur, cæca sunt, perspicacissima, c[illegible] patrata sunt. Quarè deprecatores parant, Leeuwen[illegible]es, T[illegible]tanos, Diesthemienses, Liranos, Bruxellenses, Eburon[illegible] qu[illegible] & Tongros.

Crudele facinus.

1380. Interim Wenceslaus de rei serie edoctus, Br[illegible]xell[illegible] ad[illegible]o[illegible], statuit plebem vi compescere, ac furiosis istis ca[illegible]bus [illegible] irrogare; cum Legati à prædictis Civitatibus adsunt, v[illegible]niam [illegible]pliciter implorant, appellant Princip[illegible]s clementi[illegible]m, ex vi[illegible] rebellionem natam, ex venia orituram obtemperationem, [illegible]que expiationem cædis, quam vellet, offerunt. At contr[illegible] er[illegible], qui contendebant perfidæ genti non h[illegible]bendam fidem, quam t[illegible]es violasset; ejusmodi animis insculpendum ferrô ob[illegible]quium; & qui nolint sapere, ad[illegible]g[illegible]ndos ut non possint desipere.

Wenceslaus, revocatâ in consilium, tand[illegible]m præscriptum, [illegible] quatuordecim lecti ex pluribus, patrato crimin[illegible] [illegible]arent, in Cyprum relegarentur, & agnatis cæsorum certam p[illegible] [illegible] darent. Fremebat Patriciorum juventus, cæ[illegible]rum [illegible]nem parentum vænalem non habere, nec modic[illegible] redimendum. Nihil acerbius, quam cui justè pœnam debe[illegible]s, injustè parcere. Igitur in vindictam exa[illegible]t, [illegible]que p[illegible] [illegible]res cop[illegible], postquam agros vastavit, cas[illegible] [illegible] loca urbi vicina occu[illegible]. Nec sibi desunt Seditiosi, vim & maleficia reponunt, quin & contra Principem occulta fœ[illegible] G[illegible]bus f[illegible]unt.

Demùm post m[illegible] [illegible] cædes, doctus tandem Wenceslaus temerè pleb[illegible] [illegible]ndo vindicanda sunt facta factis,

1382. & petenda ab i[illegible] ne m[illegible]cina; copias contrahit, ac Lovanio imminet. Perstabant perduelles in contumacia, furore rebellionem armante, Urbem muniunt, propugnacula erigunt, commeatum inferunt, cæteraque toleranda obsidioni comparant.

Hæc inter, Arnoldus ab Horne, Le[illegible]sis Episcopus, inter Ducem & Seditiosos de pacis condi[illegible] agebat, quas luculentas obtinent, tum ipsius Duci[illegible] pr[illegible] ad parcendum indole, tùm Præsulis commendatione.

Lovaniensium pœna. „Eæ fuêre: ut Duci Urbem subeunti, populus omnis, nudus caput

„ caput & pedes occurreret, ac supplex ad ejus pedes procideret, „ infimisque precibus veniam rebellionis flagitaret; munitiones „ Urbis dirueret; Patricios exules reciperet; murorum pars, quâ „ Dux Urbem intraret, dejiceretur; Principes & antesignani re- „ bellionis exilio multarentur, &c. Tùm demùm rebellionis cæcitate discussâ, lux effulsit, & Seditio, quæ ab anno 1378. ad annum usque 1382. tenuerat, repressa. His peractis, Dux Urbem ingressus, Joannem Swarterium capite truncari jussit.

Porro Wenceslaus Dux, anno 1383. Luccemburgum profectus, morbo correptus, pridiè Conceptionis Deiparæ vivere desiit, nullâ Sobole relictâ, conditus in Orvallensi Cœnobio; postquàm annis viginti & octo rebus præfuisset, variaque cum Gelris & Juliacensibus bella gessisset, nec non plebem Lovaniensem & Bruxellensem sæpiùs identidem tumultuantem in ordinem redegisset. Erant Wenceslao virtutes plurimæ; indolis bonitas, fortitudo imperterrita in adeundis periculis, in ferendis adversis invicta: in inimicos clementia, in Deum pietas, in suos amor, & quidem præclarissima singula. 1383. *Obitus Wenceslai Ducis.* *Ejus Virtutes.*

J O A N N A

Ducissa Vidua.

Joanna Brabantiæ Ducissa ex obitu amantissimi Mariti languescens, morbo gravissimo aliquandiu conflictata est; Undè paulatim recreata, omni cogitatione curâque incubuit, ut Philippi, cognomento Audacis, Burgundiæ Ducis liberis illustria connubia procuraret, utpote ad quos Brabantiam devolvi necessarium foret, si quid humanitùs sibi accideret. Quocirca Albertum Bavarum, Hollandiæ & Hannoniæ Comitem, pressè ursit, ut Margareta ejus filia Joanni, Philippi Ducis filio, Gulielmus verò filius, Margaretæ filiæ Philippi connubio jungeretur. Et licèt initio refragari videbatur Bavarus, quod uno tempore binas cum Duce affinitates jungere, parùm è re suâ fore judicaret; posteà tamen pensatis diligentiùs prudentissimæ Heroinæ postulatis, placere sibi, sanguinis consortium profitetur. Quinto igitur Idus Aprilis anni 1385. Cameraci utrorumque nuptiæ festâ pompâ celebratæ sunt. Interfuêre Carolus Galliarum Rex, Duces Burgundiæ, Bor- *Joanna satagit Ducis Burgundiæ liberis, illustria accersere connubia.* 1385.

Borbonii & Bavariæ, Albertus Hollandiæ Comes, & Joanna Princeps Brabantiæ.

Dux Gelriæ indicit Ioannæ Duciſſæ Bellum. Ejusq; cauſæ

Mox domum reverſâ Joannâ, Gelriæ Dux Guilielmus, bellum Joannæ Ducciſſæ indixit. Ejus cauſæ natæ è veteri controverſia oppidi Graviæ, tùm & arcium Gangeli, Millæ ac Vuchti. Temporibus, Joannis tertii, Brabantiæ ducis, anno 1323. Otho Hervelius Graviæ & Cucæ Dominus pecuniâ indigus, Joanni Duci ſupremum oppidi Graviæ imperium vendidit, ſervatiſque ſibi annuis tantùm cenſibus, omnibuſque emolumentis, ſe Ducis Brabantiæ clientem ac beneficiarium profeſſus eſt. Moriens, liberis non genitis, hæreditatem Graviæ reliquit cognato ſuo Joanni Cucio, qui Duci Wenceſlao beneficiarium præſtitit jusjurandum.

Hoc diem extremum obeunte, à Wenceſlao Graviam accepit, ſed cum non diu ſupervixiſſet, liberis nullis relictis, Joannes Cucius, filius Henrici Cucii, proximum ſe hæredem aſſerens, à patruo Joanne Wemero Cucio excluditur, qui Wenceſlao mortuo, à Joanna ejus vidua Graviæ beneficium accipit; ſed antequam Sacramentum præſtare poſſet, à Guilielmo Gelrorum Duce captus, in carcere obiit, ſubſtituitque Gelrus filium Wemari, datâ ei uxore legitimo toro natâ, dicitque idem Joannes Guilielmo Duci beneficiarium Sacramentum, inſuperque præſidium contra Brabantos admittit. Quod verò ad tres arces, meminimus ante Hensbergæ regulum, liberum earum Dominum, eas ante aliquot annos pignoris loco ceſſiſſe Eduardo Gelriæ Duci, qui paulò poſt, ut æs ſibi conficeret, jus ſuum tranſtulit in Joannem Meurſii Comitem; & is poſtremò pecuniæ inopiâ vendidit Wenceſlao Brabantiæ Duci, aſſentiente filio ſuo natu maximo. Unde dictas arces à Ducatu abalienatas, reſtituendas Guilielmus cenſuit. Hæ ſunt indicti belli cauſæ.

1386. Joanna Duciſſa, Philippo, Burgundiæ Duce, aliiſque ex Gallia auxiliaribus freta, Joannem Withemi Dynaſtam cum valido præſidio Buſco-ducis immiſit.

Brabanti accingunt ſe ad Bellum.

Cæterùm Brabanti frementes Graviam ſibi dolo magis, quàm jure, aut virtute ereptam, ſeriò de ea recuperanda cogitabant. Guilielmus Dux Gelriæ haud dubius, quin Grauia prima omnium peteretur, eam milite, commeatu, rebuſque cæteris ad frangendam obſidionem communierat. Igitur ſelectas copias cogunt, & menſe Septenbri anni 1386. eas Graviæ admovent ac crebras inter prorumpentium velitationes, ponunt; Obſidium, Oppidumque ſummo impetu aggrediuntur; Sed Cives forti præſidio nixi, oppugnantes

...ad Graviam.

tes

tes accerrimè repellebant. Vi incassum adhibitâ, Brabanti lentâ ac diuturnâ obsidione propugnantes aggredi statuunt, ut alimentis detractis, fame ac dirâ necessitate ad deditionem adigerentur. At Gelrus hoc veritus, socerum suum Albertum Bavarum, Hollandiæ Comitem appellat, ut pacis conciliator inter se, & Joannam Ducissam, medius fieret. Quod officii haudquaquàm detrectandum ratus, Buscum-Ducis ad Joannam iter instituit: atque indè ad Gelrum generum suum properans, rem in hunc modum composuit: „Ut Graviâ Brabantis redditâ, captivi utrimque dimitte- *Leges Pacis.*
„rentur; conflictus, prædationes, incendia, utrimque cessarent,
„mutuarum offensionum & injuriarum obliterata esset memoria.
Sed Gelrus, ruptâ pace, [illegible] deludit Brabantos, Graviamque rursus invadit & occupat, pulsis indè Brabantis. *Gelrus Pacem violat.*

Hoc factum indignissimè Brabantiæ Ducissa, cæterique tulêre, urebat illos inultæ adhuc contumeliæ vibex. Quare Brabanti [illegible] injuriam, ex universa, quà patet, Brabantiâ, numerosissimum cogunt exercitum, quem conflabant quadraginta bellatorum millia, ut tradunt. Ordinum Ductores memorantur Joannes Dominus Bornevallis, Razo Dominus Lintræ, Joannes Dominus Leccæ & Bredæ, Joannes Dominus Withemi Seneschallus, Godefridus à Montenaca, & alii. Hi ad opera conversi, metari Castra circùm Urbem instituunt, castra vallo præcingere, latâ fossâ circumductâ, Constitutâ obsidione, [illegible] muneribus, Mosam fluvium ponte jungunt, ut ab [illegible] subsidia arcerent. Sed opere nondùm perfecto, Præsidiarii intempestâ nocte Oppido egressi, opus igne corrumpunt. Quo comperto, Brabanti à Ravensteinæ Regulo impetrant, ut fas ipsis esset traducere per pontem, [illegible] erat, decem armatorum millia, quo Graviam cis ac trans Mosam arctiùs premere possent, Qui [illegible] obeunt, Gelrus [illegible] supinæ illorum [illegible] lectissimos equites contrahit, & in Brabantos [illegible] impetum facit, cæsis, ac Mosi [illegible] obrutis circiter [illegible], ceteris in fugam actis, captis [illegible] Borneva[illegible] Lintræ, & Ludovico Pinnoco. Brabanti, qui cis Mosam ad oppidi obsidionem remanserant, hâc insperatâ clade perculsi, in precipitem fugam rapiuntur. Ità securitatem metus, perniciem haud raro securitas parit. Mox transmisso Mosâ, crebris excursionibus Kempeniam infestat, diripit, ac Ostrevicam, Gestelam & Bekam, nobiles pagos succendit, ingentique prædâ abactâ Neomagum se recipit. 1388. *Recrudescit Bellum.* *Cæduntur Brabanti.*

Hinc novus apud Brabantos militum delectus habitus; con-

I scrip-

Novi delectus militum in Brabantia ſcriptique Equitûm mille ducenti, Sagittariorum verò quatuor millia. Hi Oſſæ, Littæ, Herpæ, aliiſque Gelriæ objectis munitionibus præſidio impoſiti: Burgundiæ vero Dux Philippus Audax, ſuperioris cladis accepto nuntio, haud ignarus ſe per latus alterius peti, Carolum Regem Francorum, nepotem ſuum, eò permovit, *Apparatus Belli Regis Franciæ.* ut Gelricam expeditionem unà ſecum ſuſciperet. Nec mora, ingentem Exercitum ſcribit. Erant in eo centum hominum millia. Ad Wenceſlaum Imperatorem Legatos miſerat, excuſatum quod in ditionem Imperii penetraret, atque aſſertum nihil ſe contrà dignitatem ejuſdem Imperii moliturum. Rege Arduennæ lucum ingreſſo, occurrit Dux Juliacenſis Gelrii pater, qui conciliantibus Colonienſi & Leodienſi Præſulibus, admiſſus ad Regem, veniam *Conciliatores Pacis.* filio ſupplex implorat, inſanam ejus arrogantiam culpat, ſatisfactionem & demiſſionem humillimam pollicetur.

Cum Rex paternis precibus annuiſſet; ille ad filium properat, deductis iiſdem Præſulibus, nec parùm laborarunt in frangenda filii contumacia, qui aviditate belli flagrabat, exiſtimans eò ſibi victoriam fore glorioſiorem, quò adverſarium experiretur potentiorem. At patris minis abſterritus, qui comminabatur Ducatum Juliacenſem fratri ejus Reinaldo ſe traditurum, ſi obſequi recuſaret, tandem ſe vinci paſſus eſt; ducique in Caſtra ad Regem; ibique in genua procumbens, ac ejurato Anglico fœdere, veniam temeritatis petiit, atque impetravit. His confectis, Rex præcipiti

1388. Octobri Rhemos rediit, anno à Chriſto nato 1388.

Conditiones Pacis. ,, Exindè Pax icta his conditionibus. Ut ſummatum in Graviæ ,, oppidum imperium Brabanto maneret, poſſeſſorque ſe ejus beneficiarium, præſtito juramento, profiteretur; Captivi utrimque ,, gratis dimitterentur; belli utraque pars ſumptus ſuos ſufferret. His menſe Octobri peractis, ad ſua ſe quiſque recepit.

1397. Anno, qui fuit à Chriſto nato milleſimus ſuprà trecenteſimum *Domeſtica turba.* nonageſimus ſeptimus, varii motus & controverſiæ Brabantiam concuſſerunt, qui & in nervum poſtremò bellumque erupèrunt: ii nati cum Hollandis ob Veræ Dominum Buſci Ducis in vincula conjectum: Item inter Reinaldum Schoonvorſtium ac Sichemi Dominum, nec non Henricum Dieſtenſem, ſed qui haud multo poſt ſedati compoſitique fuêre, hic repetere ſuperſedeo.

1402. Nono Calendas Martii 1402. Atrebati nuptiæ Antonii, filii *Philippus Audax, filius Antonii potenti ſtudioſus.* Ducis Philippi Audacis, cum Joanna, filiâ Valerami Comitis Sancti Pauli contractæ. Agebat omnibus Philippus Dux, ut, vivâ adhuc Joannâ Brabantiæ Ducisâ, filio ſuo Antonio Ducatus Lotharingiæ,

giæ, Brabantiæ, Limburgi certò addiceretur. Sed frustrà hæc eo tempore, quippè Ordines nihil de Ducatûs successione, vivâ Principe, agere velle, responderunt. 1403.

Initio anni 1404. Dux Philippus Bruxellâ digressus, Hallis Hannoniæ moritur, sexto Calendas Majas; sepultus Divioni in Burgundia apud Carthusianos, ab ipso institutos. Mox sequenti anno Joanna Ducissa, Brabantiæ Ducatu se abdicavit, cumque Antonio in manus ac potestatem ut Gubernatori, tradidit. Is postquàm omnia Brabantiæ jura se rata habiturum in Ordinum Conventu esset pollicitus, mox etiam Limburgi Dux renunciatus est. Hinc Calendis Decembris 1406. Joanna Ducissa ex hac vita in meliorem emigravit, postquàm summâ cum moderatione industriæque ac vigilantiæ laude Ducatum Brabantiæ, cæterasque Ditiones suas quinquaginta propemodùm annis administrasset. Corpus ejus Bruxellæ in Carmelitarum Choro regiâ magnificentiâ conditum est. Fuit Heroina fortis & cordata, imo in exemplum veluti seculi data, singulari ut prudentiâ, ita immortalitate nominis longe dignissima.

1404. Obitus Philippi Audacis.

Joanna Ducissa abscistit Ducatu Brabantiæ.

1406. Ejus obitus, & laudes.

ANTONIUS BURGUNDUS,

Nepos Joannæ Ducissæ, Brabantiæ Princeps.

Post solutis justis Joannæ Ducissæ funeri, Antonius magnâ Procerum comitante catervâ, Lovanium profectus, consentientibus omnium Ordinum votis, salutatus est Brabantiæ Dux, 18. die Decembris 1406. Exindè 21. ejusdem mensis Bruxellæ, & 2. Januarii 1407. Antverpiæ inauguratus est; sanctè pollicitus, se Ducatum secundum jura & consuetudines usitatas gubernaturum, prout id hucusque à Ducibus Brabantiæ præstitum fuisset, datis eâ de re Codicillis linguâ vernaculâ, hujusce propemodum sententiæ.

1406. Inauguratio Ducis Antonii.

ANTONIUS Dei gratiâ Dux Brabantiæ, Lotharingiæ, & Limburgi, Marchio Sacri Imperii: Universis & singulis præsentibus & in posterum futuris, Salutem. Quoniam decet Prin-

I 2 cipem

cipem ſubjectos beneficiis & privilegiis impertire. Nos conſideratis & expenſis compluribus & fidelibus officiis ac meritis, quæ ſubjecti Ducatûs noſtri Brabantiæ, Majoribus noſtris Ducibus & Duciſſis Brabantiæ (quorum pia apud Deum memoria ſit) ſæpenumerò præſtiterunt, eoſque nobis præſtituros deinceps confidimus. Quapropter omnibus & ſingulis notum facimus, quod ex puro favore & benevolentiâ, quâ ergà eos affecti ſumus, in hac inauguratione noſtra, iis donavimus & conceſſimus ejuſmodi privilegia, capita, juriſque firmitates, qualia proximè ſequuntur, quæ noſtro & poſterorum noſtrorum nomine promiſimus & juravimus rata, illibata, & integra ſervare, & in perpetuum ſervari curaturos.

I.

Ac primùm pollicemur Nos ipſis bonum, æquum & fidum Dominum fore, neque vim ullam illaturum, aut inferri ulla pacto paſſurum: aut citrà judicium, fas & æquum cum ipſis acturum, neque agi paſſurum; & quidem cum Urbibus ac Municipiis Brabantiæ, ut unicuique jus ſuum tribuatur ſecundùm jura cujuſque Oppidi, ac Fori ſtatuta.

II.

Quod privilegia & publici juris monumenta, ditionem noſtram & homines ſpectantia, quæ pridem Lovanii, poſtea Nivellæ condita ſervabantur, aut quæ in poſterum adipiſcemur, in cuſtodia noſtrarum Urbium Brabantiæ perpetuò aſſervabuntur, in noſtrum patriæque commodum, neque ea cuiquam ſuppeditabimus, nec aliò transferemus citrà voluntatem & aſſenſum earundem Urbium, diligenterque cuſtodientur ſub tribus clavibus, quarum una in noſtra, aliæ duæ in Urbium Lovanienſis & Bruxellenſis erunt poteſtate, ità ut neutri ſine altero ad [illegible]. Quorum privilegiorum & munimentorum deſcriptum, Nobis Provinciæque noſtræ tradetur, ut conſilio noſtrarum Urbium eo utatur.

III.

Nunquàm fœdere nos devinciemus, bellum ſuſcipiemus, aut pignus capiemus, auferrivè curabimus citra voluntatem & aſſenſum Urbium, Provinciæque Brabantiæ, niſi bellum Nobis prius inferatur, aut pignora ablata ſint: Imò non promittemus, aut conſignabimus quicquam, quo Ditiones noſtræ earumque fines infirmentur, diminuanturvè, aut quod incolis earundem Provinciæ in detrimentum cedat.

IV. Ne-

IV.

Neminem in posterum in juratum Concilium nostrum allecturos, aut retenturos, nisi viros bonos ex justis nuptiis in Brabantia genitos, ibidemque sedem habentes & prædiatos. Præterea Ditiones nostras, per idoneos fidejussores cis Mosam degentes, Provinciæ nostræ Brabantiæ caveri curabimus, arces earum ipsi tradendas esse; easdemque & Civitates præsidio Brabantorum, aut indigenarum communituros, qui datis locupletibus sponsoribus, cis Mosam degentibus, Nobis & Provinciæ nostræ eam securitatem dabunt, ut cautum Nobis sit, eas nullo modo haud unquàm à Brabantia separandas esse: Neque Nos trans-Mosanas illas Ditiones, Arces & Civitates posthac ullo pacto oppignerabimus, aut transcribemus.

V.

Curabimus, ut subjecti nostri Brabantiæ, sub legitimo vectigali, quiete ac pacifice per quascumque regiones commeare possint, soluti ac liberi ab omni ære alieno ac promissis, quod, quævè Nos, aut Decessores nostri contraximus, aut fecimus, aut Nos in posterum contrahemus, aut faciemus. Et si quis Subjectorum nostrorum ob debita promissavè Decessorum nostrorum, aut nostra in custodiam compingatur, damnovè afficiatur, eum nexu solvemus, omneque damnum sarciemus, secundùm ea, quæ complectuntur tabulis eâ de re Gallicè editis.

VI.

Vias publicas Ditionum nostrarum, prout tenemur, expeditas & liberas, citrà fraudem servabimus; ità ut quisque, sub legitimo vectigali, per eas ultro citroque commeare possit; præterquàm si ob contracta debita, factaque promissa, aut mulctam crimenvè impediatur.

VII.

Spondemus & juramus servare pacta inter Decessores nostros (piæ memoriæ) Duces & Ducissas Brabantiæ, eorumque subjectos & Comitem Flandriæ, ejusque subditos inita, secundùm argumentum tabularum eâ de re perscriptarum & consignatarum: Pariter & conventiones pactas inter subjectos nostros & subditos patriæ Leodiensis.

VIII.

Quicumque in Provincia nostra Brabantia in carcerem detrudetur, eum extrà eandem Provinciam evehi haudquaquàm permittemus.

IX.

Nullum nummum cudemus, nisi de consilio, voluntate & consensu totius Provinciæ: neque is nummus unquàm minui poterit; quod tamen si fiat, vindicare id poterimus in fabricæ monetariæ præfectum, ipsiusque facultates citrà conniventiam & dilationem. Neque alium nummum ejusdem notæ cudere poterimus, aut cudi curabimus, absque evidenti signo, quod ab unoquoque agnosci possit. Cudetur autem is nummus in aliqua nostrarum liberarum Civitatum, æstimabiturque secundùm ea, quæ in constitutione Gallicâ comprehenduntur.

X.

Quicumque nothus, spurius, aut illegitimè natus, nunquàm in Brabantia neque Consiliarius, neque Prætor Provinciæ, neque Judex fieri, neque ullo munere publico nostro nomine fungi poterit.

XI.

Si in dicta nostra Provincia dissidium aut pugnam oriri contingat, omnes contentionis & pugnæ insontes, firmâ certâque pace fruantur ab hora commissi jurgii aut pugnæ, usque ad meridiem diei sequentis, & qui intereà adversus eos aliquid molitus fuerit, pacis violator censebitur.

XII.

Neminem homicidam patriâ donabimus, nisi cum interempti consanguineis in gratiam redierit.

XIII.

Quibus deinceps Præturas, aut Præfecturas pagorum dabimus, quosve Prætores, aut Præfectos constituemus; atque etiam qui in præsenti Præturis aut Præfecturis funguntur, aut in posterum fungentur, eas ipsi obibunt, neque illas in alterum transcribere, venundare, aut elocare poterunt.

XIV.

Non permittemus, ut quisquam dictarum Provinciarum nostrarum, popularem suo extra casdem Provincias, qualemcumque etiam causam obtendat, in jus vocet, exceptis causis de testamentorum validitate, de pactis matrimonialibus, & rebus in pios usus donatis; pœnâ capitis & publicationis bonorum sancita in eum, qui secus fecerit. Similiter, quicumque earundem Provinciarum, incola popularem suum extra fines regionis ad singulare certamen provocarit, provocandumve curabit, capitis & fortunarum omnium mulctâ noxam luet; neque eum natali solo unquàm donabimus:

mus : Et si Nos ei gratiam fecerimus, ea irrita, futilis & vana erit.

XV.

Proscripti ob homicidia, furta, stupra, infractionem pacis perpetuò exulabunt, neque unquàm in Brabantiam reverti poterunt.

XVI.

Si qua mulier, aut virgo cum stupraretur ploraverit, aut ei invitæ per vim stuprum illatum liquidè constaret, nihiloque minùs stupratori assideret, Nos ipsius bona mobilia solidè obtinebimus, immobilia verò donec vivet. Si autem stupratori non adhæreat, nulla Nos ipsius bona occupabimus. Stuprator verò capite & facultatibus in perpetuum mulctabitur, quatenus mulctari potest. Si quis verò impuberem, sive masculum, vel puellam vitiaverit, aut seduxerit, ille, sine dilatione, capitis & bonorum pœnam subibit.

XVII.

Si quis de vulnere, aut homicidio accusabitur, id, antequàm convictus sit, illi fraudi non erit, si judicio se sistere, & innocentiam judici probare velit.

XVIII.

Quascumque Civitates, Ditiones, Municipia, aut Arces communi bello, aut communi e provincia nostra Brabantia exercitu subigemus, cuicumque eæ adimentur, ità Brabantiæ accedent, ut restitui nequeant: eædemque iisdem, quibus Brabantia, obnoxiæ erunt; neque sejungi poterunt, quemadmodùm ipsa Brabantia individua est.

XIX.

Si quis agrorum dimensionem, terminumvè regundis finibus poni, postulaverit, id & adversus Nos, & adversus quemvis fieri jubebimus.

XX.

Municipes vel incolæ Brabantiæ de cætero Antverpiam non evocabuntur, neque secundùm ejusdem Civitatis Leges damnabuntur, nisi prius jure convicti sint.

XXI.

Homines de familia S. Petri, quique ejus clientelam profitentur, habebuntur, cum iisque agetur, uti antiquitus habent, atque cum iis agi suevit.

XXII. Si

XXII.

Si duo Laïci inter ſe contendant de prædiis in Brabantia ſitis,& re in judicium deductâ, alter causâ caderet, reſque contentioſa ei abjudicaretur, ac tùm actionem jure ceſſo transferat in Sacerdotem, Clericum, aliumvè Eccleſiaſticum virum, quò illi, ſecundùm quem judicatum eſt, extrà regionem negotium faceſſat, is qui fecerit, vitâ & bonis exuetur, neque Provinciæ Brabantiæ unquam reſtituetur.

XXIII.

Unicuique arva ſua tueri, & cuſtodiri curare, atque eò impunè canes alere non curtatis licebit unguibus. Et ſi qua fera à canibus aut occidetur, aut ſaucietur, ea ut erit, in ſuo loco relinquetur: & ſi ab aliquorum canibus devoretur, id illis non eſt futurum fraudi. Poterit etiam impunè quiſque per totam Brabantiam Lepores atque Vulpes venari, & ſimiliter extrà libera roboraria atque etiam ubicumque aucupio Aves conſectari.

XXIV.

Viris equeſtris dignitatis, Nobilibus & Municipibus Brabantiæ poteſtatem facimus, ut impunè venari poſſint per omnem Brabantiam, quaſcumque magnas Feras, prætcrquàm in roborariis & ſylvis Sonien, Saventerloo, Grootheyſt & Meerdale.

XXV.

In poſterum in provincia noſtra Brabantia, nulla erunt, neque habebuntur Vivaria, præter ea, quæ jam olim libera Vivaria fuêre, & pro talibus de jure cenſeri debent.

XXVI.

Nulla debita ad nemorale, ſylvaticumque jus trahentur, præterquàm quæ oriuntur ex mercatu lignorum, ſylvarumque, aut ex veteribus Nemoribus aut Sylvis, aut ex aliis etiam, quæ jam ipſa Majorum ætate ſylvatico juri obnoxia fuêre.

XXVII.

In regione Brabantiæ Gallicanâ erit honeſti nominis Baillivus, natione Brabantus, cujus Scriba, ipſique obnoxii Officiarii natione quoque Brabantini erunt. Et Curia Genaplana adminiſtrabitur, uti jam olim conſuevit, ita, ut cui illic negotium ſit, cum eo nôn agatur extrà juris normam.

XXVIII.

Antverpia, & quicquid ad eam pertinere demonſtrari poterit; Similiter Ditiones noſtræ trans-Moſanæ cum arcibus, acceſſionibuſque, poſthac Civitatibus communique Provinciæ Brabantiæ con-

connexæ manebunt, eo modo, quo illi connexæ erant eo tempore, quo ab ea distrahebantur, & quemadmodum hactenùs, Brabantiæ perpetuò annexæ manebunt.

XXIX.

Præterea confirmavimus, rataque habuimus, omnibus nostris Præsulibus, Monasteriis, Hospitiis Sacris, Baronibus, Equitibus, Civitatibus, Municipiis, omnibusque nostris subjectis provinciæ nostræ Brabantiæ, omnia ipsorum jura, immunitates, privilegia, tabulas publicas, consuetudines, usus & instituta vetera, quæ habent, quæque à Majoribus nostris Ducibus & Ducissis Brabantiæ donata, concessa & consignata sunt: ea quoquè, quæ consuetudine recepta, in usu retenta sunt, hactenùs usurpârunt. Et promittimus nostro, hæredum & posterorum nostrorum nomine, ea omnia in perpetuum firma atque rata habituros, nec passuros ullo modo infringi.

XXX.

Ad hæc spondemus pro nobis, hæredibus, posterisque nostris, nunquàm Nos adducturos, aut prolaturos, aut adducendum, proferendumque curaturos, Nos ipsis ea jura, immunitates, privilegia, consuetudines, veteresque usus, quos jam suprà confirmavimus & stabilivimus, non teneri servare, eo quod ista capita separatim, speciatimvè illis non donavimus, concessimus, aut spopondimus, quod ipsum nolumus ipsis damno, aut fraudi esse.

Et quoniam volumus, ut omnia jam dicta capita, donationes, confirmationes, & firmitates sanctè & inviolatè observentur: Omnibus in universum Præsulibus, Monasteriis, Hospitiis Sacris, Baronibus, Equitibus, Civitatibus, Municipiis, omnibusque nostris Brabantiæ subjectis, ipsorumque hæredibus & posteris, bonâ fide, nostro, hæredum & successorum nomine promisimus, tactisque Sacro-sanctis Evangeliis juravimus per Nos, hæredes & successores nostros, perpetuò firma & stabilia servare, neque ullo modo unquàm adversus ea committere, aut ut contrà committatur permittere. Et si Nos, Hæredes nostri, Successoresque hisce contrarium quocumque modo per Nos, aut alium quemvis commiserimus, consentimus & concedimus iisdem nostris Præsulibus, Baronibus, Equitibus, Civitatibus, Municipiis, omnibusque nostris subjectis jam dictis, ut Nobis, nostrisque Hæredibus & Successoribus nullum omninò obsequium præstent, neque in re ulla, quâ Nobis opus sit, quamvè ab ipsis petemus, aut requiremus, pareant, donec quod ità commissum fuerit, in integrum restituerimus. Ad

fidem faciendam, has Litteras appenso Sigillo nostro consignavimus; datas Lovanii XVIII. Decembris, Anno M. CCCC. VI.

1407. Inauguratus Brabantiæ Dux Antonius, mox anno qui superiorem excepit 1407. Reinaldo Gelriæ & Juliaci Duci bellum moliebatur, quod de Cucæ Dynastia, & Graviæ oppido, ab obitu fratris sui Guilielmi clientelam haud professus fuisset. Verùm inopinatus ipsius conjugis obitus ea consilia tùm discussit, ac mox justis exequiarum Joannæ uxori, cum ingenti magnificentiâ Furæ solutis, comitantibus Philippo fratre Comite Nivernii, Valeramo socero, Comite Namurci, Dominis S. Georgii & Croiaci, ac Nobilitate penè universâ totius Brabantiæ, exceptis Lovaniensibus ac Bruxellensibus, qui impulsu Leodiensium, Exercitum subsidiis juvare palàm denegârunt, uti & cæteræ Urbes ad eorum exemplum detrectârunt; nihilosecciùs Mosæ-Trajecti transmisso flumine, Falkenburgum castra movit. Sed Reinaldus, qui se viribus imparem animadvertebat, virum gravem Duci Antonio in occursum misit, „ac ibi conventum, ut Reinaldus Dux in Brabantiam veniret, ibi „Ducem Antonium Dynastiæ jam dictæ, Graviæque oppidi Do„minum agniturus. Atque haud multò exindè, id à Duce Rei„naldo præstitum est in pago Empelæ, ad Mosæ crepidinem sito, „ubi Sacramento dixit, & solenni ritu clientis professionem „edidit.

Reinaldum Ducem Gelriæ & Iuliaci bello appetere statuit.

Obitus Ioannæ Simpolii Antonii uxoris.

Conditiones Pacis.

His controversiis in hunc modum compositis, Dux Antonius Orschotam profectus, Exercitum dimisit. Interim altè in generosum pectus penetraverat contumelia sibi ab Urbibus Brabantiæ irrogata, ob denegata auxilia, quare nullam earum ingressus est, præter Antverpiam, ac demandatâ curâ Reipublicæ Senescallo Brabantiæ, & Petro à Camdonck Cancellario, eâ hyeme in Franciam discessit, sequutus fratrem Joannem Intrepidum cum instructissimis copiis. Constituerat enim Intrepidus Ludovicum Ducem Aurelianensem, perpetuum suum adversarium, de gradu & dignitate, quâ apud Carolum Regem, mentis inopem, valebat, in totum dejicere. Controversia hinc orta, quod Intrepidus Regni regens dictus erat, Regisque curator, dum valetudini restitueretur. Aurelianensis eo aculeo stimulatus, ad locum Principem aspirabat; & secundum spernebat. Tandem ruentes in bellum Procerum cura continuit, effecitque, ut totius cotroversiæ disceptationem committerent Regibus Neapolis, ac Navarræ, ac Ducibus Bituricensi atque Borbonio; iisque satagentibus reconciliati sunt.

Antonius memor contumelia sibi irrogata ab Urbibus Brabantiæ.

Lutetiam Parisiorum abit.

1408. Anno 1408. Elisabetha filia Joannis Luceburgensis, Ducis Gorlitii

Ducit Antonius secundâ Conjugem.

litii in Austria, qui filius erat Caroli IV. Imperatoris, frater verò
Wenceslai eximperatoris, Regis Bohemiæ, & Sigismundi tunc
Hungariæ Regis, posteà Imperatoris, connubio sociata Duci An-
tonio. Doti dixit Wenceslaus patruus Ducatum Luceburgi, Co-
mitatum Ciniaci & Advocatiam Alsatiæ; solennia nuptiarum in-
genti pompâ celebrata fuêre Bruxellæ 17. Calendas Augusti 1409. 1409.
ac tertio Idus Junii 1410. Antonium masculâ prole auxit. 1410.

Luceburgenses quondam rebelles, sub imperium redigit.

Mox anno 1411. postquàm Lencorum seu Luceburgensium re- 1411.
bellantium nonnullos, & in his Huardum Elternæ Dominum,
quem Ludovicus Aurelianensis Dux, Lencis olim præfecerat, ad
officium compulisset: cœpit ad obsidendum Bateburgum, Mosæ
flumini in Gelriæ Ducatu adsitum municipium, copias contra-
here. Sed Urbes Brabantiæ delectum Duci negare ausæ, inter 1412.
sese occulta consilia agitare haud veritæ sunt, ut vi prohiberent,
si quid ob id moliri in animum Dux induceret. Quapropter evo-
cati mox Ordines Vilvordiam; ubi Dux in Principum virorum
frequenti conventu, de Urbium protervia multa querebatur. Ade-
rant è singulis Urbibus Senatores aliquot, qui se non uno modo
defendentes, nihil à se insolenter, aut protervè actum excusabant:
Verùm Urbium jura minùs pro debito ab ipso defendi, assiduis
Gallorum bellis implicito, ex adverso querebantur, idque se abun-
dè ostensuros innuëbant, modò per Delegatos id agi Duci placeret.
Hinc extemplò delegati, qui Civitatum singularum querelas ex-
ciperent. Cumque varia à singulis proferrentur, uno fere omnes
ore queritabantur, ditionem Cuyckensem, Graviamque oppidum
in manibus ac potestate Gelrorum adhuc consistere: Arces
trans-Mosanas oppignoratas non redimi, nec vindicari Buscodu-
censes, quibus paulò antè Guilielmus Gentius Eques, occupatâ
per insidias Urbe, ingens damnum intulisset. His visis, Dux jura
cujusque Urbis se in posterum defensurum spopondit; moxque
redintegratâ amicitiâ mense Aprili Bruxellam rediit. 1415.

Detrectant Brabanti in exteros Duci dare auxilia.

Ordinum Brabantiæ adversus Ducem querimonia.

Bellum inter Anglos & Francos.

Paucis interjectis annis, Henricus Angliæ Rex, ejus nominis
V. qui patri Henrico IV. successerat, postquàm inducias cum
Francis aliquoties protraxit, firmam ut pacem constitueret, Ca-
tharinam, Caroli VI. Regis filiam, geminâ legatione uxorem pe-
tierat. Et primâ quidem repulsam passus; secundâ legatione spon-
sam quidem ambiebat in conjugem, sed Normanniam, Andega-
venses, Turones, Pictones, Cænomannos & Pontacenses optabat
in dotem. Cum eæ conditiones gravissimæ Francis viderentur;
Legatos infectâ re dimiserunt.

Quam-

Quamobrem definentibus circà Cal. Augusti 1415. utrimque induciis, Henricus jam paratum exercitum, navibusque mille & quingentis impositum, quarum perplures pretio conductas ab Hollandis Zelandisque habebat, in oram Normanniæ classem dirigit; ac primo impetu Harfleum in Sequanæ ostio Urbem ad deditionem adegit; Indè transmisso Somona amne, in Morinis, Tervanam inter, atque Hesdinum, ad Pagum, cui Azincuria nomen, castra posuit, atque bellum circumfert in agros proximos, ac reportat prædam copiosam. Intereà Rex Franciæ validum exercitum ad averruncandam luem à Francia, conflat, atque non Brabanti tantùm & Flandri, sed & Gelri, ac Juliacenses, Clivensesque ad signa confluxêre, stipendiaque inter Francos suâ sponte fecêre. Porrò Antonius Dux Brabantiæ, mense Octobri Lovanium profectus, filiisque suis Ordinum curæ commendatis, invitis & dehortantibus nequicquàm Brabantiæ proceribus, clàm noctu Franciam versus perrexit, paucis Nobilium eum comitantibus. Hinc utrimque acies tripartitò dispositæ: jussitque Anglus palos aptari, senos pedes oblongos utrimque ferro indutos, quos singuli pedites præ se ferrent, atque in loco pugnæ infigerent, ut iis obvallati in hostium equites munirentur. Ità dispositi promoventur utrimque exercitus; At prima Francorum pernicies ab Anglis Sagittariis: ii in Francos equites tantâ densitate tela emittere cœperunt, ut in modum cujusdam nubis, densitas eorum cœlum obduceret, equos sauciant atque transverberant; tùm in disjectos & solutis ordinibus palantes invadunt, gladios securesque corripiunt, & vagantibus interfusi, passim equos equitesque mactant & fodiunt. postquàm eo facto nutare cepit Francorum acies, Proceribus Tribunisque frustrà pugnantibus, profligati, cæsi & in fugam acti sunt. Cæsi in acie quinquies mille, fermè omnes Nobiles, quorum principes, Comestabilis, Dux Brabantiæ Antonius, Comes Nivernensis, aliique quam plurimi. In captivis quatuordecim millia numerata. Militaria signa ablata centum & amplius. Angli è suis præter saucios, mille sexcentos numerabant in cæsis. Sic patratâ ad Azincuriam victoriâ, quæ Anglis monumento gloriæ perillustri fuit, Francis temeritatis atque ignominiæ. Ducis Antonii corpus inventum tertiâ post prœlium die, in oppidum proximum Sancti Pauli, atque indè Tornacum & Hallas, atque hinc Bruxellam delatum est, ubi exequiæ ingenti cum magnificentiâ celebratæ, quamvis ipsum mox corpus Furæ sit conditum. Hic à suscepto Brabantiæ principatu, acerrimus extitit nefariorum vindex, præcipuè parricidarum

Antonius in Franciam accurrit.

In prælio Azincuriano occumbit.

Ejus exequiæ & laudes.

darum & oppressorum pauperum; & si fata indulsissent vitam prolixiorem, ab hoc Principe æquitatis cultore, magnis Respublica incrementis aucta fuisset.

JOANNES IV.

Brabantiæ Dux.

Brabantiæ Duci Antonio, Joannes filius ejus nominis IV. successit, annos natus tredecim, qui primis annis cum undecim Rectoribus, ac deindè per se Brabantiam gubernavit. Anno 1415. Ordines Brabantiæ convocati, ei obsequii ac fidei sacramentum dixerunt; ipseque vicissim ordinibus se obstrinxit, promisitque id operam daturum, ut privilegia, consuetudines, immunitates, statuta ac jura, cujusmodi modo habent & usurpant, sarta tectaque haberentur; addito ac adpromisso se dictum sacramentum iteraturum ubi decimum octavum ætatis annum exiisset. Joannes intereà Ducatûs sui Urbibus ac subjectis suas prærogativas, datis codicillis, liberali manu asseruit & firmavit, ac speciatim pacta, quæ quondam Dux Antonius parens suus in auspiciis Principatûs sui concessit, quæ idcircò de integro repetere, supersedeo. 1415. *Inauguratio Joannis ejus nominis IV.*

Mense Majo 1417. Guilielmus Comes Hollandiæ & Hannoniæ vivis excessit, relictâ Jacobâ filiâ hæredeque unicâ (quæ primùm Joanni Delphino nupserat) quam Primatibus utriusque Comitatûs commendavit, ut Duci Joanni conjungerent. Deindè anno proximè sequenti assentiente Sede Apostolicâ ac vinculum consanguinitatis dirimente, celebratæ nuptiæ Hagæ-Comitis regifico planè luxu. Sed plerumque magnis gaudiis dolores obhærescunt; quippè Joannes Bavarus, Episcopus Leodiensis, Jacobæ patruus, quo Nepti suæ magis obesse posset, Præsulatum Leodiensem, quem annis jam totis viginti fermè administraverat, apud Pontificem Martinum abdicavit, & cum Elisabethâ Ducissâ Lucenburgensi, relictâ Antonii Brabantiæ Ducis Viduâ, Matrimonium contraxit. Quo facto, Dordraci ut plurimum agens, conterminos Hollandiæ tractus, & in his Goricomos hostiliter invadit, agrosque vicinos ferro & igne vastat. 1417. *Nuptiæ Joannis Ducis cum Jacobâ.* 1418. *Joannes Bavarus Nepti suæ Jacobæ negotium facessit.*

Postremò, annitente Joanne Intrepido, pax inter partes coiit, his legibus: Ut Bavarus Tutor esset Hollandiæ, Zelandiæque, & 1419. *Coit Pax certis legibus.*

 Occi-

Occidentalis Frisiæ triennio integro: Ità tamen, ut in conferendis præfecturis, jus divisum esset; pars ad Joannem Tutorem, altera ad Comitissam pertineret. Præterea, ut Joannes retineret sibi totam Australem Hollandiam, Gorickomum, Roterodamum, totamque terram Arkelensem & Lederdamum cum annexis, itemque Woerdæ ditionem, eaque omnia jure beneficiario de manu Comitissæ neptis suæ reciperet.

Jacoba venit in Brabantiã. Quarto Idus Septembris Jacoba Hollandiæ & Hannoniæ Comitissa, Ducis Joannis uxor in Brabantiam venit, quam Vilvordiam ingressam, salutatum ivêre Urbium Legati. Indè mense Fe-
1420. bruario 1420. Lovanium introiit, summo honore à civibus ex-
Dux Joannes immutat Comitissæ Gynæcium. cepta. Interim Dux Joannes præpostero quorundam consilio, Gynæceum Comitissæ summutavit, & ablegatis Hollandicis matronis Virginibusque, matrem & uxorem Wesemalii, & uxorem Ascani adjungi Jacobæ mandavit. Quod ipsa mater que ægerrimè tulerunt. Unde socrus Margareta, mater Jacobæ, Jacobam secum Canoyam Hannoniæ abduxit. Cujus discessio nobilitatem Brabanticam imprimis malè habuit. Undè haud multo post, Ordines Brabantiæ cum Proceribus, de Duce ad saniorem mentem redu-
Frater ejus Philippus ad regimen accersitur. cendo, fœdus ineunt. Resque eo postremum deducta, dum Ordinum monita Dux spernit, ut frater ejus Philippus e Francia ad regimen evocatus, Ordinum partes tutandas susceperit. Intereà Dux Joannes magnâ cum manu Germanorum, quibus Moersæ
Dux Joannes armatus Bruxellam intrat. Comitem cum Hensbergensi dynastâ præfecerat, urbem Bruxellensem, adjuvantibus Patriciis, ingressus, cœperunt sibi à militum multitudine metuere Cives. Nec mora, eorum sumptis armis Ductores, & in his dynastam Hensbergensem, vinctos in carce-
Tumultus plebis. rem conjecêre; Moersæ Comite, è domo in qua divertebatur, exire prohibito.

1421. Inde & Philippus frater, Regens Ducatus, Bruxellam quoquè advolans, perplures securi feriri jussit, & inter cæteros, quatuordecim nobiles captivos Bruxellenses. De Moeursio & Hensbergensi dynastis tum etiam actum: Sed eos Bruxellenses non demittendos antè palàm edixerunt, quam de iis, qui Lovanii, Antverpiæ & alibi servabantur, supplicium esset sumptum.

1422. Porrò Jacoba impotentis libidinis mulier, mariti infirmioris
Divortium Ducis & Jacobæ. pertæsa, contra affinitatem, ex Hannonia Caletum profecta, illinc in Angliam trajecit: moxque mittit Romam Legatos ad dirimendum cum Duce conjugium. Citatus Romam Dux, Præsulem Cameracensem, ac Joannem Bontium eo misit, ut causam suam defen-

defenderent. At illa, non expectato litis exitu, impetratâ à Benedicto Pseudopontifice facultate, tertias nuptias cum Hunfredo Duce Glocestriæ, fratre Henrici V. Regis Anglorum contrahit. Dux non invitus dimittebat uxorem, sed dotem retinebat, Hannoniam atque Hollandiam. 1423. *Tertias nuptias contrahit.*

Contrà Glocestrius dotem appetebat, ac in Hannoniam properans, bellum inferebat. Cum undique classicum incineret, Dux Joannes cœpit extemplò militem conscribere, ac Fratrem Philippum & Joannem Bavarum de mittendis auxiliis interpellare. *Dux Joannes cogit copias.*

Bavarus verò cum iis cogendis haud segnis instaret, repentinâ morte sublatus est, hausto veneno, quod ei propinatum fuerat à Joanne de Vlyel, ut tradit Chronicon Leodiense: scripsitque ex asse hæredem bonorum ac rerum suarum omnium Philippum Bonum, Burgundiæ Ducem, sororis suæ filium, præteritâ Jacobâ. *Joannis Bavari obitus, ejusque hæres testamento nuncupatus.* Hic è Burgundiâ, ubi tùm erat, Flandriæ Arthesiæque Ordinibus scribit, ut Duci Brabantiæ adversus Anglos suppetias ferrent. Quod & factum ab ipsis summa celeritate & alacritate.

Hinc è Brabantiâ acre in Anglos bellum motum, anno 1424. Haud multò post, Glocestrius Burgundum evocat ad prœlium, quo justo duello congrederentur. Nec Burgundus singularem pugnam detrectabat. 1424. *Glocestrius indicit Burgundo singulare certamē.*

Digresso Glocestrio in Angliam, ut se certamini pararet, aggressus est præsidia ejus Dux Joannes: Braniam, quam Angli propugnabant, recipit. Inde traducto Exercitu, Valentianas, Condatum, Songium, Atum, Bochanum, aliasque Urbes in suam potestatem redigit, omnemque Hannoniam Anglicâ gente expurgat; ità, ut sola Montium urbs Jacobam respiceret. Mox Comites Ponliberæ, ac Conversani, cum Engeberto Angiano, ac Domino Monjoyæ confestìm præmittit, qui Montes Hannoniæ obsiderent, & jam proximæ expugnationi præluderent: seque Vrbe incluserat Jacoba. Undè Margareta mater filiæ metuens, Burgundum appellat ad Pacem, vel impetrandam, vel conficiendam; eam obtinuit Conditionibus, quæ ejusmodi fuere. „Hannonia imperio Ducis Brabantiæ, pariter Hollandia, Zelandia ac „Frisia, rebellibus in gratiam receptis, cedito: Jacoba, donec „Summus Pontifex sententiam de jure nuptiarum pronuntiârit, „in potestatem Philippi Boni venito: Atque ità Jacoba, invita licèt reclamansque Gandavum abducitur. *Ioannes Dux Anglos Hannoniâ pellit.* 1425. *Margareta mater Iacobæ flagitat Pacem.* *Conditiones Pacis.*

Hic dum arctè custoditur, ac sumptibus Hollandorum sustentatur, ad extremum, clusis custodibus evolavit in Hollandiam ubi *Iacoba illusis custodibus evadit.*

imito

inito cum Trajectensibus Transisalanisque Fœdere, novum Burgundo concitat Bellum.

1426. *Glocestrius classem instruit.*

Quibus in Angliam relatis, Glocestrius confestim ad trajiciendum fretum se comparat; classi instructæ imponit militum tria millia, militiæ Anglicæ robur, quibus præfecit Filvateræ Dominum. Philippus Burgundio coacto expedito milite, Anglo haud segniter occurrit, propè Brouwershaviæ portum, quod Oppidum est Zelandiæ in Schaldia. Hic dum militem ille in terram exponit, Angli statim effusâ telorum & sagittarum grandine, ad pugnam se admovent; balistis & arcubus certo ictu in subjectum hostem collimantibus. Aliquot horis acerrimè dimicatum est, imò visa victoria Philippo adversari. Quo animadverso, Philippus Dux è navi prætoria, quæ aggeri adjacebat, exscensu in terram facto, suis subsidio accurrit. Atque ità eodem momento advenientibus Zinzæorum auxiliis, Angli tandem contriti sunt & profligati, plures hausti fluctibus. Nec incruenta Philippo Victoria. Pugna ipsa pugnata ipsis Idibus Januarii, anno qui fuit Millesimus suprà quadringentesimum vigesimus sextus. Mox Philippo in Flandriam regresso, ut militum delectum ageret, erecta animo Jacoba, Harlemum positis castris circumcingit, cui liberando, cum satagerent unà cum Leidanis Delphenses, molem Mosæ objectam perfoderunt; aquisque restagnantibus agros latè inundarunt. Jacoba spe potiundæ Vrbis exclusa, in Waterlandiam irrupit, ac proxima Hornæ municipia Monikedamum Edamum aliaque suæ potestatis fecit. Indè in Hollandiam borealem penetrans, Medenblicum & Enchusam similiter occupavit. Paucis post diebus Romæ pronuntiatum, Jacobam sine justa causa fecisse cum Joanne divortium. Quo accepto nuntio Glocestrius [illegible].

Angli cæsi & victi.

Harlemum à Jacoba obsessum.

Pontifex declarat Jacobam sine justa causa fecisse divortium.

Joannes Dux tot molestiis ac [illegible], Lovanii Academiam condidit anno post [illegible] orbem suprà Millesimum quadringentesimo vigesimo sexto, impetrato à Pontifice Maximo eâ ætate Martino V. ut omne artium scientiarumque genus (unâ tum exceptâ Theologiâ) prælegeretur. Præcipuus incentor, & qui Joannem ad hoc Athenæi instituendum primò perpulit, fuisse memorant Engelbertum Nassavium, qui eodem tempore [illegible] apud Principem erat gratia. Et licet multi tum Mechliniam, aere & munditie commendabilem, suggererent, vicit tamen eorum sententia, qui Lovanium præferebant, quod hâc Urbe haud aliâ, inter Belgii cætera, loci ingenio secessui ac otio Musarum videretur aptior.

* 1426. *Ioannes conditor Academiæ Lovaniensis.*

Porrò

Porrò Joannes ad conventum Lyræ indictum profecturus, morbo [illegible] correptus, ac mox Bruxellam rel[illegible], ibi 17. Aprilis 142[illegible] animam efflavit, [illegible] 24 [illegible] ingenio Princeps, in rebus adversis [illegible]. Fuit justi & æqui [illegible], Religionis [illegible], atque in turbas egenorum tam munificus, ut ab iis P[illegible] appellaretur. 1427. *Eius obitus & dotes.*

PHILIPPUS

Frater Superioris.

Erat Joanni Duci frater Philippus Comes Sancti Pauli & [illegible], qui [illegible] hoc [illegible] [illegible] Pontifice Maximo [illegible] [illegible]. At Pontifex [illegible] bellum inter Cypri Regem [illegible], [illegible] abire, sed apud se [illegible] habuit. Igitur viam relegens, [illegible] [illegible] regnavit. Q[illegible] [illegible] Aprilis 142[illegible]. in pa[illegible] [illegible], con[illegible] [illegible] [illegible]que, [illegible]. 1427. *Inauguratur Philippus.*

[illegible] [illegible] Conventum indixit, ubi ob [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] & [illegible] habent, amplioribus [illegible], quæ ad fidem linguæ vernaculæ recensere [illegible].

PHILIPPUS [illegible] Dux [illegible], Brabantiæ & Limburgi, M[illegible] Comes [illegible] & Sancti Pauli. Universis & singulis [illegible] salutem. Quoniam æquum est [illegible], Principem [illegible] suos gratiis & privilegiis prosequi: Nos [illegible] & [illegible] compluribus, & fidelibus meritis & officiis, quæ Brabantiæ nostræ subjecti, caris nostris Majoribus, Ducibus & Ducissis Brabantiæ (piæ memoriæ) præstiterunt, eosque ipsos [illegible] præstaturos confidi- *Iurata Principis pactiones.*

fidimus. Idcircò omnibus & [illegible] has Litteras [illegible] uris, aut [illegible]-ris palàm constare volum[illegible]; Nos ex singulari favore & [illegible], quem ergà eos gerimus & habemus, in auspiciis Principatus [illegible], iis donasse ac [illegible] ejusmodi privi[illegible], [illegible] firmitates, qualia [illegible] scripta, ut iis [illegible]ntur, [illegible]; quæ [illegible] nostro, h[illegible] & successorum nostrorum [illegible], & so[illegible] jurejurando ad[illegible]mus [illegible] tecta [illegible], & in perpetuum custodiri curaturos.

I.

Ac primùm quidem promi[illegible] Dominum [illegible], neque [illegible] ferri ullo pacto [illegible] ipsis acturum, neque [illegible] Prælatibus, Cœno[illegible], [illegible] d[illegible] Brabantiæ, [illegible] dum [illegible] l[illegible], [illegible] bu[illegible] ri[illegible].

II.

Quod [illegible] & [illegible], [illegible] v[illegible] & [illegible] di[illegible] strum Provinc[illegible] [illegible], neque [illegible] Ur-bium [illegible] [illegible] [illegible] tero ad ea d[illegible] rumvè Nobis Pro[illegible]scriptum, [illegible] filio dictarum Ur[illegible].

III.

[illegible] ca[illegible] & [illegible] Brabantiæ.

IV.

[illegible] Joannis (cui Deus propitius sit) [illegible] justitiam, [illegible], aliudvè ad ejus

ty-

typum cælari assentiemur, nisi ob justas & urgentes causas, idque [illegible], nisi Ditionis nostræ consensu.

V

Quicumque modò, aut venturis temporibus in Ordinem am-[illegible], [illegible] Cantor, & Secretarii Curiæ, præter fidem, [illegible], quod Nobis [illegible]; et [illegible] tribus Ordinibus [illegible], pollicebunturque, se nunquàm interventuros, aut tabulas [illegible], signaturos, neque obsignaturos, quibus [illegible], Civitates, Arces, Reditus, Proventus [illegible], citra u[illegible] Mosam sita, quocumque [illegible], extenuentur, [illegible], nisi volentibus & consciis ipsis Ordinibus.

VI

[illegible], aut S[illegible] c[illegible], Urbiumque Brabantiæ, aut [illegible] p[illegible].

VII

Nullis in posterum [illegible], neque [illegible], neque Officiales [illegible], aut [illegible] Con-cilii nostri, [illegible].

VIII.

[illegible], [illegible] tor, aut [illegible] in Brabantia [illegible], vel de-tali jure, [illegible].

IX.

Profitemur [illegible] cum suis pertinentiis ultrà [illegible] sunt. Et cum eæ in [illegible], [illegible] pletes prædictis cis Mosam degentes, [illegible] caveri curabimus, Arces easdem, cum [illegible], ipsi tradendas esse: easdemque Arces & Civitates [illegible] Brabantorum, aut [illegible] incolarum earundem Ditionum [illegible], qui [illegible] promissoribus similiter cis Mosam degentibus, nobis, nostræque

 Pro-

Provinciæ Brabantiæ eam ſecuritatem dabunt, ut cautum Nobis ſit eas nullo pacto à Brabantiâ abſtrahendas eſſe. Atque tùm [illegible] dem Ditiones illas trans-Moſanas, Arces & Civitates, ullâ viâ, aut modo, quocumque titulo id fieri queat, [illegible] aut transponemus. [illegible] ſubjectis Ditionis noſtræ Tran[illegible] juxta leges & conſuetudines reg[illegible], ejuſque loci ubi [illegible] agit, jus ac ju[illegible]um ad[illegible]ra[illegible]mus.

X.

Operam ſedulò navabimus, [illegible] Brabantiæ, ſub legitimo vectigali, [illegible] citròque [illegible] poſſint, [illegible] quod, quære Nos, aut D[illegible] mus, aut quæ No[illegible] ſi quis ſubjectorum noſtroru[illegible] ceſſorum, aut [illegible] aut [illegible] præſtabimus, [illegible]

XI.

V[illegible] fraudem [illegible] citròque [illegible] miſſa ve facta, aut ob [illegible] prohibeatur.

XII.

Eos, qui præ[illegible] pontes aut [illegible] ſervare [illegible], [illegible] id [illegible] excuſab[illegible]tur.

XIII.

Redemptiones [illegible], quocumque loco in Provinciis noſtris [illegible] ſtratuum [illegible].

XIV.

Qu[illegible] gerus, [illegible] Brabantiæ [illegible], ubi nec [illegible].

XV.

XV.

Nullum in Brabantia nummum cudi curabimus, [illegible] voluntate & consensu totius Provinciæ, neque in [illegible] Si quid tale contigerit, id vindic[illegible] [illegible] ipsiusque bona [illegible] [illegible] Civitatum, [illegible] quæ in S[illegible] [illegible] continentur.

XVI.

[illegible] Brabantia [illegible] neque [illegible] neque Præfectus Provinciæ, neque Judex fieri, neque [illegible] poterit.

XVII.

[illegible] in Provincia [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] consilium.

XVIII.

[illegible] Provinciæ [illegible] [illegible]

XIX.

Quicumque [illegible] quisve Provinciæ, aut Præfectus [illegible] qui nunc [illegible] sunt, [illegible] [illegible] [illegible] fide [illegible] salvæ & [illegible]

XX.

Munera Provinciæ [illegible] non locabuntur, sed ut antiquitus consu[illegible] tribuuntur. Et si quæ contingat elocari id nullius mom[illegible] habebuntur.

XXI.

Non permittemus, ut quisquam [illegible] Provinciæ nostræ Brabantiæ popularem suum extra eamdem Provinciam, quamcumque tandem ob causam, in jus vocet; exceptis causis de validitate te-

[illegible], de pactis matrimonialibus rebusque in pios usus do- [illegible] fuerit [illegible] & bonis exuetur.

XXII.

Si qui [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] ei noxæ [illegible]

XXIII.

[illegible] [illegible] Provinciales [illegible] [illegible] Provinciis [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] ad [illegible]

XXIV.

[illegible] [illegible] [illegible]

XXV.

Si ingenuæ [illegible], aut [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] cum [illegible]

XXVI.

Si quis [illegible] [illegible] [illegible]

XXVII.

Viros bonos è Brabantico Concilio deligemus, qui, quo loco Nos in Brabantia assidui erimus, vice nostrâ Senatum agent: & si contingat Nos procul è abesse, Curiam alicubi loco [illegible] [illegible] nostro nomine unicuique [illegible] [illegible] [illegible] bunt eo loco, quo [illegible]

XXVIII.

Quicumque Comites, [illegible], domini, aut [illegible] [illegible] [illegible] provinciæ nostræ Brabantiæ [illegible] [illegible] [illegible] Brabantiæ [illegible] tur, [illegible] [illegible] Brabantus, [illegible] & qu- [illegible] Brabantus [illegible] est, [illegible] [illegible]

XXIX.

Si quis in Brabantia [illegible] jure, [illegible] Nos, & [illegible]

XXX.

Promittimus præterea [illegible] & incolis Provinciæ nostræ Brabantiæ, quod [illegible] jus [illegible] bitur, aut [illegible] leges & [illegible] Curiam condemnabitur, nisi si [illegible]

XXXI.

Quod [illegible] S. Petri [illegible] agitur, [illegible] de jure [illegible]

XXXII.

[illegible] Brabantiæ [illegible] & [illegible] [illegible] c[illegible] Provinciæ [illegible] & d[illegible] Brabantiæ [illegible] a[illegible] c- hibe[illegible] qui quid [illegible] & [illegible], [illegible] un- quam in Provinci[illegible]

XXXIII.

Vnicuique fas erit prædia [illegible] canibus no[illegible] unguibus: & si qua fera [illegible], [illegible] ci[illegible], ut erit, suo in loco re[illegible] tur, id illi non est futurum fraudi. Poterit [illegible] quisque per totam Brabantiam lepores, atque vulpes [illegible], pariter

miter & cuniculos extra libera vivaria, aucupium quoque exercere.

XXXIV.

Deinceps, quicunque [illegible] Nobiles [illegible] etiam Brabantiae [illegible], per [illegible] cumque [illegible], salubus & sylvis [illegible] Soni[illegible]n, Z[illegible], [illegible] dael. Et hoc, ut firmum & [illegible], [illegible], prom[illegible] [illegible] [illegible] p[illegible] [illegible] p[illegible], per quae [illegible] [illegible] leat.

XXXV.

In [illegible] Brabantiae [illegible] [illegible] tur, [illegible] [illegible].

XXXVI.

[illegible]

XXXVII.

In regione Brabantiae [illegible] [illegible] ad [illegible].

XXXVIII.

[illegible]

XXXIX.

[illegible]

XL.

In [illegible], [illegible] Quaestorem [illegible]

constituemus, aut destituemus, absque consilio & placito communis Concilii nostri, aut saltem sex eorum, qui in literis nominabuntur.

XLI.

Nunquam in Brabantia Cancellarium, aut Obsignatorem constituemus, nisi sit de nostro Concilio, [illegible] conditione [illegible], trium linguarum gnarus, Latinæ, Teutonicæ, & Gallicæ, quem deligemus exquisitâ Consiliariorum nostrorum sententiâ, saltem sex eorum, qui jurejurando [illegible], eum ad id [illegible] Nobis, Provinciæque universæ idoneum esse & commodum. Qui Cancellarius, aut Obsignator [illegible] Nobis, & [illegible] Ordinibus, ad nostrum nostræque in commune Provinciæ [illegible], Sacramentum dicet, prout supra quo [illegible] Capite comprehensum est, commemoratis promissa à Consiliariis, Obsignatore, & [illegible] Ordinibus faciendâ.

XLII.

Ad Comitia [illegible], quemadmodum [illegible] antiquitùs [illegible], Ordines semper convocabimus, nisi convenire [illegible] requirat. Ea etiam provincialia Comitia, [illegible] opportuno loco in Brabantia cogenda curabimus, quo tuto atque secure accedere, indeque [illegible] possint.

XLIII

Unicuique Prelatorum, Baronum, Nobilium, Civitatum, & Municipiorum Provinciæ nostræ Brabantiæ, [illegible] Nobis, aut [illegible] convenire, aut simul cum aliis, aut [illegible], mandata sua proferre & pandere, [illegible]. Neque propterea indignationem nostram, aut persecutionem cujusq [illegible], neque Nos ideo ullo modo eundem aversabimur.

XLIV.

Inductiones in [illegible] eo loco in Brabantia constituemus, carumque [illegible], ut quibus iis de rebus lis est, [illegible] commode eò venire possint.

XLV.

Qui Nobis à consiliis sunt, [illegible] nostri [illegible], Judices, Consules, Scabini, Consiliarii, [illegible], Judices [illegible], omnesque alii, qui sententiam [illegible], aut [illegible] potestatem habent: pariformiter qui in Brabantia, sive in [illegible], sive in Municipiis, sive in Pagis, qualicunque publico munere

fungantur, ad unum omnes, cum solenne jusjurandum præst[illegible], simul jurabunt, se, ut cuiquam in judic[illegible] vel [illegible], vel [illegible], neque pecuniam, neque munera, aliamve re[illegible], neque per se, [illegible]que per alios accepturos: sed se, citrà omnem [illegible], aut quæsitum colorem [illegible] juxtà ac div[illegible] [illegible] jus & justitiam administraturum. Insuper hæc, se ad [illegible], Scabinatum, Consil[illegible] munus, neque [illegible], neque mercedem, neque [illegible] aliquid, aut [illegible]disse, aut promisisse, aut obtulisse, neque per [illegible] promittendum aut offerendum curasse, neque [illegible] [illegible]bus per [illegible] [illegible]. Et si quis in hæc i[illegible], [illegible] Concilio, ministerio, magistratu, [illegible] Civitatum nostrarum, Municipiorum, aut P[illegible]orum, ullo modo esse [illegible].

XLVI.

Decernimus præterèa, ut privilegia, ac diplomata, quæ Civitates nostræ Buscum-[illegible], & [illegible] [illegible]gendo, [illegible] Civitatum, à quibus [illegible] est, [illegible]; jureque, [illegible] ad [illegible]. Exceptô, quod si, [illegible] B[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]runt, [illegible] nullà a[illegible].

XLVII.

Drossardus noster, sive Provinciæ Præ[illegible], & qui [illegible] munera administrent; similiter Judices [illegible] b[illegible], præ[illegible] & [illegible], jurejurando [illegible], qu[illegible] quemque [illegible], [illegible] & [illegible] [illegible] & [illegible], neque [illegible], [illegible], aut [illegible] [illegible]sus ea quicquam [illegible].

XLVIII.

Cæterùm con[illegible], & [illegible], confirmamus, & approbamus, [illegible], Magistratibus, [illegible] Dominibus, [illegible], [illegible], [illegible], omnibusque aliis nostris subjectis, & incolis Provinciæ [illegible] [illegible], [illegible], libertates, [illegible] [illegible]blicas, consuetudines, [illegible], quæque [illegible] a Majoribus nostris Ducibus & [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], & posteris [illegible], firma [illegible] in perpetuum [illegible], neque quicquam hisce contrarium [illegible], aut [illegible].

XLIX.

XLIX.

Pro[illegible] [illegible] nostro, h[illegible]dum, & successorum no-
strorum nomine. Nos [illegible] [illegible]turos, aut [illegible], aut
a[illegible] [illegible] [illegible], No[illegible] [illegible] ejusmodi jura, liberta-
tes, privi[illegible], [illegible], [illegible], vetustos usus, [illegible]
[illegible] [illegible] obl[illegible]ari [illegible], [illegible]
q[illegible] [illegible] [illegible] non donavimus, con-
c[illegible] [illegible], [illegible] illis damnum
a[illegible], aut [illegible]. [illegible] volumus & cupimus, ut omnia
jam dicta [illegible], [illegible], [illegible], & confirmationes, [illegible]
r[illegible] [illegible], [illegible] perpetuum [illegible]ntur:
C[illegible] [illegible] Prælatis, Cœnobiis, religiosis domi-
bus, [illegible], [illegible], Civitatibus, municipiis, & omnibus
[illegible] Provinciæ Brabantiæ, ipsorumque hære-
d[illegible] & posteris, [illegible] promittimus, [illegible]
E[illegible] [illegible] hæredibus & successoribus nostris,
e[illegible] perpetuum, [illegible], & [illegible] observare, neque ullo
modo [illegible] [illegible] curare, aut ut
contra[illegible], [illegible]. [illegible] Nos, hæredes, [illegible] [illegible]e
c[illegible] per Nos, aut [illegible] quæsivit, quocumque modo,
con[illegible], confirmamus & concedimus [illegible] Præla-
libus, Baro[illegible], Civitatibus, Municipiis, omnibusque nostris
jam dictis subjectis, ut [illegible] hæredibus & posteris nul-
lum [illegible] præstent, neque [illegible], [illegible]
[illegible] ab [illegible], aut requirere, [illegible] quod
i[illegible] [illegible], [illegible], [illegible], & post-
num in [illegible], & ab ea [illegible]
[illegible] [illegible] perpetuam [illegible], [illegible] literis li-
g[illegible] [illegible] Datum Vilvordiæ, decimo Cal.
Jun[illegible], [illegible] millesimo, quadringentesimo vigesimo septi-
mo.

Secundum [illegible] Principi [illegible] leges, nisi nonnumquam [illegible] diligentissimum consilium. Quapropter Joannem B[illegible]m, Archidiaconum Fami-niæ, amplissimo Cancellarii munere, [illegible] præposuit. Excitatus Ducem præter ætatis & [illegible], [illegible] & [illegible] judicium, modestia vitæ [illegible], fides optima. His probitatis, innocentiæ [illegible], [illegible] sibi ad [illegible] fastigium munivit: his [illegible] Principi [illegible], & favorem [illegible]. Postquam Cancellarii [illegible] ad- 1427. *Joannes Ben-sius creatus Cancellarius Brabantiæ.*

mini-

1429. *Ex spontanea ejus ejuratione suffectus est Ioannes Gislenius.* ministrasset, cum ætas & valetudo [illegible], in Procerum consessu, habito Lovanii, dignitatem sponte abdicavit, cui suffectus est anno 1429. Joannes Gislenius, [illegible] Brabantiæ, Decanus ad S. [illegible] apud [illegible], [illegible] judicio, qui [illegible] inter Ducem & [illegible] [illegible] & [illegible].

Quæritur Duci thalami consors. Eadem [illegible] de Duci [illegible] Ludovicum [illegible] Regem, Angliam [illegible] [illegible] cognomen [illegible] Hæc Duci [illegible] sors, [illegible] & [illegible] R[illegible], [illegible] Engelbertum [illegible], Joannem [illegible], Joannem Boutre [illegible], & Rasonem R[illegible] [illegible] Nobilium [illegible] [illegible]

1430. *Ejus immatura mors.* [illegible] Philippus [illegible] [illegible] Lovanii [illegible] Sic [illegible] pompam [illegible]

P H I L I P P U S

Cognomento Bonus, primus Unius Belgii Princeps.

Controversia de Ducatus successione. PHilippo extincto [illegible] Duci, [illegible] tabo, [illegible] Sacello [illegible] [illegible] Principe [illegible] Philippus [illegible] & Margaretam Jacobæ matrem, [illegible] Margaretæ [illegible] At Philippus, qui tunc [illegible] Episcopus [illegible] Joannæ Ducis, Ducatum ipso jure ad Joannem Philippi [illegible] cujus

fisse verò cum Antonio fratri, ea lege, ut si Antonium liberosve ejus sine prole mori contingeret, Ducatus ad Joannis heredes [illegible]; unde summo jure Philippo Ducatum competere. Quibus licet reponeret Margareta, id pactum inter fratres invalidum esse, utpote nullâ Imperii auctoritate [illegible] confirmatumque; Ordines [illegible], [illegible] singulorum argumentis, [illegible] Philippo Principatum deferendum, [illegible] mox Compendium Legati, qui Philippum Brabantiae Principem salutarunt; [illegible] que ad [illegible], [illegible], ut quam [illegible] in Brabantiam properaret. [illegible] Joannis a Limburgo [illegible] in Brabantiam contendit. Ubi ipsi, [illegible], [illegible] acclamatum. Mox Lovanium profectus 5. Octob. [illegible] Urbem, Ordines [illegible], accepta [illegible] in Ducem solenniter inauguratus est. Ea vero [illegible] populo Brabantico [illegible], [illegible] [illegible].

Ac primum quidem [illegible], Nos ipsi fore [illegible]; 1430.
[illegible] Dominum, neque vim aut violentiam ullam [illegible] [illegible] perpessuros, neque [illegible] judicium, [illegible] cum ipsis acturos, [illegible] Praelatis, Monasteriis, Baronibus, Nobilibus, Civibus, Municipiis, [illegible] que [illegible] Brabantiae & Trans-mosanae [illegible], [illegible] [illegible] jure suo [illegible] oppido, & [illegible]. Insuper hoc promittimus, quod jura [illegible] nostrae Provinciae [illegible] [illegible], neque ullo pacto [illegible], [illegible] quod [illegible] Docuit, [illegible], & [illegible], [illegible].

[illegible], Principem antiquae consuetudinis [illegible] [illegible], [illegible] volunt, [illegible] cinpla Trajani [illegible] ad Plinium [illegible] scribit: Sequendas [illegible] Chalcedonia [illegible] de Bithynia & Ponti civitatibus [illegible] privilegium, quo caeteris creditoribus anteponuntur, [illegible]; sive non habent, [illegible] privatorum [illegible] non oportebit. Sic & Agrippa, [illegible] Lacedaemoniorum multi [illegible] pugna, [illegible], atque [illegible] Ego, inquit [illegible] sum. Neque his, quas habetis, aut [illegible] aliquid, aut detracturus, neque quicquam omnium [illegible], mihi [illegible]

videtur

videtur, ut leges quæ [illegible] habeant & authoritatem. (Plutar. in Lacon. Apotheg.).

II.

Quod privilegia, & publicæ juris tabulas, dictam Provinciam & homines [illegible], quæ nunc Novellis, & alibi asservantur, ut quæ in posterum adjicientur, ad nostrum Provinciæque commodum congregabuntur intra hujus [illegible] diem, & Pronunciationis [illegible] atque ita collecta, in nostro [illegible] Provinciæque [illegible] collocabuntur Antverpiæ, sub [illegible] bus, quarum Nos unam, [illegible] Bruxellensis possidebunt, ita, ut nulli [illegible]. Quorum privilegiorum, tabularumque Nos, itidemque Civitates habebimus exemplar, quo uti frui possimus.

III.

Spondemus quoque, quod liberi & soluti, nullisque [illegible] erunt bellis nostris Francicis, & Leodiensibus, [illegible] quam, tanquam Brabantiæ & Limburgi Dux, ob causas Principatum eundem Provinciarum spectantes, Nos [illegible] aut bellum [illegible] aut [illegible] nostrarum Civitatum, Provinciæque Brabantiæ; Neque [illegible] Urbes, aut [illegible] privilegia, consuetudines, [illegible] quod incolis officiat & obsit.

Bellum facilè suscipitur, at non facilè deponitur [illegible] dem est potestate belli initium, [illegible] Salust. in bello Jug. Hinc Cicero pro Milone [illegible] & Mars communis, qui sæpe [illegible] & [illegible] abjecto. Proinde [illegible] Omnia [illegible] decet, [illegible] Arist. Pol. c. [illegible]) Bello tamen [illegible] Respublica, [illegible] innocentia [illegible] juris [illegible]

IV.

Assumpturos titulum, & insignia gentilitia Lotharingiae, Brabantiae, Limburgi, & Marchionatus Sacri Imperii [illegible], & ad exemplar ejusdem Tituli & insignium sigillum fieri jussuros, quo exinde utemur, quod ab aliis nostris sigillis internosci possit: idque non immutaturos, neque aliud ad ejus typum incidi assensuros, nisi justis urgentibus rationibus. Id [illegible] haud [illegible], cum consensu [illegible] Brabantiae Ordinibus. Idque sigillum [illegible] perpetuo in Brabantia [illegible], nec quoquam [illegible] jussuros; atque eo sigillabuntur omnes causae ad [illegible] Brabantinas, & Transiselanas, ceteraque [illegible] pertinentes. Tabulaeque inde [illegible], expedientur [illegible] Secretarium nostrorum, [illegible] Brabantiae deputatum, signabunturque a quatuor Consiliis nostris Brabantinis.

V.

[illegible] perpetuo [illegible], [illegible] Virum, qui [illegible] Cancellarium, & [illegible], Brabantiae [illegible], ac [illegible], [illegible] Latine, Gallice, & Teutonice, [illegible] sigillum nostrum concredemus. Quatuor vero [illegible] Brabantinos, [illegible], & [illegible], aut [illegible] in Brabantia, [illegible] possidentes. Reliquos duos in [illegible] Consilium [illegible] arbitratu: [illegible] Teutonicam. Quibus [illegible], [illegible] [illegible] Provinciae [illegible]. Cum vero [illegible] ut Provinciae nostrae Brabantiae, aut Transiselanae, [illegible] ad eandem Provinciam [illegible], [illegible] & [illegible] Consiliis nostri [illegible] concedemus.

[illegible] Quam ob rem Princeps Senatum numero [illegible], [illegible] est. Jurisconsultus [illegible] [illegible] Majoribus [illegible], [illegible] [illegible]. Si [illegible] Platonicis & alii numeris, [illegible] cujus variae [illegible], quod [illegible] in caelo sunt Planetae, [illegible] in Tauro vergiliae, septem in Polo Arctico stellae, septem circuli circa axis longitudinem, quod septenis diebus Luna [illegible] Zodiaci ambitum conficiat. Si Medicorum sententia [illegible], [illegible] in hominibus [illegible] septenario, [illegible] per septenarios [illegible], eosque dies maxime esse criticos, sive judiciales. Ita per omnem vitam septimus

nius quisque annus periculosius, sicut etiam Climactericus [illegible] ricus, annus scilicet unde quinquagesimus, quem componunt anni septies septem, & annus sexagesimus tertius, quem anni novies septem conficiunt. Hoc enim esse perfectum esse, inquiunt Philosophi, quod ex horum numerorum permixtione generatur, pari & impari. Unde Cicero in Somnio Scipionis, dicit numerum septenarium, omnium fere esse nodum. Sacer quoque Codex [illegible] numeri cum [illegible] meminit, Genes. c. 2. Benedixit Deus diei septimo, & sanctificavit illum, quia in illo quievit ab omni opere suo.

(*Brabantiâ oriundis*) Prudenti consilio Cyrus, Rex Persarum, moriturus, filium monebat, ut si quos Regni Consiliarios post obitum suum asciscerct, nunquam aliunde reciperet, quam à suis civibus, quos semper alienigenis præferret. Nam ubi populus suos Optimates Conciliis non cernit adhiberi, mox crescit [illegible] & pro infidis haberi. Hinc Julius Cæsar apud Romanos in invidiam adductus est, quod Gallos externos in Senatum receperit. Suet. cap. 76. & 80.

Nec Carolus Magnus [illegible] à Lotharingis [illegible], quod [illegible] bis, toga & bello [illegible] Quam periculosum [illegible], [illegible] Neapoleos, & Siciliæ Rex; quippe in quem [illegible] politani & Siculi, quod [illegible] Gallis [illegible] idem [illegible] Anno 1268. [illegible] runt, & [illegible] Idem Belleforest. Apud Romanos [illegible] verum, nisi Romanos [illegible], quod & Civitas, & [illegible] ciali bello, ut à Camillo [illegible] est, in [illegible] [illegible].

(*Utriusque linguæ peritiam*) Aurea Bulla Caroli IV. [illegible] Electorum filios, & Successores discere Græcam, Latinam, Italicam, & [illegible] linguam, [illegible] communicare possent. Accedit, quod linguarum cognitio haud [illegible], & [illegible]. Romanorum quoque filii ad Rempublicam [illegible], primo linguam Hetruscam, deinde Græcam perdiscebant. Dion. Hal. Lib. 4.

(*Locupletatis*) Carthaginenses non optimos solum, sed & ditissimos

simos

[illegible] sunt Magistratus [illegible]. quod arbitrarentur fieri [illegible] posse, eum, qui [illegible] præmeretur, [illegible], syncereque Magistratum gerere. Gel. Lib. 20 cap. 24. [illegible] & apud Romanos [illegible] bellum Hannibalis, census in amplissimo Ordine legendo, custoditum [illegible]. Unde Arnobius Lib. 4. adversus gentes, [illegible].

Quis ad extremum Deum pecuniam esse credat? quam, velut [illegible], [illegible] indicant literæ [illegible] annulos [illegible], loca in ludis atque spectaculis priora, honorum [illegible], amplitudinemque [illegible]. Ante Augustum census Senatorius fuit octingenta [illegible] millia. Sestertius porro ex eo dictus est, quod duos asses, & semissem valeret: Igitur decem millia sestertium, [illegible], ducentos & quinquaginta aureos [illegible], secundum [illegible] de Asse. Suetonius in vita Augusti scribit: Senatorium censum ampliavit, ac pro octingentorum millium summa, duodecies sestertium [illegible] taxavit, [illegible] non [illegible], ne [illegible] amplissimi, rei familiaris angustia obscurarentur, ut tradit Sigon. de antiquo jure civium Rom. Lib. 2 cap. 2. Verum [illegible] civitate, amissis per bella [illegible] patrimonio, non modo non appetebant Senatoriam dignitatem, sed ea se quoque abdicabant. Idem Augustus diminuit tum censum, & [illegible], quam fuisset [illegible], constituit. At [illegible] civitate, [illegible], alio decreto non solum explevit [illegible] numerum, [illegible] diminuerat, sed & ampliavit.

VI.

Quicunque in ordinem amplissimum [illegible] sunt, aut posterum [illegible] nomine in posterum cooptabuntur, pariter & [illegible], & Scribæ Curiæ, priusquam dignitatem & munus ineunt, [illegible], fidem, & Sacramentum quod Nobis dixerint, [illegible] dictum sunt, etiam [illegible] fidem dabunt, [illegible] nunquam se [illegible], aut tabulas publicas [illegible], signaturos, [illegible]: quibus ditiones nostræ, [illegible], [illegible], [illegible], & [illegible] citrà ultraque Mosam, quæcumque [illegible], [illegible], permutentur, divendantur, [illegible], [illegible], [illegible], aut donatione, remissione debiti, aut quocunque alienationis genere in alienum dominium transeant, nisi [illegible] Orangiæ [illegible]. Si quis peccaverit a Consiliario, [illegible], aut Scriba in Concilio, munere, functioneve, si explorato pri-

mùm sensu ac consilio Nobilium, Urbiumque Brabantiæ, aut majoris partis eorum, [illegible].

Omnium Regnorum lex est, & ipsis Regnis æqueva, ut Reges in sua coronatione jurent, jura Regni sui illibata servare, & partes alienatas & [illegible] Coronæ redintegrare, tanquam membra corpori. Eam ob rem Franciscus primus Gallorum Rex à Legatis Cæsaris, Caroli V. appellatus, ut [illegible] tum vellet, respondit id pertinere ad regni comitia, [illegible] jurejurando [illegible], quod in unctione [illegible], se nullam Regni partem distracturum, regnum esse Francorum, Regni usum [illegible], seque absque assensu Comitiorum, nullum [illegible]dum tradere posse. Coactis igitur Comitiis, responderunt Regem membrum à Francia haud divellere posse, [illegible] nem, quatenus contra primarias Regni leges promisisset.

VII.

Regimen quod nunc in Provincia nostra Brabantiæ [illegible]mus, [illegible] sine ulla immutatione sustentabimus, et si contingeret aliquem ejusdem regiminis ob [illegible], eo [illegible]dum esse, quo [illegible] sensu, ac consilio [illegible] Brabantiæ Ordinum, jus recte, atque [illegible] curabimus.

Apud Romanos ordinis amplissimi dignitatem [illegible], qui aut gravioribus [illegible], aut turpi de crimine aliquo convicti, aut censoria animadversione notati essent. Quia de re Zonaras: Post constitutum est, ut qui semel in Senatum lectus esset, per omnem ætatem in eo ordine permaneret, nisi aut turpi judicio damnaretur, aut ob vitæ [illegible].

VIII.

Nullas in posterum mulctas, aut [illegible] remittemus, neque [illegible], aut etiam eximia munera conferemus, nisi ex consilio & placito [illegible] Concilii nostri Brabantiæ, aut saltem quatuor eorum, qui diplomati [illegible] & subscribent.

Totilas Gothorum Rex, rogatus ut parceret [illegible], qui puellam [illegible], respondit [illegible] esse, [illegible] & [illegible] justitia [illegible]. [illegible] 19. de Imp. [illegible]. Hinc [illegible] Lex illa Platonis 9. de Leg. [illegible], corpore, verberibus, [illegible], ære, capite [illegible] puniantur.

IX. Nu-

IX.

[illegible] deinceps in [illegible] nostrum Concilium lecturos, aut [illegible], nisi viros bonos, è legitimis nuptiis, & in Brabantia natos, [illegible] rerum suarum habentes, & prædiatos: aut, qui patrimonii, dotalive jure, Baronis dignitatem in Brabantia possident: exceptis Angelo [illegible], & Joanne Domino [illegible], hunc quidem [illegible], quia dominium in Brabantia possedeat; [illegible] illos, Teutonicæ linguæ ignaris: Quibus [illegible] regimen Provinciæ committetur.

X.

[illegible] de oppignoratione Limburgi controversiam [illegible], [illegible], effecturumque ut Lovanii & [illegible] cives, [illegible] propter [illegible] capti, liberentur, [illegible], quamprimum fieri fieri: Ad hoc [illegible] ab incolis Limburgi nobis [illegible]; [illegible], ut Ducatus Limburgi in perpetuum Brabantiæ annexus maneat, nec unquam ab ea divellatur.

XI.

[illegible], [illegible] pignori oppositas, reluemus, quà commodè fieri poterit, easque Brabantiæ indissolubili nexu conjungemus, eumque ad finem [illegible] pecunias, quas Gelriæ Dux, juxta postulationem nostram dependere debet, aut alias pecunias.

XII.

Dabimus quoque operam, ut dominium d'Oven, cum suis pertinentiis Brabantiæ applicetur, uti & alia dominia ab ea avulsa.

XIII & XIV.

[illegible], & [illegible] nostras Transisolanas, & quæ ad eas pertinent, [illegible], quam ipsi hoc tempore sunt, non gravabimus, aut [illegible]. [illegible] in manum nostram [illegible] Provinciæ [illegible] per [illegible], alienosque [illegible] Brabantia ullo pacto [illegible] Brabantorum, aut dictarum [illegible]. Atque [illegible] Transisolanas illas ditiones, [illegible], & Civitates nullo pacto [illegible] oppignorabimus, aut transferemus: [illegible] nostris Transisolanis juxta leges, consuetudines, & [illegible] cujusque fori, justitiam administrari curabimus.

XV.

Operam navabimus, ut universi subjecti nostri & boni homi-

nes Civitatum nostrarum Provinc[illegible]rum [illegible] Brabant[illegible] & T[illegible] sanæ, sub legitimo & [illegible], libere, pa[illegible], [illegible] per Hollandiam, Zelandiam, a[illegible] Provin[illegible] nost[illegible] meare possint, que[illegible] consuevere.

Istud æquè ac [illegible] ad incrementum R[illegible] gubernatio & commercium [illegible] illa non [illegible] inopiam annonæ p[illegible]tur. Notum est, [illegible] cipem scaturiginem esse opulentiæ. H[illegible] careant fodinis, illis tamen commercia [illegible] Peruviæ fodinæ Hispano, attulerunt. N[illegible] quàm auri argentive commutatione [illegible] tus & actio, rebus publicis, vel ad bellum [illegible] pacem florentibus. Hic nervus belli. Ill[illegible] gliæ conciliat summam authoritatem, [illegible] cipere valeat. Id vero ipsam Genuensi Republicæ [illegible] conciliat. Magnus Dux H[illegible] Italiæ Principes. Hoc ipso cardine [illegible] universam Turcarum potentiam [illegible].

XVI

Con[illegible] in perpetuum [illegible] ca, quod in loco [illegible] H[illegible], & [illegible].

XVII.

De cæteris impedimentis, qu[illegible] di & Sequana, sive ea inferantur H[illegible] committimus tam [illegible] C[illegible] ciali [illegible], ut [illegible] controversiæ instrumenta & [illegible] statuant.

XVIII.

Cæterum pro favore & [illegible] Ordines: Quando[illegible], quod [illegible] in Cal[illegible] nos in [illegible], jube[illegible] tio, a die [illegible], quibus docu[illegible] h[illegible] & [illegible] dictum est, hoc [illegible] reque, [illegible] pr[illegible] jure cogi [illegible], [illegible] in[illegible] secus, in perpetuum [illegible]. Quod si [illegible] tra [illegible] in tempus, nullo [illegible] perquisitio non [illegible] tuatur, attamen cessabit vectigal [illegible]

[illegible], reperiatur dictum vectigal loco memorato jure [illegible] deberi.

Boni Principis est, in exigendis vectigalibus, curare, ut quam minimum incommodi [illegible] ad subjectos. [illegible] excellentem Principem [illegible], ut quod per occasionem temporum, aut urgentium [illegible] fuerit [illegible], id [illegible], tollere: ne magno dispendio [illegible]. Unde M. Antonius Philosophus Imperator vectigalia, ubi necessitas [illegible], remisit. Et Divus [illegible] gravare, Romanis [illegible], continuo per edictum [illegible] debita, sive ea pertinerent ad Regem, sive ad aerarium. Dio [illegible]. Et Tiberius Caesar, praesidibus [illegible] provinciae [illegible], rescripsit: Boni Pastoris esse tondere pecus, non deglubere. *Xiph. in ejus vita.* Darius Xerxis pater, cum tributum [illegible], accersitos provinciarum praefectos, [illegible] de tributis, [illegible] gravia [illegible], [illegible], jussit, ut singuli [illegible] dimidium exigerent.

X I X.

[illegible] insuper, ut subjecti dictae Provinciae nostrae, per [illegible] regiones [illegible], [illegible] commeare possint, tuti & liberi [illegible] & [illegible], quod, quaeve Nos, aut Decessores nostri, contraxerunt, aut [illegible], aut quae in posterum contrahemus, aut faciemus.

X X.

Praeterea, Civibus Civitatis Sylvaeducensis confirmabimus & [illegible], quae habent à felicis recordationis Joanne Duce Brabantiae, [illegible] & Domina Jacoba Ducissa Brabantiae [illegible], & bona, [illegible] & Zelandiam, vectigalis immunes: jubebimusque [illegible] de re [illegible], secundum [illegible] eorum, quae habent [illegible], [illegible]. Quod ad Geldriam attinet, [illegible] Provinciarum [illegible] liberi & soluti, ultro citroque, commeare possint [illegible] tabularum, quas similiter illi eo habent.

X X I.

Si quis vero subjectorum nostrorum ob debita, promissave Decessorum nostrorum, aut nostra, in custodiam detur, damnove afficiatur, eum custodiâ liberabimus, omneque dam-

 num

[illegible] faciemus, secundum ea, quæ complectuntur tabulæ Gallicæ.

XXII.

Vias publicas, [illegible], expolitas & liberas, [illegible] servabimus, ita, ut quisque sub justo vectigali, per eas [illegible] ultro citroque commeare possit: [illegible] facta, factave promissa, aut ob [illegible], aut [illegible] impedimentum.

XXIII

Eos, qui prædiorum, bonorumve [illegible] causa, vias [illegible], pontes, aut transitus expolitos servare adstricti sunt, adigemus, adigendosque curabimus, ut [illegible] & transitus [illegible] tempore ac tempus resiciant, [illegible] expolitosque servent. [illegible] defectum sit, metropolis, cui [illegible], pontes & transitus subjacent, [illegible] illos curare [illegible], sumptibus & impensis [illegible] qui ad id obstricti erunt; [illegible], et [illegible] juris [illegible], quicquam [illegible].

XXIV.

Redemptores vectigalium [illegible], quæcunque [illegible] in Provincia nostra [illegible], cujusque loci, temporis [illegible] nis & [illegible]. [illegible] qui in re monetaria [illegible] & participes erunt, non [illegible] tus [illegible], neque [illegible].

Placuit [illegible], [illegible] ex [illegible], vel monetarios, abjectosque ministros, [illegible] dignitate [illegible] nequis 6. de [illegible]. lib. 12. C. L. [illegible] lib. 12. C. L. [illegible] de Præpos. C. L. [illegible] C. [illegible].

XXV.

Quicunque in Provincia [illegible], & [illegible] captivum contingetur, [illegible] non curabimus, [illegible].

XXVI.

Nullam [illegible] in Provincia nostra Brabantiæ [illegible], absque consilio, voluntate & consensu totius Provinciæ [illegible] nummum [illegible] parentis. Quod [illegible] in [illegible] convenerunt, [illegible]. [illegible] nostrarum Literarum [illegible], quæ in [illegible] Gallica [illegible]. [illegible], quod typus, quo moneta [illegible] est, [illegible], quod conventum est, [illegible] ferro.

ferramenta cum nostro signo ac titulo fabricata erant: nisi tamen intra dictum tempus aliter trium Ordinum assensu per Nos statutum.

De Monetæ adulteratione L. Cornel, Dig. Lib. 48. T. 10. & in Cod. Lib. 9. T. 24. Quicunque nummos aureos partim raserit, partim tinxerit, vel finxerit, si quidem liberi sunt, ad bestias tradi: si servi, summo supplicio affici debent. Iis vero, qui falsam [illegible] fabricantur monetam, aut nummos falsos fusione formant, flammarum exustioni paratam esse debere Imperator jubet.

Apud Ægyptios, si qui monetam circumciderent, aut cuderent adulterinam, aut pondera, vel insignia mutarent, vel falsis literis inscriberent, illis manus ambæ amputabantur, ut quâ corporis parte peccasset, eadem plecteretur. Diod. Lib. 1. cap. 6. Hanc [illegible], ut [illegible] tandem [illegible] fallerent Monetalem, in Templo Junonis, constituerunt Triumviros Monetales, qui monetam [illegible], & in Scholam [illegible], in qua [illegible] nummos probare, & adulterinos [illegible]. Bodin. Lib. 6. cap. 4.

XXVII.

Nemo in Brabantia nostro nomine neque Cancellarius, neque Drossardus, sive præfectus Provinciæ, neque Judex fieri, neque ullo munere publico fungi poterit, nisi sit ex legitimo conjugio procreatus.

XXVIII.

Si in dicta nostra Provincia contentionem, aut pugnam oriri contingat, [illegible] a tempore contentionis, aut pugnæ viginti quatuor horas [illegible] utrinque pace ponatur: & qui [illegible] quicquam [illegible], pro infractore [illegible].

XXIX.

Neminem [illegible] judicibus, [illegible] contingentem [illegible] reconciliare.

Flagitia puniri Reipublicæ interest; sanctissimum enim est officium, si de facinorosis [illegible], nec potest pinguior victima Deo mactari, quam homo sceleratus. Vide Plato de Legib. dial. 6. venuste ita scribit.

Custodes legum diligenter animadvertant, primum, ne fiant delicta, deinde, ut facta, prout jus postulat, puniantur.

——Neque enim lex justior ulla est,
Quam necis artifices arte perire sua.

Rectè

Recte igitur statuerunt olim Majores: Non sinebant [illegible] p[illegible] venire, neque in occursum, quisque forte reus esset san-guinis, sed expiabant exilio.

XXX.

Quibus deinceps Præturas, aut præfecturas rurales [illegible], quosve Prætores, aut præfectos rurales constituemus, [illegible] qui in præsenti præturas, præfecturasve habent, aut in [illegible] habituri sunt; eas ipsi obibunt, neque illas [illegible], [illegible] transcribere, neque elocare poterunt. Illi autem Prætores & præfecti pagorum, qui jus carceris habent, aliique [illegible], qui jurisdicundi potestatem habent, priusquam munus [illegible], in judicio, cui deservient idoneis fidejussoribus [illegible] vatorum salvas & incolumes [illegible].

XXXI.

Pollicemur præterea, quod [illegible] Brabantiæ [illegible] in posterum non [illegible] nentur, [illegible], [illegible] Si autem contingat [illegible], [illegible] Excepto, quod [illegible] nerata sunt, de summa accepta [illegible] tionem ejus, pro qua pignori obligata sunt, donec [illegible] & [illegible]. Si vero [illegible], acquiescet stylo ratiocinandi nostro [illegible], ut id [illegible] ulterius non graventur: [illegible] tionibus suis de [illegible] accepta similiter [illegible], [illegible] supra dictum est.

XXXII.

Non permittemus, ut [illegible], [illegible] tili suo extra limites Provinciæ [illegible] obtendat, [illegible], nisi illum in [illegible] esse revera constet [illegible] ditate, vel de pacto [illegible] [illegible], seu per [illegible] vitam [illegible], qui [illegible]. Similiter, [illegible], [illegible] extra eandem Provinciam [illegible], [illegible], [illegible], neque Pro-vinciæ [illegible] & si è contrario per Nos, [illegible] erit rata, neque legitima.

Nihil

Nihil adeo legibus divinis & publicæ tranquillitati adversum, quam duella, quæ ad Numinis contumeliam, & legum auctoritatem labefactandam exercentur. Ad ea refrenanda Senatus Parisiensis edicto Anni 1602. duella severè sunt vetita, irrogante in quosvis ejus criminis affines, provocantes, provocatosque supplicium extremum, [illegible] facultatibus, [illegible] veniæ [illegible]. Duellum mortales infra bellua[s] dejicit, quæ per naturam a suo genere abstinent. Non est fortitudo, sed rabies, quæ deliberato corpus neci, animam damnationi æternæ exponit, non lex armorum justa ad hanc barbariem obligat, sed [illegible] Diaboli [illegible] tollens. Prudenter Augustus ab [illegible] T[illegible] provocatus respondisse videtur: Sat multas esse lethi species, quarum unam capessere queat, ubi mori decreverit, [illegible] in eo genere insaniat.

XXXIII

Si quis subjectorum [illegible], Nobis, aut Provinciis nostris [illegible], [illegible], Bellum indicet, [illegible], Provinciarumve Brabantiæ, Limburgi [illegible] hostibus sciens suppetias [illegible] hospitio tecto ve recipiet, vitâ & fortunis universis [illegible] cum solo patrio restituere poterimus, absque [illegible] Ordinum. Et si Nos [illegible] fecerimus, [illegible] erit, [illegible].

[illegible], omnibus [illegible].

Si quod in literis, quæ ejus nomine scriberentur, esset, quod legibus adversum videretur, crederent ignaro se, ejusmodi literas scriptas fuisse, propterea eis non parerent. Similiter à Gratiano, Valente & Theodosio [illegible], ut judices [illegible] rationem [illegible], addita ratione, quod [illegible] Principe [illegible], ut etiam [illegible] L.b. 1. in C. [illegible].

XXXIV.

Si qua ingenua mulier, [illegible] in[illegible]retur, [illegible]verit, aut eam [illegible] liquidò constiterit; & nihilominus ei cum stupratore [illegible] & con[illegible] esset; Nos ipsius bona mobilia solidè acquiremus, immobilia vero catenus [illegible] vivet; & post ejus obitum, ad eos, ad quos jure pertinent, revertentur. Si autem ad Raptorem [illegible] & non applicuerit, nulla nos ipsius bona possidebimus. Raptor vero, omnesque

nefque facinoris affines, & fimiliter, qui illi fecundi[illegible] operam navabunt, hofpitio domòve receperint, pœnâ capitis & bonorum multabuntur, quatenus multari poffint. Si quis impuberem puerum, five mafculum, five puellam [illegible], aut feduxerit, ille, omnefque qui illi auxilio fuêre, citra fpem veniæ, capitis pœnam & facultatum amiffionem fubibunt: neque cuiquam fuffragabitur in eo clientela D. Petri, civium prærogativa, literæ Scabinales, nec aliud quicquam, quò minùs ex Provinciæ legibus cum eo agatur.

Conftantinus Magnus ad coërcendam [illegible] facinorum audaciam, adverfus matronarum ac virginum raptores [illegible] veriffimam legem edidit, Lib. 1. de Raptor. virg. c. Theod. Si quis, inquit, nihil cum parentibus puellæ ante depactus, invitam eam rapuerit, vel volentem abduxerit, patrocinium ex ejus refponfione fperans, quam propter vitium levitatis, & fexus [illegible] tatem, atque concilii, à poftulationibus & teftimoniis, omnibufque rebus judiciariis antiqui penitùs arcuerunt, nihil ei [illegible] jus vetus profit puellæ refponfio, [illegible] criminis obligetur. Et quoniam parentum fæpe cuftodiæ [illegible] fabulis & pravis perfuafionibus deluduntur, his primum, quarum deteftabile minifterium [illegible] imminet, [illegible] ut [illegible], qui [illegible] protulerint, liquentis plumbi injectione claudatur. Et [illegible] tatis affenfus detegitur in virgine, eadem, [illegible] plectatur, cum neque [illegible]. Quæ [illegible] invitæ, his pœnam feveriorem imponimus, [illegible] nec [illegible] præcipimus. [illegible] virtus, fi appellare voluerit, [illegible] miniftros Raptoris, citra [illegible], eadem pœna præcipimus fubjugari. Et fi quis [illegible] nis fuerit deprehenfus, [illegible] jubemus. Conftantius Conftantini filius [illegible] tiam raptoribus, ac complicibus [illegible]vit. Lib. 2. [illegible] Theod. Le[illegible]: Si quis virginem [illegible] mantem [illegible].

Aurelianus Imp. [illegible] rat, ita [illegible], ut [illegible] ad [illegible] ret, [illegible] Vopifc. in Aurel. Nihil enim tetrius eft libidine, quæ [illegible] fimul [illegible]

hæc-

[illegible], [illegible], [illegible] adeo exhauriuntur.

XXXV.

Si quis delatus de [illegible], aut homicidio, antequam convictus [illegible], id illi non oberit, si judicio præsentem se sistere & purgare velit.

XXXVI.

Viros honestos & bonos e Brabantico Concilio seligemus, qui, quo loco Nos in Brabantia commoraturi sumus, nostro nomine Curiam constituent: Et si contingat Nos peregrè abesse, Curiam [illegible] commodo loco collocabimus: habebuntque illi nostro nomine, unumquodque expediendi, absolutam potestatem. Similiter [illegible], eo, quo hactenus loco, exercebitur.

XXXVII.

Quæcumque regiones, civitates, arces, municipia, aut dominia [illegible] bello, aut communi [illegible] Provincia nostra Brabantia [illegible], a quocumque ea quæsitæ [illegible] nequeunt: eædemque [illegible] Brabantiæ [illegible], neque sejungi poterunt, quemadmodum ipsa Brabantia inseparabilis est.

Hoc [illegible] omni tempore habitum est adeò sanctum & sacratum, ut Reges jurejurando per inaugurationis solemnia [illegible] [illegible]. Id [illegible] in regno Galliæ, ut [illegible] non [illegible], ut ad Coronam [illegible]. Cum autem Respublica non tam sit Principis, quam Princeps Reipublicæ, [illegible] ad con[illegible], ac Respublica tenetur sub[illegible] colere.

XXXVIII.

Quæcumque in Provincia [illegible] constitui, [illegible] nos, & [illegible] fieri jubebimus.

XXXIX.

Nemo incolarum Provinciæ [illegible] ad tribunal Antverpiense, neque [illegible] jura ejusdem Civitatis damnabitur, nisi sit priùs jure convictus.

XL.

Clerici, hominesque censuales B. Petri, habebuntur, cum [illegible], unde [illegible] haberi, atque [illegible] agi, [illegible].

XLI.

Si duo Laïci inter se contend[illegible]nt de prædiis in Braban[illegible] sitis, eaque de re actionem in judicio [illegible], ac alter eorum causâ cadat: Si posteà jus suum Sacerdoti, Clerico, aut Ecc[illegible] transcribat, aut etiam alteri cuiquam, quò is, qui litem [illegible] abstulit, extra Brabantiam molestius divexetur: Aut, si quis [illegible] Brabantiæ incola, actionem habens, eam in alium [illegible], ut adversario suo extra Provinciam negotium fa[illegible]; Qui [illegible] eorum fecerit, capite, & fortunis multabitur, neque [illegible] triam remeare poterit.

XLII.

Unicuique fas erit prædia sua tueri, tuend[illegible]que [illegible] non præsectis unguibus. Et si qua fera à can[illegible], [illegible] saucietur, ea, ut erit, suo in loco relinqu[illegible] & [illegible] voretur, nemini res ea fraudi erit.

XLIII.

Similiter poterit quisque per [illegible] B[illegible] [illegible] atque vulpes venari, imò & cuniculos extra [illegible] etiam ubic[illegible]que au[illegible]ri.

XLIV. & XLV.

Deinceps omnes [illegible] & Brabantiæ incolæ, [illegible] pore venari poterunt [illegible] in vivariis, nemoribus, & [illegible] Grootheyst, Meerdal & Gro[illegible]. [illegible] stabile sit, pro[illegible] supra, nos nunquam [illegible] tum petituros, aut [illegible]tos, [illegible] quæ hæc ullo pacto convelli, aut [illegible].

Licet facultas venandi [illegible] catur [illegible] facta promiscua, ex [illegible], [illegible] naturalia [illegible], Principes [illegible]tionem interdicere, aut restringere possunt; & [illegible] variis, nemoribus, & saltubus [illegible]. Ita quoque [illegible], qui ven[illegible] præter [illegible] dum ad sub[illegible], [illegible] in propriis quidem [illegible].

XLVI.

In posterum in Provincia nostra Brabantiæ, nulla [illegible], neque habebuntur vivaria, præter [illegible], quæ ab Anno 1357. [illegible]

[illegible], quoque [illegible], à quibus oportebat, [illegible] jur[illegible]nta sunt; ut tamen per horum etiam causam subj[illegible] [illegible] damno non afficiantur.

XLVII.

Nulla debita ad sylvaticum jus trahentur, præterquam quæ [illegible] ex [illegible], atque ex veteribus Principis sylvis aut etiam ex aliis, quæ jam inde antiquitùs sylvatico juri obnoxia fuere.

XLVIII.

In regione Brabantiæ Gallicanæ, erit honesti nominis Præfectus sive Ballivus, natione Brabantus, cujus Scriba, aliique ipsi [illegible] [illegible] & similiter Præfecti & judices cæterarum [illegible] Brabantiæ præfecturarum, natione quoque Brabanti erunt.

XLIX.

Curia [illegible], uti jam olim consuevit, ita, ut [illegible] secundùm juris formulam [illegible]. Tribunal quoque [illegible]um in formam [illegible] [illegible] & in [illegible].

L.

Judicatorium tribunal V[illegible], quod jam pridem clausum fuit, [illegible], recludemus; atque ex [illegible] Brabantici, Civitatisque Bruxellensis, [illegible], in dicta [illegible] [illegible].

LI.

[illegible] & quicquid [illegible] pertinere demonstrari poterit, [illegible] Brabantiæ perpetuò [illegible] [illegible] eo tempore, quo ab [illegible] [illegible] & Nivella [illegible], Brabantiæ [illegible].

LII.

Deinceps nullum [illegible], aut Quæstorem provinciæ constituemus, aut [illegible], absque sententia & placito communi Concilii nostri Brabantici, aut [illegible] sex eorum, qui [illegible] exprimentur.

LIII.

N[illegible] in Brabantia Cancellarium, aut Regii cerarii præfectum constituemus, præterquam e [illegible] Concilio, uti supra memoratum est, trium linguarum gnarum, Latinæ, Gallicæ, &

 Teu-

[illegible] quem creabimus [illegible] consilio nostro, saltem sex eorum, qui jurejurando [illegible] verabunt, cum ad id munus Nobis, Provinciæque univer[illegible] idoneum esse & conducibilem. Qui Cancellarius, vel [illegible] Præfectus, coram nobis, & tribus Ordinibus, ad nostrum, [illegible] in commune Provinciæ usum, juramento se [illegible] supra quodam capite comprehensum est, [illegible] a Consiliariis, Signatore, & Curiæ Scriba, [illegible] Ordinibus [illegible] cienda. Qui Curiæ Scribæ, pariter & Scriba Curiæ [illegible], [illegible] Brabantini erunt, salva [illegible] potestate [illegible] duos Scribas non indigenas, [illegible] ex sententia [illegible] [illegible] nostri Concilii Brabantici. Ad hæc [illegible] esse, ut qui tempore excessus [illegible] nepotis nostri Philippi (fel. record.) in Brabantia Scribæ erant, [illegible], in posterum muneribus suis fungantur.

LIV. LV. & LVI.

Ad Comitia provincilia, [illegible] Brabantiæ, & [illegible] nequam [illegible], celerem [illegible] in Brabantia [illegible] Ordines, [illegible] possit. Poterit autem unusquisque [illegible], Baronum, Nobilium, [illegible], aut [illegible], [illegible] Transmosanæ, coram [illegible], aut sigillatim, mandata sua [illegible] proponere, [illegible] & liberare. Neque propterea [illegible] nullo modo [illegible] quicquam [illegible], [illegible] erit, [illegible] citra [illegible].

Sic Augustus Cæsar, si quid publice deliberandum proponeret, [illegible] cohortabatur, ut suum sibi [illegible]. Dio. lib. 53. [illegible] fidele consilium [illegible] est, [illegible]. Tacit. [illegible] Hist. [illegible] jubebat, & [illegible]. Dio. lib. [illegible] potest [illegible] necesse [illegible], ut [illegible], qua ratione qui [illegible],

respon[illegible] si justam dicendi libertatem Princeps permittat, & [illegible] ditorum vindicet injurias. Plut.

LVII & LVIII.

Litibus, judiciisque rerum clientelarium in Brabantia locum constituemus, ibidemque earundem rerum dies ad experiendum præstituemus, ubi nos commorabimur, ut quibus iis de rebus [illegible] est, [illegible] testibus, literisve instrumentis, commodè eò venire possint. Et si quando Nos peregrè extra Brabantiam esse contingat, potestatem dabimus honesto cuipiam viro, sive Præfecto pro[illegible] ciæ, sive alteri, qui Consiliarius Brabantiæ esse possit, ut dum abesimus, forum agat eo loco, ubi Curia nostra Brabantica [illegible] debet. Qui in omnibus, quæ prædia clientelaria spectant, [illegible] ea [illegible], quæ Nos præsentes facere possemus, ut tamen [illegible] [illegible], aut remittat.

LIX.

Qui nobis à Consiliis sunt, omnesque alii nostri Ministri, Judi[illegible] [illegible] habent: Similiter quicumque per Brabantiam, sive in [illegible] urbibus, sive in municipiis, sive [illegible] muneræ funguntur, nemine exempto, Sacramentum dicent, se, ut cuiquam in judicio prosint, vel obsint, neque p[illegible], neque munera, neque aliud quippiam, [illegible] acceptoros, neque [illegible], sed [illegible] tum [illegible] pauperi, quam diviti æquâ lance, jus & [illegible] administraturos.

LX.

[illegible], pro adipiscendo Consulatu, Senatu [illegible], neque præmium, neque munera, neque [illegible] aliquod, a [illegible] è [illegible] dedisse, aut [illegible] neque per alium, aut dedisse, aut promittere [illegible] curasse, quocunque modo. Si quis in hæc pecca[illegible] Concilio, aut ministerio, neque in magistratu, aut regimine Civitatum nostrarum, municipiorum, aut pagorum, nullo modo esse poterit.

Justinianus Imp. in Novella 17. de [illegible] Principum Cap. 1. [illegible]ano scribit: Oportet te pure [illegible] administrationem, & sine omni suffragio, præ omnibus aliis [illegible] servare Deo, nobisque, & legi manus & nullum [illegible] lucrum, neque majus, neque minus, neque captiosam quandam contra

sub-

[illegible] facere negotiationem. Judices Athenienses, inter [illegible] Sacramenti quod dicebant, jurejurabant in hunc modum: Judicem causâ neque dona, muneravè ulla accipiam ipse, neque in meam rem alius; sed neque ullam arte, fraudevè aliquâ quicquam accipere patiar sciens dolo malo. Cic. 2. de Offic. His congruit [illegible] mentum quod Theodosius & Valentinianus Impp. praescripserunt subeuntibus Magistratus; ut neque quicquam se dedisse, vel daturos, neque promisisse pro sortiendis administrationibus, neque dum in administratione fuerint, quicquam praeter [illegible] promittant. in L. fin. ad Leg. Jul. repetund. Lib. 9. C. [illegible] Nam qui per largitiones Magistratum adepti sunt, [illegible] ita potestatem gerant, ut illam vacuam rei familiari [illegible] possint. Cic. 4 in Ver. Sapienter idcirco Basilius Imp. Constantinopolitanus, ad Leonem filium, cognomento Philosophum, [illegible], Qui Magistratum pretio emit, subjectos illi Magistratui multo magis emit, ut [illegible] quod [illegible], [illegible] capiat. [illegible] ergo & [illegible] Magistratus [illegible] ut Magistratum habeat, [illegible] sibi a Magistratu [illegible] enim, ut jus capiendi habeat contra leges, [illegible]. Quicunque Magistratum [illegible], [illegible], si sine [illegible]. [illegible] concussionis & sordium [illegible] habere [illegible]. Aurei, [illegible]. Hæc corruptio, ut plurimùm a corrupt[illegible] importunitate, potu, muneribus, & [illegible]. Principes nostri [illegible] judiciorum [illegible], quod nec dederint, nec promiserint, [illegible] illi, per se, aut interpositam personam [illegible]. [illegible] qui apud Romanos [illegible] velle Magistratum [illegible], hæc lex [illegible]. Donum nè capiunto, [illegible], [illegible] tanto, nevè [illegible], nevè gesta populare.

[illegible]

[illegible]

[illegible], eandem denuo gerere poterunt quando vice nostrâ legentur.

LXII.

Præfectus Provinciæ, quinque eximia in Brabantia munera gerunt, pariter & Judices Civitatum, præsentes, & qui in posterum legentur, [illegible] jurabunt, se omnia [illegible] quæcunque contingunt, se integre & inviolate observaturos, nec adversus ea quicquam consilio, aut facto, [illegible].

LXIII.

Operam dabimus, ut ultimæ testamenti tabulæ Ducum Joannis, & Philippi [illegible] fratris, consanguineorum nostrorum [illegible] memoriæ, [illegible] compleantur; utque res divina, & [illegible] in D. Petri Lovanii, ac alibi, secundum argumentum [illegible], celebrentur.

LXIV.

[illegible], ut [illegible], Nobilibus, Civitatibus, [illegible] Philippo Duci [illegible], secundum conditiones eidem [illegible].

LXV.

Liberas, [illegible] Civitatis Antverpiensis nundinas, terrâ marique, [illegible], & mensibus [illegible] per omnes Provincias nostras [illegible]; [illegible], ad [illegible] tempus, quatuordecim [illegible], [illegible] à Prætore, Magistratuque Antverpiensi [illegible], promittimus [illegible] æque [illegible], [illegible] principales.

LXVI.

[illegible], in provincia nostra [illegible] nem habentem, [illegible] privilegii, [illegible] gemur, [illegible] quo illo modo [illegible] nostræ Brabantiæ, ejusve [illegible].

LXVII.

Promittimus præterea [illegible] Brabantiæ, placidè & [illegible] utentur, fruenturque [illegible], quæ in aliis provinciis, aut ditionibus possident, aut [illegible] comparabunt, [illegible] Edictis, interdictisve, quæ in [illegible] statui possint. Similiter mercatores & [illegible] quarumcunque Provinciarum nostrarum, dominiorum, & ditionum poterunt

cum bonis suis & [illegible] , [illegible] , & [illegible] & merces suas, quæcunque [illegible] , [illegible] sub legitimo vectigali & [illegible]

LXVIII.

Pomittimus etiam, quod [illegible] , & [illegible] S. Gertrudis, [illegible] territorium, [illegible] , & quidquid ad [illegible] tinet, retinebimus, [illegible] dò id jure & [illegible] facere [illegible] nostræ Brabantiæ [illegible] , [illegible] donec pecunia, quæ [illegible] ob [illegible] obsidione S. Gertrudis [illegible] , & [illegible] Heuldenæ [illegible] , [illegible] tur & solvatur.

LXIX.

Si eveniat [illegible] Brabantiæ [illegible] sinæ, molestia, damno, [illegible] quæ [illegible] Nos [illegible] , [illegible] runt, [illegible] mentis.

LXX.

Quum [illegible]

LXXI.

[illegible]

[illegible] Philippus, prævia conventione, & consensu trium Ordinum, [illegible] pro usque pignori opposuit [illegible], suaque omnia, quæ Lovanii possidet, [illegible] quadringentarum librarum [illegible], constitutam ad usum Dñi [illegible], persolvantur, secundum tabulas [illegible].

LXXII.

Si [illegible] & Zelandiæ, pacta nuper [illegible], Brabantiæ incolis non servare [illegible] pensiones, [illegible] Zelandicorum [illegible], debitores [illegible] & [illegible] justi[illegible] [illegible] Hollandiæ, & Zelandiæ [illegible] quibusve quis per [illegible] conceßi[illegible] [illegible] nostra promißa, ea non [illegible].

LXXIII.

[illegible], confirmabimus [illegible] Cœnobiis [illegible], omnibusque [illegible] Brabantiæ, & [illegible] privilegia, [illegible] Ducibus Brabantiæ [illegible] quæcunque [illegible] possessive nostra, [illegible] omnes & singulos in perpetuum [illegible] & [illegible] permissu[illegible] [illegible] possessionesque nostras, [illegible] pro[illegible] [illegible], [illegible] publicas, [illegible] & [illegible], quas supra comprehendimus, [illegible] ob[illegible] servari, [illegible] capita & articulos [illegible], & [illegible] illis non [illegible] concessimus, & [illegible]

 [illegible]-

ipsum nolumus ipsis fraudi aut damno esse.

Et quoniam volumus & cupimus, ut omnia jam memorata capita, articuli, indulta, promissa, confirmationes, & appro[illegible]nes sanctè & religiose perpetim [illegible] Omnibus [illegible] sum Præsulibus, M[illegible], C[illegible], [illegible] Civitatibus, municipiis, & omnibus [illegible] rum Brabantiæ, & Trans-mos[illegible] bus & posteris, bonâ fide, t[illegible] vimus pro nobis, hæredibus & [illegible] literque observare, neque u[illegible] faciendum[illegible] curare, [illegible] hæredes, posteri [illegible] alium q[illegible] in toto, [illegible] parte, [illegible] rimus; consentimus, & conc[illegible] Prælatis, Baronibus, Equitibus, Civitatibus & [illegible] aliis nostris subjectis, [illegible] nu[illegible] o[illegible] c[illegible] p[illegible] q[illegible] [illegible] In quorum [illegible] [illegible] tum, Datum in civitate nostra [illegible] anno Christi [illegible]

[illegible]

Cum in [illegible] Cœnobiis, [illegible] [illegible] sunt, [illegible] per Brabantiam [illegible] [illegible]

partis eorum, dictum damnum, secundum fas & æquum, [illegible] stabimus, cumque in finem obstringimus reditus nostros & ob[illegible] [illegible] dictæ Provinciæ Brabantiæ, prout literæ Gallicæ com[illegible].

[illegible], Judices [illegible], & Quæstores [illegible] [illegible] Præfectos [illegible] [illegible] Brabantiæ, nisi prædia Baronica, suo, aut [illegible] nomine in Brabantia possideant.

De cæteris [illegible] hisce literis, [illegible] quicquid Ordines Brabantiæ, aut plerique eorum; Cancellarius & Concilium, & Magistratus civitatum provinciæ [illegible] Brabantiæ, ab excessu consanguinei nostri Philippi Ducis Brabantiæ & Limburgi, Comitis de Ligny, & S. Paul [illegible] procur. [illegible] [illegible] Quæstores, Officiales, Ministros, & Thesaurarios [illegible] [illegible] convenit.

[illegible], quòd [illegible] [illegible] in Bra[illegible] [illegible], [illegible] de[illegible] D. [illegible], & D. [illegible] ab Harnes, [illegible], [illegible] sub [illegible]. Quo [illegible] [illegible] duos alios [illegible], [illegible] degentes & [illegible], [illegible] Baronica, [illegible] jure possidentes. [illegible] [illegible] [illegible] comp[illegible].

Cum autem [illegible] [illegible] Hollandiam [illegible] Civitasque Bruxel[illegible] [illegible] fieri [illegible] Con[illegible] [illegible], & tandem e Flandriæ [illegible], quibus rem [illegible] committemus, [illegible] ad partis utriusque postulationem [illegible], [illegible] jus dicant. Quod si dicti Judices inter se non con-

convenient, nobis tradere [illegible], quæ penes se habent, atque [illegible] Concilii nostri Brabantiæ, [illegible] [illegible], [illegible] sive vero [illegible], nos [illegible] aliisve, tum [illegible]: & si [illegible] tunt, dictas [illegible] ad [illegible] Curiæ [illegible] cernis, [illegible] judicium [illegible], & quod [illegible], idipsum Nos, aut ipsi in nostra [illegible], [illegible] mestre ipsarum, pro jure [illegible], [illegible].

Præterea, inter cætera capita [illegible], promisimus, quod omnes, quos Brabantiæ [illegible], sui in possessione [illegible], [illegible], transcribere, aut [illegible] possint. Nihilominus, [illegible] pacto tamen Ordinum [illegible] exequerentur, qui [illegible] nostri Joannis Ducis, [illegible] eandem Ducissa [illegible]. [illegible] erant, [illegible] Ducissæ Joannæ [illegible] [illegible], aut [illegible] etiam, quod [illegible].

Ad hæc [illegible] & [illegible], [illegible] [illegible] Brabantiæ, & Trans-mosanæ [illegible] obligationes tabulas, [illegible] [illegible] Ducatus Brabantiæ & [illegible] [illegible] omnium provinciæ Trans-mosanæ, [illegible] [illegible] Philippo [illegible], [illegible] [illegible] Coninck, Nassau, Dñs de Lec [illegible] Brede, [illegible] S. Gertrudis [illegible] [illegible] [illegible] Heusden [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] & [illegible] [illegible] [illegible]

[illegible]

[illegible] & in [illegible] [illegible] tis ommis [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Lovanii, [illegible] Nonas Octobris. Anno [illegible] Millesimo, quadringentesimo, trigesimo.

Commemoravimus supra, Ducem Philippum, [illegible] Compendium [illegible] Joannam, dictam puellam Aurelianensem. [illegible], inter [illegible] Joanna [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] & anno 1431. [illegible] Cal. Junii Rothomagi [illegible] [illegible] [illegible] III. Pontifice, [illegible] innoxiam pronuntiarunt [illegible]. — 1431 *Puella Aurelianensis.* *Rothomagi exusta.* *Pronunciatur innoxia.*

Nata erat [illegible] ad Mosam fluvium, in Tullensi [illegible] Carolum VII. [illegible] Aurelium obsidione liberat, [illegible] Inde Regem Rhemos ad inaugurandum [illegible]. — *Ejus ortus & parentes.*

[illegible] Cal. [illegible] anni 1431. Elisabetha, [illegible] Philippo [illegible] Antonium, quem [illegible] — *Philippo nascitur filius Antonius haud longi aevi.*

Eodem tempore [illegible] D. Andreae, celebravit Dux [illegible] ad D. Petri, comitia Ordinis aurei Velleris. [illegible] 1429. quarto Id. Jan in [illegible] [illegible] aureo [illegible], [illegible] vellere. [illegible] Principum, & in [illegible] Martialis [illegible] equites — *Dux celebrat comitia ordinis aurei velleris.* *Institutio Ordinis.* *Varii militares ordines à diversis Regibus instituti.*

equites mensæ orbicularis ordinavit. Joannis Valesii, qui [illegible] ftellæ fuis Equitibus [illegible] Eduardi tertii Anglorum Regis, qui in gratiam Comitis Salisberiæ, quam deperibat, [illegible] per [illegible] infignivit. Amati Sabaudiæ Ducis, qui ordinem Annuntiatæ Virginis Matris erexit. Hic Philippus Dux est fubfequutus [illegible] exinde æmulatus Ludovicus XI. Francorum Rex, qui Equites fuos imagine Archangeli S. Michaelis, [illegible] tis, ornari voluit.

1432. *Tumultus Gandavi.* Anno, qui præcedentem excepit 1432. mense Augusto, Gandavi feditione laboratum eft, [illegible], m[illegible] reatu [illegible] non [illegible] cædi [illegible] ancipiti [illegible] propagantur, tres ex ordine [illegible] ut prudentia & authoritate plebem ad obfequium [illegible] Tenuit hæc [illegible] dies duodecim; tandem [illegible] f[illegible] rogatam veniam & [illegible] fummâ mulctati.

Iacoba adornat nuptias cum Borfelio. [illegible] codem [illegible] dolo [illegible] pacis, anno 14[illegible] [illegible]

Borfelius Rupelmundam abducitur. [illegible] Comitissâ Jacobâ, [illegible] illum capi, ac [illegible] curavit, [illegible] jungere [illegible] femel adamato [illegible] [illegible]

Iacoba, ut marito potiatur, ditione paternâ Philippo cedit. transigit. [illegible] Duci Philippo [illegible] Hollandiæ, Zelandiæ, ac Frisiæ, [illegible] [illegible] Borfelius [illegible] [illegible] Jacobæ [illegible] [illegible] Jacobæ [illegible] Borfelio [illegible]

[illegible]

deindè Philippus, per omnes Hollandiæ provincias, publicâ hilaritate est inauguratus. Hisque peractis, Dux Philippus, Borselio torquem aureum & ordinem militiæ aurei Velleris suâ sponte contulit. Postremò Jacoba ex animi ægritudine phtisi contractâ ex hac vita migravit; eaque, cum prolem, ex tot licet maritis, nullam haberet, amplissimas ditiones Hannoniam, Hollandiam, Zelandiam ac Frisiam, Duci Philippo cognato suo, ac proximo hæredi, securè exinde possidendas, ac suis provinciis & Ducatibus conjungendas, reliquit. *ejus obitus.*

Anno 1433. Ægidius quidam Postellanus, Hannonius, securi percussus est, qui promisisset se sclopeto trajecturum Philippum, cùm in lucis suis, animi causâ, venationi vacaret. 1433.

Annum proximum 1434. contentio civilis excepit. Diù querebantur Antverpienses & Bruxellenses, Mechlinienses sibi adscribere fora nundinasque, quas quisque suæ Urbi vendicare satagebat. Lite disceptatâ, Philippus prudentiâ suâ tumultum compressit, pacemque composuit. 1434. *Dux compescit dissidia inter Antverpienses & Mechlinienses.*

Memorabilis est hic annus 1435. ob pacem, quæ Galliæ & Burgundiæ est reddita, cum jam per annos totos viginti & sex Philippus atque Angli armis Galliam sævissimè oppugnassent, ut expiaret in patrem Intrepidum perpetratam à Carolo Francorum Rege cædem. Hæc pacificatio cùm antea sæpiusculè, sed frustra, esset tentata; hoc præsertim tempore, Archiepiscopus Rhemensis, Regni Gallici Cancellarius, multâ nobilitate, ac Regis aliquot stipatus Consiliariis, cum Philippo Bono de ineundâ pace verba facit: oratque revocaret in mentem, Franciæ populum jam tot per annos armis oppressum, paternæ cædis haud quaquam conscium; sed Regem esse qui peccasset, eum veniam flagitare, atque contestari eam se prohibiturum fuisse, si per ætatem licuisset [illegible]tatem perspicere. Philippus, uti erat indole admodùm commodâ, & humanitate à sævitia abhorrente, his rationibus persuasus consensit tandem, ut de pace conventus haberetur. Ei conventui Atrebatum designatum Julio proximo. Die dictâ ab singulis Christianis Principibus Legati accesserunt, erant multi preterea Antistites, quos inter observatus est Leodiensis Episcopus, ducentis equis candidis comitatum vehens, & ipsum colore niveo candicantem. Primùm actum in Legatorum consessu de conciliandis Francis & Anglis. Sed ab his nihil æqui obtineri potuit. Reposcebant enim universam Franciam, utque titulus Regis Franciæ Anglorum Regibus sempiternus mane- *1435. Pax conciliata inter Regem Franciæ & Ducem,*

 ret:

ret: attamen ob pacis bonum passuros se, ut provinciis quæ cis Ligerim essent, ipsi imperarent; quæ trans amnem Carolus Rex, clientem ob eas se Anglo professus. Ad ea cum Legati intercederent, conati medium quid elicere, Angli indignantes, dimisso Concilio, cum fastu recedunt. Relictis itaque Anglis, Francorum Regis Legati Philippum accedunt, qui in æde D. Vedasti Sacris erat intentus, eique ad pedes procumbunt, obnixè orantes, ut Regi Carolo patris necem condonet; quippe, qui sedecim tantùm annorum, cum trucidaretur, juvenilibus affectibus in transversum abreptus fuerat; paratum eum omnibus modis satisfacere. Ad hæc Philippus reponebat, astringi se mutuo cum Anglis jurejurando, quo alter sine alterius consensu, cum Carolo pacem facturum se erat pollicitus. At Legatus Pontificius religione hâc animum Philippi liberavit. Tandem pax icta mense Septembri, his legibus: „ Ut Rex profiteretur Joannem Intr[illegible] „ Burgundiæ Ducem iniquè & perfidè trucidatum: Is ob [illegible] „ dem veniam posceret: Monteræi Carolus ædificaret [illegible], „ in quo Sacrum quotidianum pro cæsi anima celebraretur: Crux „ ænea in ponte, ubi cædes facta, erigeretur, adscripta ejusdem „ causâ. Præterea Rex Carthusiensibus propè Mon[illegible] mo„ nasterium poneret, dotaretque. Solveret insuper Rex pro [illegible] „ nilibus Joannis Ducis eâ cæde perditis [illegible] „ rum millia; Similiter Nobilium ac comitum [illegible], qui mo„ rienti adfuerant, damna resarcirentur. Rei [illegible] Rege, „ ab hac pace eximerentur, perpetuoque [illegible], „ capti, Philippo traderentur. Comitatus præter [illegible] „ Boloniensem, Altissiodorensem, a[illegible] & [illegible] P[illegible], „ Ambianum, Fanum Quintini, A[illegible], aliaque oppida ad „ utramque Somonæ ripam [illegible], Rex Philippo cederet, donec „ ipse, aut ejus successores, [illegible] aureorum millia Phi„ lippo persolvissent: Dux, quamdiu viveret à clientela Regi „ præstanda immunis foret; successores præstarent post [illegible] „ tum: Cum nemine Rex fœdus feriret, Philippo inscio; Rex „ Ducis subsidio veniret, si eum Angli aggrederentur; nec Dux „ Regi in bello Anglico opitularetur, sed medium inter utrumque „ se gereret. Acta hæc Atrebati postridie Cal. Septembris; aut ut „ aliis placet, II. Cal. Octobris. Mox proclamata pax, Rege omnibus pactis assentiente; ad quæ firmanda, Catharinam filiam, Carolo Ducis filio in uxorem spopondit, additâ centum viginti millium aureorum lilium dote,

Quin-

Quantâ Francorum lætitiâ, tanto Anglorum dolore pax excepta est. Nam cum Philippus Legatos ad Henricum Angliæ Regem misisset, qui novam cum Carolo pacem nunciarent, atque excusarent Sanctissimæ Sedis & Principum plurimorum votis contractam; Legatos sine responso domum facessere jussit, graves in Philippum effundens minas & contumelias: moxque à verbis ad facta progressus, Philippi subditos exegit ex Anglia, eorum plurimis à tumultuante plebe necatis. 1436. *Dux obsidet Caletum.*

Contraxerat Anno 1436. Philippus Dux ingentem exercitum, Flandrosque ad vindictam exciverat, quorum populares in Anglia plures bonis dejecti fuerant, & haud pauci vitâ: & facturus operæ pretium, Caletum terrâ marique obsidebat, classe inductâ, quæ portum subsidio excluderet. Verùm Flandri, tertiâ hebdomadâ postquam accesserant, collectis repentè sarcinis, castra Ducemque turpiter deserunt, regressi sua quique in oppida. *Flandri castra deserunt.* Angli hærentes fugientium tergo, in Flandriam penetrant omniaque latè populantur. 1437. Nec in eos Philippo licebat educere, quem Gandavensium Brugensiumque rebellio distrahebat, perstititque tetra rebellio à 9 Cal. Septembris, usque 4 Nonas Octobris Prætoris Urbis cruore pasta. *Gandavenses & Brugenses turbas excitant.* Tandem interdicto cum Brugensibus commercio, dum mercatores aliò dilabuntur, anno 1438. pax coiit; irrogatâ ducentorum aureorum equitum militum multâ. 1438. Ex quadragintaduo Seditionis auctoribus, undecim reperti, capite plexi, ac in rotas acti sunt.

Celebritatem hujus anni 1438. auxit desponsa Carolo, cognomento Audaci, Philippi Ducis filio, Catharina Caroli VII. Francorum Regis filia, decem annorum virgo. *Catharina Caroli Galliæ Regis filia thalamo Caroli Audacis desponsa.* Solemnia cameraci magnâ pompâ & festivitate fuêre celebrata, quæ brevi post tempore mœror occupavit, nam Catharina post paucos menses ad plures abiit.

Anno 1439. 1440. 1441 & 1442. Dux maximè distentus fuit 1439. dirimendis dissidiis & controversiis exortis inter Lovanienses, 1440. Bruxellenses, ac Mechlinienses, ob rei frumentariæ penuriam, 1441. quæ erat à comprimentibus annonam fœneratoribus.

Dicto anno 1442. Fredericus ejus nominis tertius, Imperator laudatissimus, qui plura circumspectâ mentis prudentiâ, quàm vi, aut bellis est exsequutus, postquam Aquisgrani coronâ argenteâ esset redimitus, per Burgundiam in Austriam rediens a Philippo decem omninò diebus vario lætitiæ genere, magnisque muneribus est excultus: cedens omni jure, quod imperii nomine, in Hollandiam, Zelandiam, Frisiam ac Brabantiam sibi asserere posset. *Cedit Fredericus Imp. omni jure, quod Imperii nomine in Hollandiam, Zelandiam, Frisiam & Brabantiam sibi vindicare posset.*

Philippus intereà, appellatus ab Elizabetha Goritia, Antonii

1444. Brabantiæ Ducis vidua (cui Ducatus Luxemburgensis, ab Imperatore Wenceslao & Sigismundo, pro dote assignatus fuerat, donec centum viginti florenorum millia, numerarentur) quòd à subditis molestiâ & injuriâ afficeretur; annuâ jam pensione contenta, jus suum Philippo cessit; qui exinde Luxemburgum armis subegit: ac Cornelium nothum suum, Præfectum imponit.

Luxemburgum armis subigit.

1448. Porrò Philippus ulciscendæ injuriæ, in nupera obsidione Calcetana à Gandensibus sibi illatæ, rationem init, ac mense Martio 1448. universæ Flandriæ vectigal Salinarium imponit, quo singuli sacci salis octo asses penderent. Gandenses refragantur & dependere tributum renuunt. Dux offensi animi sensum continuit ad Cal. Septembris 1449. Tum occupatis conterminis Urbibus Audenardâ, Teneramundâ, Gaverâ, ac Rupelmundâ, justisque præsidiis firmatis, ultra Salinarium vectigal, aliud quoque siligini ac tritico indicit. Ea res cùm acerbissima populo foret, Gandenses denegant tributum, & palàm defectionem adornant. Quo accepto Dux omnes qui publico fungebantur munere, amovet, promulgato edicto, ne quis ulla in re populi Gandensis jussis pareat. Ordines Flandriæ, luem hanc in exordio oppressuri, proficiscuntur Gandavum, impetrantque ut inspectis & examinatis eorum immunitatibus, dissidium secundùm eas ad concordiam adducatur. Tribus mensibus ea in re absumptis, postremò pronunciatum, Ducem pro arbitrio suo Senatum legere & abrogare posse. Acquiescunt Ordinum sententiæ ad mensem usque Augustum; tum à seditiosis quibusdam in contraria studia impelluntur. Duo præcipuè flammam ventilabant Petrus Tinctius, & Ludovicus Hemerus, ex ultima fœce homines. His instigatoribus, omnes quos Principis causæ studiosos suspicabantur, Urbe ejiciunt, exterisque admissos civitate donant. Eas inter turbas, Dux apud Flandriæ Ordines conqueritur, Gandenses sine suo consensu jus civitatis exteris, pulsis boni publici studiosis, communicasse, postulatque sibi dedi Danielem Serfandrum, Livinum Potterum, ac Livinum Snevotium. Renuunt primò Gandenses: intercedunt Nobiles, Ducis clementiam ostentant, spem veniæ faciunt. Hâc spe fulti ad Ducem pergunt, mense Majo 1451. Verùm contra spem durum atque impervium reperiunt, jussique sunt extorres agere. His in Urbem relatis, increscit tumultus, ac irâ & indignatione flagrantes, Nobiles proditionis insimulant, Octodecim in carcerem contrudunt; nec procul aberat, quim in illo præcipiti furore cervices suas lictoris gladio subiicerent; nisi viri probi & tranquillitatis pu-

Imponit Flandriæ Salinarium vectigal.

Seditio Gandensium.

Principes seditionis duo vilissima capita.

1451.

Octodecim Nobiles in carcerem compingunt.

publicæ amantes, disertè demonstrassent, quantum in periculum Urbem coniicerent. Quin etiam posteà pœnitentiâ ducti, ad demulcendam Ducis clementiam, Petrum Tinctium & Ludovicum Hamerum, Seditionis coryphæos, capite minuunt. Cumque tribus hebdomadibus justitium in Urbe fuisset, novos Senatores legunt: mensèque Novembri, Legatos ad Principem mittunt, orantque, ut memoratam electionem ratam habeat, supplicibusque parcat. Ad quæ postulata obsurdescente Duce, cùm voto frustrati reversi essent, invalescit vesania, atque correptis armis, forum Veneris insident, Ducesque tres ad regendam amentiam constituunt. Hi statim in præfecturæ suæ primordiis, octo ex dictis Nobilibus seligunt, eosque capite truncari jubent. *Novum Senatum legunt.*

Hinc procurrentes in campos, Gaveram occupant, arcesque Puccéariam & Estandebergam in suam potestatem redigunt: Deindè mense Aprili 1452. Audenardam, munitissimam Urbem obsident, in proximos agros excurrunt, prædas agunt, omniaque flammis & direptionibus vastant. At Philippus Dux commodè suis in subsidium veniens, cum hoste confligit, potiturque victoriâ, ac ex Gandensium millibus cæsis, obsidionem solvit. Nihilominùs hac clade non est fracta pervicacia. Ea propter Dux, ut rebllionem effocaret & exscinderet, validum conscribit exercitum, quo suffultus, anno 1453. Gaveram circumcingit, murosque machinis triduo continenter quatit: jamque muris magnam partem labefactatis, obsessi ad extrema admoti, admittunt victorem. Dux, ne indulgentia promoveret scelus, centum ad infœlicem arborem suspendi jussit. Interim Gandenses suppetias obsessis laturi, magnam perduellium manum in aciem educunt; recensebantur viginti quinque armatorum milia, & totidem ferè millia agrestium & ex fœce populi. Philippus verò sexdecim tantùm peditum equitumque milia sub signis numerabat. Haud procul à Gavera pugna conseritur obstinatissimis partium animis, in qua Dux discrimen ingens subibat, equo ejus quatuor locis transfosso; filioque Carolo in planta dextri pedis graviter læso. Cumque diu anceps hæsisset victoria, tandem victi Gandenses, internecione magnâ profligantur. Quàm ferociter sit pugnatum, clades ostendit, cæsis Gandensium decem millibus; ac mille & sexcentis captis, ex quibus trecenti in patibulum acti sunt. Philippus Dux desideravit è suis circiter septingentos. Sic patrata ad Gaveram victoria; Sic Gandensium contumacia effocata. Dux Philippus flexo genu, Deo victori gratias egit. Mox Gandenses pacem cum Duce feriunt,

Octo ex Nobilibus gladio feriunt.

1452. Audenardam obsident & cadunt.

1453.

In aciem prodeunt, & profligantur.

Pacem & veniam ferunt. riunt, his legibus: „Pro belli sumptibus trecenta aureorum equi„tum millia; ac pro templis violatis & exustis quinquaginta millia „penderent. Viginti quinque Senatores, lineis supra nudum in„duti, & bis mille cives, atrati omnes, nudis pedibus & capite, „extra portam ad genua Ducis provoluti, ejus misericordiam in„clamarent, supplicesque veniam peterent; ibidemque omnium „opificum militaria signa deponerent, quæ Dux postea partim „Boloniæ, partim D. Virgini Hallensi sacravit. Urbi cæteræ „parcitum.

1454. *Carolus, dictus Audax ducit Isabellam Borboniam.* Sub finem anni 1454. Carolus Philippi Ducis filius, junxit sibi connubio Isabellam Borboniam, quam mirum in modum [illegible] forma ac morum venustate commendant Chronologi; celebratæ [illegible] tate publicâ ac insigni magnificentiâ nuptiæ Insulis Flandrorum.

Ars Typographica. Eâdem hâc tempestate crebrescere per Germaniam cœpit ars Typographica, quæ ad nos pervenit anno 40. supra mille & quadringentos. Disceptant, certantque inter se nationes non unæ, [illegible] illarum ejus inventio debeatur. Sunt qui contendant hanc [illegible] artium, & omnium scientiarum conservatricem à Jo[illegible]nne F[illegible] cive Moguntino, inventam: Polydorus Vergilius, lib. de [illegible] rerum, hanc laudem tribuit Joanni Gutembergio, nobili Germano, & civi Argentinensi: Hadrianus Junius, in Bat[illegible] [illegible]criptione, hujus artis laudem Laurentio Ædituo, [illegible], civi Harlemensi asserere non dubitat. Alii denique hoc decus adscribi volunt Chinensibus, apud quos vetustissimo in usu [illegible] literas, imaginesque subjectus prælo typis excudere, idque in[illegible] per Scyth[illegible] & Moschos in Germaniam d[illegible]. De his, quid statuendum sit, æquus æstimabit Lector. Utut sit, insignis [illegible] don[illegible]us est, qui [illegible] & solertia art[illegible] hoc Typographicum commentatus est, quo egregia [illegible] inventa, ingenio, sudore, & vigiliis parta, ad posteros [illegible], ne tempus edax, invidaque oblivio, ea in[illegible].

Gratia Diis primùm, mox impressoribus æquè
Gratia, quorum opera hæc prima reperta via est.

1455. *Curia Bruxellensis & Lovaniensis.* Anno 1455. perfecta & absoluta est Curia [illegible], fastigioque [illegible] imposita Archangeli Michaelis, [illegible], statua [illegible] ænea, pedes alta quindecim, quarto [illegible] quinq[illegible] anno, postquam [illegible]. Eodem tempore structa est Curia Lovaniensis, è secto per artem lapide, Figuris & E[illegible] variè ornata, insigne elegantiæ & opulentiæ ejus[illegible] Oppidi monumentum, septemdecim annorum spatio absolutum.

Cele-

Celebris præterea est hujus anni æra institutione juridicæ Curiæ supremæ ultimæque cognitionis, quam Mechliniæ, ceu in Belgii meditullio erexit, suamque semper aulam Senatores sequi voluit: hâc ratione subditorum lites appellatione cogniturus, ac quæ alicujus forent momenti suo judicio finiturus: frustrà obnitente Senatu Lutetiano & jurisdictionem resortitionemque Gallicam ex antiqua & perpetuata consuetudine longissimè extendere ambiente. Postea Carolus Bellicosus anno 1473. hanc Curiam fixa sede stabilivit Mechliniæ, ne jus sibi reddi petentibus, necesse foret aulam sectari. Cujus Curiæ ipsemet, ipsiusque in absentia, Cancellarius, atque hoc non præsente, Episcopus Tornacensis, caput erant: constituitque Præsides duos; Consiliarios ordinis Ecclesiastici novem, profanos duodecim, è quibus quatuor Equestris ordinis, quos virtus legumque studium supra vulgus evexerat, Supplicum libellorum magistros sex; quibus Scribæ & Jurisperiti complures cum primario accensorum, succenturiabantur. Et quò hujus Senatus dignitas foret augustior, constituit, ut Senatores adeuntes Curiam, equis ephippiario stragulo instratis veherentur, ac penulâ coccineâ, aut atrâ, pro ratione temporis, amicirentur. Verum statim à Caroli excessu, Maria ejus filia, belli Gallici & civilis metuens, justitium ibi indixit, quod Philippus Austrius, ejus successor, in Hispaniam anno 1493. nuptiarum causa proficiscens, sustulit & Senatores bifariam divisit: Pars hactenus Mechliniæ permansit, cum Præside uno, Consiliariis [illegible], Scribis duobus, Secretariis octo, cum Procuratore Principis: Pars Bruxellæ sedem fixit, assumto Concilii Sanctioris, aut Privati nomine. Per hoc provinciarum, Urbiumque querelæ, [illegible] controversiæ plerumque dirimuntur; diplomata, edicta, & rescripta, [illegible] quoque & indulgentiæ, cæteraque omnia, quæ supra leges, citra [illegible], Princeps potest, expediuntur.

Hæc dum [illegible] sunt, anno 1456. Ludovicus Galliæ Delphinus, patris [illegible] incurrit. Causæ [illegible] feruntur: vel, quod Agneti a [illegible] patre [illegible], Delphinum impegisset: vel, quod aulam [illegible] arcanis consiliis perturbaret. Eas ob causas jussus in quatuor menses aulâ abesse, continuò in Delphinatum secessit, ubi cùm incolas immoderatis tributis premeret; Rex iræ impotens, Dammartini Comitem cum instructa militum manu, jubet ad Delphinum ire, eumque ad se perducere. Delphinus ea de re admonitus, celeribus equis in Burgundiam, indè in Brabantiam perfugit: exceptusque est à Philippo & debito honore

Institutio Supremi Mechliniensis Concilii.

1456.

Ludovicus Delphinus profugus à patre à Philippo per honorificè excipitur.

honore habitus: domicilioque, quod apud Genapiam elegerat, & tribus aureorum millibus per menses singulos donatus est. Mox ad Carolum Regem Legatos Philippus misit, excusaturos se, quod Ludovicum hospitio admisisset. Auditis Legatis, Rex respondit: Videret utique Philippus, ne lupum aleret, qui oves ejus aliquando devoraret; sive ut ab aliis scribitur: ne vulpem pasceret, voraturam olim ipsius gallinas; & Delphini indoles implevit vaticinium.

1457. *Natalis Mariæ Burgundicæ,*

Proximo hinc anno, qui fuit millesimus quadringentesimus quinquagesimus septimus, pridiè Idus Febr. nata est illustris Heroïna Maria, filia & hæres unica Caroli Audacis, ex Isabella Borbonia conjuge. Hanc Ludovicus Delphinus apud Baptismi fontem tenuit, Mariamque, ex nomine Reginæ matris suæ, nominavit.

1460. *Occasione morbi Philippus comam ponit; hinc ejus jussu etiam Nobiles.*

Inde anno 1460. Philippus Dux, æger gravi ac diuturno morbo, ex præscripto Medicorum, comam promissam posuit. [illegible] ob rem cùm mussantes Nobiles videret, edixit omnibus cæsariem attondere. Hinc uno die quingenti Nobiles Bruxellæ comâ abrasâ paruerunt, aliis mox alibi secutis.

1461. *Obitus Caroli VII. Francorum Regis.*

Annus porrò 1461. Carolo Francorum Regi hujus nominis Septimo, fatalis accidit. Is Magduni, quod tenue est in [illegible] oppidum, febri lentâ correptus, cùm nuncium [illegible], quosdam toxicum apparasse, quo interiret; eâ re [illegible] commotus fuit, ut dies septem totos cibo abstinens [illegible], Medicis se inediâ magis, quàm morbo affici. Sed dum [illegible] vitæ consulit, coërcitis arteriis, cùm stomachus nihil cibi reciperet, animam egit, die festo D. Magdalenæ Sacro, Sacris Christiano ritu perceptis.

Ludovicus XI. Succedit patri in regnum.

ejus ingenium varium.

Leni & mansueto patri, asper & vehemens filius successit Ludovicus XI. consilio præceps, ingenio varius, & [illegible] vix satis perspecto. Is accepto de patris morte nuncio, vestem lugubrem uno die indutus, statim visus est [illegible] splendere, lætitiam ex regno nato longè majorem, quàm ex patre mortuo dolorem testatus. Continuò ad capessendum regnum se accinxit, & comitante Philippo Duce, cum quatuor equitum millibus, Rhemos perductus est, ubi loci Archiepiscopus eum, [illegible], unxit atque benedixit. Epulo finito, Dux [illegible] conceptis clientelæ Sacramentum dixit nomine Dynastiarum, quas intra Galliam tenebat, & novo Regi advolutus, obtestatus est: iram, si quam animo in proceres concepisset, ut deponeret, atque oblitteraret quæ præterita erant: ulcisci injurias esse æqualium, aut inferiorum;

rum; & qui vindicat se, parem se illis fatetur. His peractis, Rex protinùs Parisios profectus est, comitante Philippo Duce, atque effusâ lætitiâ & pompâ exceptus; gloriantibus inter primos Burgundis, qui in regnum, suâ operâ, reducem Ludovicum, post quinquennium jactabant. Exactis per hæc solemnia aliquot diebus, Philippus domum rediit. Mox Ludovicus regimen auspicans, Cancellarium officio movet; Senatores gravissimos & probatissimos abrogat; ex provinciis Senescallos & Gubernatores amovet; uni rei studens atque incumbens, ut quæcumque pater optimè constituisset, ea ipse rescinderet atque revelleret.

1463. Regimen auspicans volvit animo quibus artibus Burgundo adimeret urbes ad Somonam amnem.

Digresso Philippo Duce, premebat Ludovicum solicitudo, quâ arte Burgundum Picardiæ Urbibus, ad utramque Somonæ ripam sitis, spoliaret: nam Atrebatensi fœdere icto anno 1435. Ambianum, Sanquintinum, Perona, Abavilla & aliquot aliæ Philippo cesserant, redimendæ quadringentis aureorum Liliorum millibus, quibus repræsentatis, Philippus eas restituerat, priusquam cæteris, memoratæ pacis capitibus, Ludovicus satisfecisset. Quam restitutionem filius Carolus, adeò ægrè tulit, ut à patre Gorichemium in Hollandiam secesserit; multùm de Ludovico conquestus, quod fœderis partem sibi commodam impleret, quæ incommoda esset, respueret.

Causa cur Carolus à patre secesserit.

1465. Salarium vectigal à Ludovico Burgundis impositum.

Jam totus in hoc erat Ludovicus, ut si delere Burgundos haud posset; eos saltem attenuaret. Quamobrem Salarium vectigal in ditione Burgundi institui volebat; intentatam rem hactenus Dux negabat. Has ob causas, cùm ad Ludovicum Philippus misisset, Toparcham Chimacensem, isque legatione expositâ, liberè & viriliter Ducem Dominum suum, multâ commendatione, extolleret; interfatus Rex: Num, inquit, puriore metallo, quàm cæteri regni mei Principes; tuus Dux conflatus est? reponit Chimacensis: omninò, Nisi enim exsculptus esset ex chalybe duriore, nunquam Te quinquennio alere & à minis potentissimi Regis patris tui, tegere potuisset. Quo responso Rex conticuit, penetrante in mentem hoc spiculo, eò altiùs, quò dictum verius.

Argutum responsum Chimacensis ad interrogationem Regis

Non satis erat Ludovico, populum insuetis vectigalibus premere, domesticos ex humili genere sibi comparare, delatoribus aures dare, quam plurimos proscribere & relegare, ob frivolas suspiciones, pecuniam & fiscum in nullius pensi homines profundere, pensiones illis annuas sine modo attribuere: sed insuper hæc, erat illi animus cunctos regni proceres opprimere, omnique auctoritate exuere. Idcircò omnem illis venationem prohibuit:

Ludovicus Nobilibus Franciæ venationem interdicit.

ità, ut piaculum esset aves aucupiarias, aut canes alere; cassibus uti; insidiari feris. Eas ob causas, Proceres & magna pars nobilitatis desciscere à Ludovico; seque & suam dignitatem tueri constituunt. Igitur clandestinis nuntiis, quid singuli sentiant sciscitantes: postquam de sententia illorum satis constitit, fœdus sociale feriunt. Boni publici se assertores nuncupant: continuòque arma corripiunt. Joannes Dux Borbonius (qui Ludovici sororem in matrimonio habebat) quidquid regii fisci suis in terris erat, occupat. Rex, in has conjectus angustias, copias cogit. Erant in exercitu viginti quatuor millia armatorum, longo militiæ usu spectatorum. His copiis fretus & munitus, repentè se in Borbonium convertit; ratus infirmum adhuc, atque à cæteris fœderatis abstractum, opprimi posse. Eo consilio Ducem Borbonium Riomi in Avernia obsidet. Borbonius tanto militum numero & robore territus, sorori, pro marito supplici, pacem donat. Interim Carolus Philippi filius, qui fœderi etiam adscriptus erat, ad Sanctum Dyonisium castra facit. Ducebat cataphractos mille quadringentos, sagittarios decies mille. Mox capto Clodovæi fano, Sequanam ponte transmittit: cumque accepisset Ludovici fratrem cum Britonibus per Belsiam iter facere, ad montem Erycum ducit. Rex cognito quod à tergo frater, & à fronte Burgundus copias haberet, non expectato, qui eum sequebatur exercitu, Chartrasium cum equitatu contendit: ratus Burgundum priùs fundere, quàm cum illo Britones jungerentur. Itaque in hostem progreditur; consertâque pugnâ pertinacissimè pugnatum est variâ fortunâ usque ad vesperam: Donec Scoti, qui regii corporis custodiam gerebant, animadvertentes Ludovicum gravi in discrimine versari, assumptum Regem in arcem montis Eryci perduxerunt: atque ita prælium diremptum est, Burgundo in campo prælii noctem exigente. Cecidisse in utroque exercitu sexcentos supra tria millia, memorantur.

Fœdus boni publici.

Prælium commissum inter Regem & Carolum Burgundum.

Pacis leges.

Non multo post de concordia agi cœptum est: atque Normannia Regis fratri permissa est. „ Carolo Burgundo cessêre oppida „ ad utramque Somonæ ripam sita: ad hæc Guinensis & Bolonien„ sis Comitatus, addito, quòd ea loca vivo Carolo non redimeren„ tur; & Flandria in perpetuum libera ab appellationibus ad Sena„ tum Parisiensem, maneret.

1466. Rex Lud. Leodienses incitat ad lacessendum Burgundum.

Postquam fœderatis satis à Rege factum, pax præconis voce promulgatur. Indè digresso Carolo cum exercitu in Brabantiam, distractisque (uti memoratum est) Principibus, Rex ad pristinas artes se convertit: & Leodienses ad Philippum Ducem lacessendum

dum impellit. Hi populabundi excurrunt in agrum Namurcensem, ferroque atque igne sævientes, omnia divastant. Has sibi suisque illatas contumelias, censuit Dux ferro vindicandas. Vndè collecto statim exercitu, eos aggressus circa Montenacum, maximâ strage fudit, cæsis duobus millibus. Eâ clade acceptâ, pacem petunt, & data est, his legibus: „ ut Brabantiæ Ducem agnoscerent „ Leodiensis diœcesis Protectorem; ac trecenta aureorum millia „ intra sexennium penderent. Antistiti quoque suo Ludovico Bor- „ bonio, Philippi Ducis ex sorore nepoti, damnum belli hujus „ tempore illatum rependerent. Acta hæc transactaque mense „ Januario 1466. cum proximo Aprili ab iisdem eadem violatur, Dionantensibus bello causam præbentibus. *Dux Philippus cogit copias; caduntur que Leodienses.* *Pax conciliatur.*

Dum Carolus agebat in Francia, acerbas in eum; adeòque in totam Burgundicam familiam jactaverant contumelias. Nam vulgatâ per Urbes famâ, Carolum ad montem Erycum cæsum; simulachrum ad ejus similitudinem effictum, cum gentilitiis insignibus, ad vicinum oppidum Bovinienſe deferunt, ibique in erecto patibulo suffigunt; his usi sannis: Ecce Principis vestri filium: ecce Comitem Quadrilegium, & infamem proditorem: ita eum Rex Franciæ furcæ dedit. *Protervia Dionantensium.*

Porrò nunc rapinis, cædibus & flammis recentissimam pacem violare ausi, in Namurcæos Hannoniosque incursionem faciunt, prædas agunt, Sacram templorum supellectilem diripiunt, divinamque ultionem atque humanam lacessunt. Contracto igitur Philippus triginta bellatorum millium exercitu, ultimaque arma induens, Dionantum obsidione cingit, summâ vi & machinarum fulminibus muros impetit. Apertâ muri labe, antequam agressionem institueret, obsessos monet, ne se in extrema discrimina conjiciant. At æqui nihil, contumeliaruum satis redditur. Bovinienses vicinorum periculo moti, civem suum Dionantum cum litteris mittunt, qui eadem persuadere conatus, cum puero qui comes venerat, in crucem agitur, muro suo impositam. Barbariem detestatus Princeps, obsidionem acriùs urget: præsertim cum à Leodiorum Antistite certis nuntiis accepisset, triginta eorum millia Dionantensibus suppetias properare. *1467. Pacem abrumpunt.* *Philippus Dionantum obsidione cingit, obsessi nihil de insolentia remittunt.*

In hoc rerum cardine, licuit miseris suam sortem inspicere, omni ope & spe subsidii destitutis, nisi quam in clementia Principis reponerent. Igitur præsidiariis concubiâ nocte elapsis, octo cives ad Ducem mittunt, qui deditionem paciscerentur, vitâ tantum incolumi. Is Urbem & cives suo arbitrio permitti volebat. Acceptâ *Oppidum deditum, direptum incensum & eversum.*

deditione, portarum claves Antonio Burgundo attulerunt: hic Carolo, Carolus Philippo tradidit. Verùm cùm eas Philippus Carolo reddidisset; interpretatus hic est, committi sibi oppidum, à quo cum esset contumeliosissimè læsus, exercitui diripiendum dedit, ità nihilominùs, ut imbellem turbam, Sacerdotes, pueros, mulieres, virginesque educi juberet, statuitque pœnas multo metu & supplicio, si quis eas violasset. Octingenti seditionis principes, bini invicem colligati, Mosâ submersi sunt; oppido deindè ignis injectus reliqua consumpsit: muri denique à fundamentis diruti; ut Dionantii sedes una, fœditate ruinæ jam dignosceretur. Leodienses qui Dionantis in auxilium properabant, ut suprà dictum est, intellecto oppidi miserabili statu, præproperè viam remetiuntur, missisque ad Philippum oratoribus, justo haud dubiè metu corda pulsante, pacem suppliciter precabantur. Ea data est; atque in securitatem & fidei pignus, obsides quinquaginta dati: eaque postrema optimi Ducis expeditio fuit: nam senio gravis, decurrebat annum septuagesimum secundum, Namurco Brugas profectus, mense Martio 1467. circà Nonas Julii ægrotare cœpit, ac postridiè idus ejusdem mensis, ex hac vita in meliorem emigravit, anno ætatis 72. in æde D. Donatiani regiâ magnificentiâ depositus, donec mortuâ post conjuge, ambo Divione, uti jusserat, Majorum sepulchro inferrentur. Verè Princeps ætate suâ optimus, & forsan maximus, raris animi dotibus ornatus: belli pacisque artibus instructissimus. Singularis in eo religio, & adversus Sacra veneratio: indoles proba, mali expers animus, humanitas sine fuco, inexhausta liberalitas, clementia facilis, magnificentia regia. Attamen, suos contraxerat nævos; nam proclivis erat in fœminas, earumque perpetuis implicatus amoribus, ex quibus octo filios, & filias sex furto suscepit. Carolus, cognomento Pugnax, aut Audax, unus legitimus. Hunc ei peperit (defunctis sine liberis Michaële, filiâ Caroli VI. Francorum Regis, Claudiaque prioribus ejus conjugibus) uxor tertia Isabella, Lusitaniæ Regis Joannis filia, quæ nec eo suscepto, prolem exindè genuit.

Pax facta cum Leodiensibus.

Philippi Burgundi obitus.

CARO-

CAROLUS AUDAX,

Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ Limburgi, Lucemburgi, &c.

Carolus Burgundus, qui Audacis, sivè, ut aliis placet, Pugnacis cognomen est consecutus; Divioni metropoli Ducatûs Burgundiæ in lucem editus 4: Idus Novemb. Anno 1433. Equestribusque viris adscriptus ipso die lustrico arma priùs, quàm vestes induisse videri poterat. Justis paterno funeri solutis, Ducatûs administrationem in primaria Grudiorum Urbe adiit, quarto Id. Julii, Anno à nato Christo sexagesimo septimo supra millesimum quadringentesimum. Cumque ei Ordines Brabantiæ fidem & obsequium conceptis verbis jurassent: Ipse vicissim omnibus Brabantiæ subjectis concessit ac stabilivit ejusmodi privilegia, jura, immunitates, consuetudines, cujusmodi habent, atque olim à Prædecessoribus suis accepta usurpant. Atque ad majorem rei, perpetuamque certitudinem & firmitatem, literis ea de re datis sigillum suum appendi curavit, quæ scriptæ datæque erant Heverleæ juxtà Lovanium die duodecimâ Julii anno Christi 1467. Cùm autem potioris momenti harum literarum capita conveniant ac consentiant cum capitibus inaugurationis Philippi Boni: eapropter inani labore supersedendum duxi. Exindè in cæteris Urbibus quoque inauguratus est. *Inauguratio Caroli dicti Audacis.*

Vix solennia inaugurationis peracta erant, cum Gandenses, pudore & reverentiâ profligatis, arma rapiunt, clamoribus & minis privilegia veteresque immunitates à Philippo ereptas reposcentes. Carolus prudenter dato furori spatio, eas coactus restituit; at Bruxellas reversus, quod actum erat abrogat & rescindit, agitatque pœnas in rebelles. Interim Senatus, virique Nobiles, collectâ militum manu, Seditiosos aggrediuntur, foro pellunt; multos mactant, proterunt, fundunt: captosque Seditionis auctores partim gladio, partim laqueo puniunt; fugâ elapsos perpetuo multant exilio. Deindè Bruxellam ad Principem profecti, diplomata, quæ Seditiosi extorserant, restituunt, & ad ejus genua supplices procidunt *Seditio Gandensium.*

dunt

Gandenses recepti in gratiam. dunt, veniamque precantur. His precibus animus Principis mitigatus, remisit & condonavit supplicium quo usurus erat, persolutis quinquaginta aureorum millibus. Eodem tempore gliscebat Mechliniæ seditio, sed eodem anno quo exorta, compressa est: *Mechlinia tumultus.* nam cives, postquam mens rediisset, missis Oratoribus veniam culpæ precantur & impetrant, irrogatâ quindecim aureorum millium multâ.

Leodienses ruptâ pace arma resumunt. Eadem tempestate Leodienses Ludovici Francorum Regis concitati flabris infausta arma resumpserunt, tristi, ut æquum erat, damnata successu: & circumstrepentibus totâ Urbe tympanis ad arma conclamant, coäctoque subitario exercitu, circa Idus Septembres Antistitem suum Ludovicum Borbonium, in oppido Hoyensi *Hoyum obsident, diripiunt, exurunt.* agentem, cingunt. Rabiem declinaturus Antistes, per noctis silentia in Brabantiam ad Carolum Pugnacem secessit. Quò non ruit excusso jugo excæcata nequitia? Direpto ac igne abolito oppido; in agrum Limburgensem & Namurcensem incurrunt, omniaque ferro & igni latè vastant. Pugnax, ut seditiosorum impetum *Pugnax exercitum legit; Fanum Trudonis obvallat.* sisteret, exercitum cogit, in quo viginti bellatorum millia recensebantur, eoque fultus, fanum Trudonis cirumsidet. Tertio obsidionis die, ferentibus Leodiensibus eis suppetias, ad millia duo & vicena, Pugnax in illos movet, consertaque pugnâ atrocissimâ, *Leodienses suppetias ferentes cadit & profligat* sternuntur, ac magnâ strage profligantur. Cæsi eâ strage, ad novem millia; captâ sex millia; plaustra trecenta, tormenta bellica majora sex, minora centum & viginti; & præda multis nummorum millibus æstimata. Tertio à prælio die Trudonenses dejecti omni spe, pacti incolumitatem, sese dediderunt. Inde Pugnax *Tungri se dedunt.* victorem exercitum Tongros deportavit, qui sexto obsidionis die faciunt deditionem, vitam pacti & facultates: eâ nihilominùs lege, ut rebellionis auctores traderent: è quibus ex obsidibus, ante memoratis, sex è Trudonopoli, & decem è Tungris capite plexi sunt. Ad horum exemplum cætera minora oppida, allatis clavibus, leges à victore accipiunt. Dum apud Tongros castra haberet Pugnax, venerunt ad eum Leodienses, numero suprà trecentis nudo capite & pedibus, solo indusio amicti, qui Urbis claves offerentes vitâ incolumi, ignem tantummodò, ac rerum direptio- *Cum Leodiensibus denuò redintegrata pax.* nem deprecabantur. At noluit, nisi Urbi vicinior, eos exaudire. Itaque ad S. Laurentium diversatus, denuò resarcita Pax, ac condonatâ rerum direptione, arma dumtaxat sustulit: utque munitionibus haud niderent, muros & turres solo æquavit. Inde nudum manu gestans ensem, ponè sequente Antistite, insigni pompâ Civitatem

vitatem ingressus est, inter medios cives faculas tenentes: ut se Antistitem Ludovicum Borbonium quem pepulerant, reducere testaretur.

Quum adhuc in Galliis Carolus ageret, uxor Isabella Borbonia, dolore ob absentiam mariti contabescens, ægritudinem contraxit, quâ vitam deposuit; condita Antverpiæ in Æde D. Michaëlis ante aram maximam. Erat illa pulchritudine formæ conspicua, sed morum innocentiâ longè illustrior: In pauperes totam se charitate mirificâ profundebat; ac infra fastigium se demittens, inopum tuguria circuibat, quibus, illorum sublevandæ egestati, subministrabat pecuniam. Carolus, cum circiter triennium uxore orbus exegisset, anno 1468. Margaretam Eboracensem, Eduardi IV. Anglorum Regis sororem, sibi matrimonio junxit, cum trigesimum quintum ætatis annum ageret. Nuptiæ Brugis Flandrorum celebratæ, tam exquisito apparatu ut nihil orbis Belgicus unquam viderit splendidius. Hisce rebus occupato Carolo, Ludovicus Galliarum Rex veteres artes aggressus, Legatos ad Burgundum mittit, postulatum, ut repudiato fœdere, Britannum deserat. Quod cum ille pernegaret; Ludovicus novum init consilium, studetque aliquam sibi occasionem vel conventionis, vel pacis, non indecoram, offerri: atque hoc pacto sperabat aliquando tempus fore, cùm divisos & divulsos Principes opprimeret, quos fœdere junctos subigere non poterat. Igitur evocato publico regni conventu, & ademptâ fratri Carolo Normanniâ, pro paternæ hæreditatis portione, ei assignavit in reditus annuos duodecim librarum millia, additâ præterea annuâ, viventi, sexaginta millium librarum ex regio censu pensione. Hâc illecebrâ adolescentem incautum inescavit. Britannus verò, qui Anglum de submittendis auxiliis, appellaverat, cùm ea lentè procederent, ne unus belli molem sustineret, & ipse pacem pepigit.

Obitus Isabella Borbonia Ducis conjugis.

1468.

Ducit Anglo dax Margaretam Eboracensem.

Artes Ludovici Regis.

Dùm hæc à Ludovico geruntur, Carolus Burgundus Leodiensi bello expeditus, omnes suas copias cogit, & in Picardiam penetrat, fœderatis opem laturus. Rex altiorem ei transitum prohibiturus, cum exercitu Compendium venit: eique denuntiari jussit fratrem certis conditionibus in gratiam receptum, novumque fœdus cum Britanno ictum. Burgundus tam repentinâ mutatione stupefactus, vix auribus suis fidem habebat: Sed invectus in Regis perfidiam ultionem animo destinabat. Nihilominùs, Rege centum & viginti aureorum millia pendente, ægrum animum utcumque placavit; novamque pacis formulam obtulit, ad quam reconciliandam

Pugnax cum exercitu in Franciam penetrat

Colloquium Regis cum Audace Peronæ, ubi de pace actum.

liandam Perona designata, quæ in Burgundi potestate erat. Eò Ludovicus paucis stipatus se confert, atque ut faciliùs tutiusque falleret, totum se Burgundo permittit. Jam de pactis plurimis conventum erat: nimirum „ Carolo Regis Germano pro Normannia Campania attributa est, totaque Flandria, unà cum oppidis „ Insula, Duaco & Orchiaco à Curia Parisiensi exempta. Intereà iteratis cursoribus nuntiatur Burgundo, Leodienses, instigante Rege, iterum rebellasse. Operæpretium putavi rem commemorare ipsius Philippi Cominæi verbis, qui primùm Duci Carolo Audaci, ac postmodùm Ludovico Regi à secretis fuit consiliis, & ultimæ in Leodienses expeditioni, & quasi emortuali præsens. Posteàquam Peronæ inter Regem & Carolum ventum est ad colloquium, & aliquò usque facta est progressio, gravis est allatus & intempestivus nuntius è Leodiorum finibus. Nam cum Peronam Rex iret, de suis Legatis, quos Leodium miserat seditionis excitandæ causâ, non cogitabat; & hi quidem injunctum sibi munus diligenter obibant. Instigati enim ab ipsis Leodienses, Tungrorum Urbem, in qua erat Episcopus & Imbercurtius, & circiter duo hominum millia, ex insidiis capiunt, familiares aliquot Episcopi trucidant, ipsum & Imbercurtium captivos abducunt. Inter eundum Imbercurtius paciscitur cum nobili quodam viro, in cujus fidem & potestatem receptus, multitudinis insaniam evasit; quæ tanta fuit, ut inter alios Ecclesiastici Ordinis viros & Canonicos Robertum quendam Episcopi necessarium, membratim conscinderent, & per ludibrium deinde frusta conjicerent alter in alterius caput: breviter, quò longiùs progrediebantur, eò magis incruduit illorum furor. Certiores autem facti de collocutione Principum, Burgundionibus aliquot captivis dimissis, præ se ferebant quicquid ejus rei fecissent, adversus Episcopum modò fecisse, quem & vinctum abducebant Leodium. Hactenus Cominæi verba. Eâ perfidiâ adeò excanduit Carolus, ut continuò Urbis & arcis portas occludi jusserit, ad eas & muros locato milite. In tanto animi angore, Rex quindecim aureorum millia, inter Caroli consiliarios & amicos divisit; demum quarto die Rex custodiâ emissus, eâ lege, ut Carolo in Leodienses bellanti, se comitem præberet. Petitis nullâ morâ assensit, & ductis trecentis equitibus, cum Duce profectus est, Burgundicam in armis crucem, ad finem usque belli gestans. Numerabantur in Ducis copiis quadraginta hominum millia; & 22. Octobris cinctum toto exercitu Leodium, suburbiaque occupata frustrà repugnantibus obsessis. Perstabant tamen

Leodienses, instigante Rege iterum rebellant.

Rex coactus Audaci se comitem præbere in expeditione contra Leodienses.

in contumacia, furore rebellionem armante. Octavo ab obſidione die, rem aggrediuntur deſperationis & furoris plenam. Sexcenti è Francimontanis, qui crucem Burgundicam veſtibus aſſuerant, nocte concubiâ ex Urbe erumpunt, rectaque ad Regis & Ducis hoſpitia feruntur. Jamq; inter colles, primis cuſtodibus præfocatis, ædibus appropinquabant, cùm unius è ſexcentis petulantiâ, excitatis è ſomno trecentis Nobilibus, qui haud procul à Duce quieti ſe dederant, audax facinus turbaſſet. Ideò fortiter & cum clade repulſi ſunt. Poſtero die, qui trigeſimus Octobris erat, Dux circa meridiem, cùm pranderent cives, ſignum oppugnationis dedit. Igitur clangentibus ac ſonantibus lituis, tubis, & tympanis perſtrepentibus, civitatem adoriuntur, & catervatim irrumpunt, ac in obvios quoſque impetum faciunt. In tanta rerum perturbatione & animorum conſternatione cives perplexi, aliis intra ædium penetralia ſe occultare, aliis in proximas ſylvas ſeſe abdere, aliis in ædes ſacras confugere, unicum præſidium viſum. Multa omnis generis hominum cædes paſſim facta; non ſacra, non profana ab vi injuriaque tuta erant, dum occultos theſauros miles exquirit, omnia demum acerba, fœda, crudelia in victos perpetrantur; Direptionis hujus facies maximè miſerabilis fuit, dum ab irritato milite pro cujuſque ira ac libidine res geritur. Reſtabat, ut quid fieret cum vacuis civium ædibus, communi conſilio ſtatueretur: rogatuſque ſententiam Ludovicus Rex, pronuntiavit: Id ſe referente patre didiciſſe, exurendum ei eſſe nidum, qui pellere velit aves. Immiſſo itaque igne, obvia quælibet depaſcente flammâ, civitas conflagravit, redacta in cineres. Hæc facies Troiæ cum caperetur erat. Parcitum Templis, Monaſteriis & Canonicorum ædibus. Erat in Leodienſibus pronus in ſeditiones genius; pacta ſæpè fœdera, rurſum violata, nunquam intermittente furore, quos Ludovici XI. Francorum Regis inſtigatio in læthales demum ſcopulos perpulit.

Leodium expugnatum, direptum, inque cineres redactum.

Octavo ab Urbis expugnatione die, Rex à Burgundo diſceſſit, & regno ſuo redditus eſt. Indè Carolus Dux in Francimontanos duxit, quòd nocte ante captam Urbem, egreſſi ſint, ut Carolum Regemque, uti commemoravimus, obtruncarent, quod illis excidio quoque conſtitit.

Francimontani eâdem pœnâ multati.

Liber hâc hyeme Carolus à bello, variis in locis, nimirùm in 1569.
Brabantia, Flandria, Hollandia, & Zelandia, jus dixit Concilio immiſtus, idque ter ſingulis hebdomadibus: volebatque ut ſe præſente illæ duntaxat cauſæ agerentur, in quibus ejus Miniſtri jus di-

Audax variis in locis jus dicit.

cere refractarii fuissent: ut hoc fræno cöercitis judicibus, integra & inviolata justitia staret. Cominæus scribit Lib. 5. bell. Neapol. Carolum VIII. omnibus septimanis binos destinasse dies, juri in publico reddundo. Expedit hercle Principes jus reddere, quia contrà potentes sæpè causæ aguntur, in quos Judices interdum non satis oris habent.

1470. *Bellum Anglicum.*

Per idem tempus Eduardus IV. cujus sororem Carolus duxerat, cum Henrico IV. de regno Angliæ certabat. Hinc populus in duas factiones divisus, regnum civilibus discordiis fluctuabat: coäctisque ingentibus utrimque copiis, fortunâ variâ dimicatum est. At postquam Eduardus victo & pulso Henrico, regnum vendicasset; Richardus Comes Vervicius, & Clarentiæ Dux, ad Ludovicum Franciæ Regem se conferunt, liberalissimè ab eo excepti. Indè fœdus arctissimum contra Burgundum sanciunt, videlicet, non se cessaturos, donec Eduardo depulso, Henricus foret restitutus, tum totam Anglicæ potentiæ molem in exitium Burgundi, ditionesque ipsius effusuros.

Eduardus ope Audacis tertium in regnum constituitur.

Instructâ intereà Rotomagi classe, Angliam Varvicensis tenuit, acieque Eduardum invadens, profligavit, regno pepulit, & Henricum restituit. Eduardus semel iterumque depulsus solio, indigus opis, in Flandriam ad Carolum trajecit, à quo milite, commeatu omnique bellico instrumento adjutus, tertium in regnum restitutus est, captumque Henricum ejusque filium necari jussit 1471.

Hinc Ludovici Regis indignatio & vindicta contra Carolum, quam diù animo conceperat, tandem erupit. Species discordiæ ipsum inter & Burgundum quæsita, quod Burgundus plures in Picardia occuparet agros, quàm quod fœdere Confluentino liceret.

1471. *Ludovicus Rex Franciæ plures in Picardia Vrbes astu occupat.*

Tùm non indicato bello, S. Quintini Veromanduorum oppidum, Ambianum, Royam & Mondiderium astu occupat. Occupandis hisce oppidis plurimum Regi profuit opera Balduini Burgundi fratris nothi, Joannis Cabilonensis Orangii filii, aliorumque Nobilium, qui ab ipso defecerant. Intereà Burgundus contractis copiis, ex Atrebatibus movens, in Picardiam ducit. Primo impetu Pequinium expugnat: tùm castra ad Ambianum locat. Ubi cùm duos menses incassùm sedisset, inducias in annum facit. Tandem Rex veritus ne in Britanniam Burgundus penetraret, missis ultrò citròque Legatis, ut Ambiano & Sanquintino ipsi restitutis, renuntiaret fœderibus cum Anglo, Aquitano & Britanno. Juratumque est à Burgundo fœdus; porrò Rex tamdiu distulit Sacramentum, donec morte, Caroli Aquitani fratris, auditâ

auditâ (qui occultâ Regis machinatione, toxico interiit) Burgundi Legatos cum ludibrio dimisit. Ille à Rege delusus & iracundiâ exardescens, scribit Provinciarum suarum Ordinibus, Germanum cum Toxico sustulisse, violatâ fide sibi verba dedisse, Britonem contra fœdus bello impetere, horum scelerum vindicem se futurum. Ordinibus operam opemque addicentibus, ingentem conscribit exercitum; & trajecto Somonâ amne, Neslam urbem sibi dedi postulat. Nigellani fecialem occiderunt: eaque barbarie adeò Burgundum irritarunt, ut expugnato per vim oppido, infesto ferro omnes internecione deleverit. Hinc Royâ & Mondiderio deditis, Bellouacum obsidet, ubi cum sex & viginti dies frustrà trivisset, neque è consilio suorum viam, quæ ad Parisios spectat, quâ ad obsessos auxilia & omnis generis commeatus inferebantur, claudere voluisset, aut certè neglexisset, Rotomagum castra movit, ut Regem ad pugnam eliceret; verùm ille diffisus suis, opportunis locis exercitum continebat, ne vires Burgundus Britannusque conjungerent. Quo Burgundus perspecto, pluribus agris, pagisque incensis, exercitum in Atrebates reportavit; pauloque post Britannus cum Rege pacem iterùm reconciliat, à quo Burgundus adscriptus inter eos, quibus, si placuisset, induciæ darentur, iis se comprehendi declarat: easque ad sequentis anni 1473. pactus est, quæ deindè ad Calendas Maii 1475. sunt prolatæ. Atque ità in aliquod tempus odia mutua compressa.

1472. Dolus Ludovici Regis.

Audax conscribit exercitum.

Neslam, Royam & Mondiderium capit.

Eaque tempestate Philippus Cominæus, ex illustri in Flandris prosapia, qui in Caroli Burgundi familia, octo annis honorificè educatus, Ludovici donis illectus à Burgundo desciscens, ad Regem transfugit, vir solertissimo prudentissimoque ingenio, aliisque præclaris dotibus ornatus, sed quas hæc animi levitas offuscavit. Luit tamen posteà transfugii sui pœnas. Captus regnante Carolo VIII. per triennium, (alii quinquennium) & Majestatis causam dicere jussus, cùm patronum non inveniret, pro se ipse dixit, & à Judicibus absolutus est.

1472. Cominæus à Burgundo ad Regem Franciæ deficit.

Eodem hoc anno 1472. mense Septembris, Carolus Burgundus Ducatus Gelriæ & Comitatus Zutphaniæ possessionem adiit, vendente Arnoldo Duce, impiumque filium exhæredante. Historia sic habet.

Audax possessionem Ducatus Gelriæ adit.

Inter Arnoldum Ducem & Neomagenses graves exortæ erant simultates, tristiaque dissidia; idque ea precipuè de causa: Criminabantur jurasse quàm sanctissimè Arnoldum, cùm inaugurare-tur, se ditionum ac civitatum Gelriæ privilegia ac consuetudines

Historia Adolphi Gelri, impii in patrem filii.

ſartas tectas ſervaturum, ſed Sacramento minùs ſtetiſſe. Ac mox bello adverſus Juliacenſes ac Colonienſes involutum, perplures ditionibus Gelriæ calamitates, clades ac detrimenta intuliſſe: Ditiones, arces, reditus ac vectigalia aggravaſſe, aut oppignoraſſe, aut abalienaſſe abſque conſenſu Ordinis Equeſtris. Multaque alia ejuſmodi probra in Ducem ingerebant. Vnde conventu habito, in eam ſententiam itum eſt, ut Principem Adolphum, veluti præfectum patris regimini admoverent, relictâ Arnoldo juriſdictione ſupremâ. Sed cum hæc Arnoldus peræ grè ferret, res in nervum poſtremo abiit, atque hinc bella nata.

Neomagenſes, Zutphanienſes & Arnhemienſes in fœdus coëunt. Nec ſegnior Arnoldus, conſanguineorum ac vicinorum Principum opem implorat. Interim Adolphus filius impulſu Neomagenſium, cum expeditis cohortibus Venloäm invadit, ac infeſtis excurſionibus Ruremundenſium agros depopulatur, ferro flammaque graſſatur. Arnoldus Dux ditionum ſuarum direptionem evaſtationemque ægrè ferens, extemplò in adverſum movet, poſitiſque ad Venloäm caſtris, oppidum quà poteſt arctiſſimè circumcingit. Adolphus qui intra oppidum clauſus tenebatur, cum effugio locus non eſſet, mittit in caſtra paterna ad Gulielmum Egmundanum patruum, orans obſecranſque, vellet ſuo nomine patrem compellare, ac veniam cœptorum impetrare. Guilielmus his acceptis, nihil non egit, ut animum paternum in filium haud injuriâ excandeſcentem, leniret. Tandem exorato patre, filius in gratiam receptus eſt his legibus: „ Ut filius Urbem arcemque „ Neomagenſem, unà cum territorio ejuſdem Urbis, ac Duffliæ „ ditione retineret, excepto ſolùm beneficiario jure, eodemque „ ſpectantibus, quæ parenti ſalva relinquerentur. Quæ omnia pater filiuſque literis ſuâ manu ſigilliſque conſignatis, firma rataque habuêre. Sed exigua ei hæc portio viſa, reſilit mox à fœdere; atque domeſticos patris Weymarum & Arnoldum, quos is Arnhemum miſerat, tuti itineris literis communitos, cum caſu obvios habuiſſet, comprehenſos, ac Neomagum ductos in patris contumeliam, ſecuri percuti juſſit Hâc indignitate parens graviter exaſperatus, univerſi Ducatûs conventum cogit: Et filius eodem vocatus, per contemtum in Velaniam cum matre Catharina venatum excurrit: videnſque patris animum in ſe planè exacerbatum, ad avunculum ſuum Philippum Bonum, qui tum Bruxellis agebat, excurrit: patrem accuſat, ſeſe probat, ſed apud verè boni Principis ſurdas aures. Deſperatis igitur auxiliis, Hieroſolymam

ad Christi sepulchrum votivâ professione properat; homo sacer, scilicet ad terram sacram; ibique ordinis ejus Eques designatus est. Inde redux, Guilielmum patruum suum rursum sollicitare instititit, ut patris iram mitigaret. Guilielmus cùm summâ apud fratrem auctoritate valeret, & ipse quoque Arnoldus Dux naturâ ad condonandum esset facilis; haud difficulter Adolpho veniam commissorum impetravit. Et actum tum etiam, ut in gratiam mariti simul reciperetur Catharina Ducissa, ab eodem rejecta, eò quòd filium ad avia ac prava incitaret. Verùm ut noxa noxam sequitur, isthæc cum patre filii, & conjugis cum marito haud diuturna fuit reconciliatio: nam Catharina filiusque Adolphus, illa in maritum, hic in patrem diu animis occultatum scelus in apertum producunt. Illa repulsæ haud immemor, animo ultionem meditans, quod dudum secum statuerat, non ultrà distulit. Quò igitur maritum everteret, & filio Adolpho Ducatum assereret, adjutoribus sibi ad ejusmodi nefas esse opus, facilè prævidebat. Igitur fratres duos germanos, Othonem & Henricum Bilantios & Cornelium de Merwyck ad flagitium appellat; qui præsentibus Catharinâ & Adolpho mutuo Sacramento se obstringunt. Ut verò scelerate cogitata scelaratiùs perficerentur, tempus Christi natalis delectum fuit. Itaque Catharina Graviam ad maritum est profecta: Inde secutus Adolphus filius; festis epulis accipiuntur, choreas agitant, jucundissimè dies aliquot exigunt. Illuxit tandem quarta Epiphaniæ dies, quæ sceleri erat destinata, post cœnam saltatur in multam noctem. Pater postquam se decorè excusasset, senium ac soporem obtendens, cubitum concessit. Vix fecerat, adsunt subornati latrones, ab Adolpho clam intromissi, rectà ad cubiculum Ducis duce filio tendunt. Pulsant fores; cum respondisset Dux, sese id noctis saltantium choreis interesse non posse, fores effringunt. Hinc ad lectum Ducis strictis mucronibus procurrunt, stratoque educunt. Ille arbitratus ab hoste occupatum castrum, anxius de filio, quærit, *Et ubi filius?* Quo dicto, intrans cubiculum filius: *Pater*, inquit, *necessitati parendum est, age sequere.* Pater fundens lachrymas, ex filio querebat quid commeruisset, quod in modum latronis aut homicidæ contrà fas & æquum abduceretur. Sed trucem filii animum non potuêre emollire lachrymæ, non mitigare cani capitis, non commovere sanguinis jura.

——— O fragilis damnosa superbia Sceptri!
O furor, ô nimium dominandi innata cupido!
Mortales quò cæca vehis? quò gloria tantis
Inflatos transfers animos, quæsita periclis?
Quot tecum insidias, quot mortes, quanta malorum
Magnorum tormenta vehis? quot tela, quot enses.

Vix tantillum seni temporis indultun, ut tuniculam interiorem corpori aptaret, ne tibialia quidem sumeret: atque ita hyeme sævissimâ, nocte concubiâ, seminudus, caput pileo tectus nocturno, Pater equitantem filium secutus est per Mosæ flumen glacie stratum! ac primùm protractus in castrum Lobetanum; proximâ deindè nocte intra Buræ arcem fœdo carceri includitur, & sex totos annos detinetur. Id ut in patrem agat filius, vetat lex, refugit pietas, abhorret natura, & clarè humanitas detestatur, cùm ea sit potissima ex scriptis juribus exhæredationis causa, si in parentem filius manus injecerit violentas: at justam talionis pœnam aliquando luet.

Perpetrato teterrimo scelere, Adolphus insanâ dominandi libidine incensus, omnia sibi jura ac potestatem vendicat. Ubi fama id vulgaverat; Joannes Cliviæ Dux, Adolphi avunculus arma sumit pro liberando Arnoldo Duce Paulus quoque 2. Romanorum Pontifex, itemque Imperator Fredericus Carlo Burgundo scripserunt, ut omnem moveret lapidem, utque suâ ope atque authoritate, apud Adolphum impetraret, ut patrem è vinculis emitteret. Nihil fit, ridet. Eum idcircò Hesdinum ad se evocat Carolus; ille haud diù moratus, convocatis aliquot ex primaria nobilitate viris, se ad iter accingit. Introductus ad Carolum, his cum verbis est obtestatus: *Si*, inquit, *in meam gratiam patrem tuum è vinculis solvi permiseris; hoc tibi certum persuasumq́; habeto, à me vicissim quodcumque petieris, impetrabis.* Quibus postulatis refragari haud valens, volens nolens assensum præbuit. Indè ad præfectum arcis Buranæ literas dat, ut Arnoldum Ducem absque mora, potestati Henrici de Parmis nec non Philippi Wassenarii permittat. Confestim eum Hesdinum perducunt, ubi à Carolo Duce, omnibusque aulæ Proceribus perbenignè ac maximo cum gaudio exceptus est. Indè Carolus Dorlanum concessit, atque ibi cùm essent pater & filius, coram Carolo suam uterque causam disceptavit; cui negotio Philippus Cominæus interfuit. Is rem universam ita enarrat: *Vidi ipse cùm ambo suam causam non semel apud Carolum in cœtu ac conclio nobilissimorum hominum disceptarent. Vidi cùm pater filio deferret duellum.*

Audax Gelrum accersit Hesdinum.

Arnoldus Dux Gelriæ carcere solvitur.

Caro-

Carolus etsi cupiebat eos componere, magis tamen erat propensus in filium, cui & Burgundiæ præfecturam, & Gelriæ possessionem deferebat; uno tantùm excepto oppido, Graviam vocant: Illud patri voluit servari, & simul tria aureorum millia quotannis, & ex annua pensione tantundem Gelriæq; titulum. Vt eas conditiones Adolpho proponeremus, mihi fuit cum aliis prudentioribus à Carolo mandatum. Verùm ille respondit: malle se in puteum præcipitem dare parentem prius, deindè se ipsum conjicere, quàm ejusmodi conditiones accipere, Patrem jam præfuisse per totos 44 annos, æquum esse, ut tandem & ad se redeat principatus: Ferre se posse ut ille habeat quotannis ad tria nummorum millia, sed eâ conditione, ut ex Gelria abscedat, nec unquàm eò revertatur. Hæc, & id genus alia multa nobis parum quidem prudenter respondit. Et accidit istud, quo tempore Rex Ludovicus Ambianum ademit Carolo, qui accepto nuntio de occupato Ambiano, disceptationem hanc intermisit, & Hesdinum se contulit. Hactenus Cominæus. Adolphus existimans, ob eos à Rege Galliarum excitatos motus, parum exindè curaturum Carolum, quæ agi erant cœpta, Gallicâ indutus veste cum duobus comitibus, Hesdino se proripuit. Sed circa Namurcum, dùm Mosam flumen cymbâ transmittit, à Sacerdote quopiam agnitus, á fuga retrahitur. Mox Vilvordiam atque indè Cortracum ductus, ibi ad cædem usque Caroli desedit: scilicet vinctus sedet, qui vinculum amoris & reverentiæ paternæ ultrò recîdit; sic nullum est superis impune scelus. Adolphus igitur cùm audire æquissimas conditiones à Carolo Duce præpositas, haud vellet: patrem ejus Arnoldum pecuniâ juvit, ut, milite coacto, recuperaret, sibique obsequentem redderet Gelriæ Ducatum & Zutphaniæ Comitatum. Carolo igitur valere jusso, Gelriæ versùs movit, ac à civibus Graviensibus quàm honrificè exceptus fuit: Indè non multo post à Ruremundensibus ac Gelriæ oppido.

Adolphus mentitâ veste Hesdino se proripit.

A fuga retrahitur & Cortraci in custodiam datur.

Cæteri instinctu Neomagensium, obsequium renuerunt: estque ab eis in locum Adolphi electus veluti tutor ac præfectus ditionum, Mursæ Comes Vincentius: qui ferro ac flammâ rem agens, Graviæ ac Ruremundensibus, qui Arnoldum inter primos receperant, infestus incubuit. Hinc Arnoldus Dux ad Arnhemienses literas dat, eos commonens, legitimum ac verum Dominum suum reciperent: interminaturque, ut si contingat, seditiones suas aliis Principibus transcribere, divendere, vel abalienare; id se facere ab illis extremâ necessitate adactum: esseque, ac fore illos cladium ac calamitatum omnium, quæ porrò insequentur, causam atque occasionem. Postremò animadvertens suorum, qui Adolphum respi-

Arnoldus Dux Gelriæ Ducatum Carolo Burgundo transscribit.

respiciebant, pervicaciam, Carolo, Burgundiæ Duci Ducatum ac Comitatum Zutphaniæ vendidit 7. Septembris 1472. pretio 92. millium aureorum Rhenensium, ac sexto post mense moriens, venditionem ratam habuit: conditoque ad hæc testamento, Carolum hæredem scripsit, impio ingratoque filio jure expuncto. Hic vitæ fatorumque finis Arnoldi Ducis fuit. Principis sanè mitissimi moderatissimique, ac meliore fato digni, nisi filii improbitas, perfidiæ & machinationes invidissent.

1437.

Carolus ditiones Gelriæ ad suum obsequium reducit.

Exindè Carolus Burgundiæ Dux, animum ac manum vertit ad universas Gelriæ ditiones, suum sub obsequium reducendas. Confestim Trajectum-ad-Mosam cum expedito exercitu profectus, Monfortium arcem munitissimam expugnavit; Venloäm æquis conditionibus subjecit; deindè Gelram, Stralam, Graviam, Wachtendonckum, Bommeliam, Buram subjugavit. Tùm latè victor adversùs Neomagenses expeditonem suscepit. Hi oppidum strenuè propugnabant. Carolus haud cunctandum ratus, tormentis aliisque belli machinis urbem oppugnare aggreditur; dejectisque hinc inde muris Neomagenses de compositione Legatos mittunt. Ille irâ incensus, omnia arbitrio suo permitti volebat. Sed intercedente Cliviæ Duce mutavit consilium. Itaque pacti vitam atque urbis incolumitatem, eâ conditione, ut Gerardo Iuliacensium Duci solverēt octoginta aureorum millia, post tertiam obsidionis hebdomadam urbem subiit. Indè transmisso Rheno, circa montem Eltensem, tentoria explicuit. Ibi dum stativa agit, ad eum Zutphanienses, Arnhemii, aliique Gelricarum Civitatum Legatos suos mittunt; estque unanimi omnium suffragio Dux Gelriæ renuntiatus & inauguratus Anno Christi 1473.

Frederico Imp. fidem præstat.

Hinc ad Fredericum Imperatorem ejus nominis III. in Treveros perrexit, præstititque Imperatori, Ducatûs Gelriæ nomine fidem; idemque factum de cæteris Dynastiis, quas intra fines Imperii possidebat. Multa hoc congressu utrimque constituta: Desponsa

Sceptrum & regia insignia ambit.

est Maria unica Burgundi filia Maximiliano unico Frederici Imperatoris filio: Carolo sceptrum & regia signa addicta. Condicta hæc fuêre, quæ ut aliquo benevolentiæ symbolo sanciret Burgundus, Imperatorem ad Divi Maximini invitat, excipitque plusquàm regalibus impensis. Tunc poposcit etiam Carolus, ut titulum Legati Imperii Imperator adderet: fecissetque eum voti compotem; Sed Ludovicus Galliarum Rex Imperatorem ab instituto abduxit; suggerens: *Caveret à Carolo, titulo Legati toti eum Imperio insidiari.*

Quamobrem Imperator rejectis, uti simulabat, propter filii con-

connubium, in aliud tempus novæ inaugurationis ceremoniis, insalutato Duce, Coloniam clanculùm digreditur. Dux etsi hâc contumeliâ aspersus, indignationem tamen pressit: & suscepto Roberti Bavari, propinqui sui patrocinio, qui cum Hermanno Hessio, de Coloniensibus infulis contendebat, Novesium urbem quatuor leucis distantem Coloniâ, valido exercitu obvallat. Mox exercitu in quinque acies distributo, totidem locis urbem premit; machinis bellicis muros quatiendo. Propugnabat oppidum Hessi Electi Coloniensis frater, militarium rerum apprimè gnarus, cum tribus veteranorum peditum millibus & quingentis equitibus. Carolus moræ impatiens, indicit oppugnationem, at majori animo vis repulsa, quàm intendebatur. Imperator magnis delectibus totâ Germaniâ habitis, statuit ipse urbem liberare. Lustratis copiis recensebantur in exercitu quinquaginta hominum millia. His copiis succinctus non longè à Burgundo metatur: quem adeò non perculit, ut etiam ultrò lacesseret & pugnæ copiam faceret; sed ille intra vallum & munimenta se continuit, & velitando hostem lacessere satis habuit. Quare Burgundus velificatione mutatâ, statuit extremam famem importare in urbem, jamque absumptis omnibus esculentis, obsessi rerum omnium penuriâ pressi, intra dies paucissimos deditionem suâ sponte fecissent.

1474. Novesium circumvallat.

Imperator aliam solvendæ obsidionis viam non videns, copias in Burgundiam confœderatasque eis regiones mittit: quibuscum Baumontius infausto prœlio congressus, in fugam conjectus est, cæsaque duo Burgundionum millia. Tum in Jacobi Remontii ditionem versi, Remontium, Elicurtum, ac Gransam ex pugnant & diripiunt. Indè in Sabaudiam irrumpentes varia oppida & arces sub jugum mittunt, regionemque populabundo exhauriunt. Nec interim conquiescit Rex Ludouicus, studetque tot negotiis Burgundum implicare, quorum mole tandem obruatur. Igitur Sigismundo Archiduci auctor est, ut Comitatum Ferettæ, Burgundo pignoratitium, redimat. Tùm Renatum Lotharingiæ Ducem, quà minis, quà pollicitationibus à Burgundo avertit; insuper ut ditiones ejus invadat, impellit. Mox Helvetios cum Sigismundo conciliat, ipsosque Helvetios sibi jungit fœdere in decennium. Rex ipse Artesiam invadit & latè vastat: Royam, Mondiderium & Corbiam occupat. Burgundus tot inter pericula constitutus, unius propè anni obsidionem solvere, pacemque cum Imperatore admittere coactus est, mense Mayo 1475.

1475. Imperator cum exercitu in Burgundiam irrumpit.

Rex Franciæ multa Burgundo facessit negotia.

Obsidionem Novesii solvit.

In ea rerum perturbatione, Eduardus Rex Angliæ, ejus nominis

IV. Caletum appulit, instructus exercitu viginti bellatorum millium, ac in Picardiam rectà contendebat. Burgundus paucis comitibus ad eum advolat; Eduardus conqueritur excitum se ab illo in Franciam; non adductum exercitum, ejusdemque morâ dilabi benè gerendæ rei occasiones. Intereà Ludovicus Rex, non armis & milite, sed auro & blandimentis Eduardum infringere statuit, missoque ad eum feciali, colloquium impetrat; tantumque perfecit, ut induciæ sint in novem annos contractæ, magnâque pecuniâ imminens periculum redemit. Sic Angli Caleto solventes, remigrarunt in Angliam. Quamobrem Burgundus destitutus ab Anglo, cum Gallo quoque in novennium fœdus instaurat. Indè infestis signis Lotharingum adortus, ulturus injuriam, à Duce tempore Novesianæ obsidionis, sibi illatam, omnia pavore & fugâ complevit, ac trimestri spatio Lotharingiam totam subegit. Expugnatâ Lotharingiâ, & capto Nanceio, in Helvetios Burgundus movens Gransonium, oppidum Helvetiorum finibus adjacens, quodque illi nuper Comiti Romontii eripuerant, obsidione cingit. Tuebantur oppidum octingenti lectissimi milites, qui vim magno animo propulsabant. Verum ardore hostium increscente, jamque muro, crebris tormentorum ictibus quatefacto & decusso propemodùm, deditionem paciscuntur. Hic, contra fidem moremque suum, pacta nihil pensi habens, complures partim reste, partim aquis in proxima palude suffocavit. Quâ injuriâ Helvetii offensi, exercitum parant, augeturque mox auxiliis Episcopi Basiliensis, ac Argentinensis. Burgundus cognito eorum adventu, contra plurimorum sententiam, obviam procedit, præmissisque centum sagittariis qui montium fauces insiderent, ipse cum reliquis copiis sequebatur. Fratres nothi Burgundi cum Helvetiis fortiter dimicantes, simulatâ fugâ, hostem in aperta camporum spatia pellicere, ac tormentis undique objicere statuerant. Quod cum vulgus militum ignoraret, omnes passim in fugam effunduntur, ipso nequidquam Burgundo suppetias accurrente: quo factum est, ut Helvetii impedimentis & tormentis, omnique gazâ Burgundi potirentur. Præda tricies centenis aureorum millibus fuit æstimata. Cæsi ultrà duo hominum millia, capti ducenti, quos omnes Helvetii suspendio necarunt: socios, quos Burgundus ad Gransonium strangulari jusserat patibulo refixos, sepulchro condiderunt.

Pactæ induciæ inter Francum & Anglum item inter Francum & Burgundum.

Burgundus totâ Lotharingiâ potitur inde in Helvetios movet.

1476.

Gransonium deditione capit.

Helvetii exercitum parant,

Dimicatur fortiter in faucibus montium.

Burgundi subito pavore perturbati, fugam capessunt.

Præda opulentissima cessit Helvetiis.

Burgundus Losannæ receptus, indignatione animi ægritudinem concepit, quâ discussâ, ac reparato exercitu, sævâ hyeme traductis per nivosa juga copiis, expeditionem in Murathum pronun-

Burgundus reparato exercitu Murathum circumcingit.

nuntiat, oppidum Sabaudis Helvetiisque conterminum. Id positis castris circumcingit. Helvetii prioris prœlii successu tumidi, Rhenani, Comesque Sigismundus, coactis triginta peditum, ac quatuor eqitum millibus, occurrunt. Adest & Renatus Lotharingiæ Dux, ære gallico ac quadringentis equitibus instructus, quem exercitus Imperatorem dicunt. Tùm castra castris opponunt, & accuratâ diligentiâ circumductâ fossa muniunt. Burgundus, quem acceptæ nuper cladis ignominia acriter urebat, copias in aciē educit. Steterunt sub signis per horas aliquot, ut hostem è munitionibus prolicerent, cœlo continuis madente imbribus. Verùm cùm ille non prodiret, Burgundus frigore & madore fatigatum militem in castra reduxit. Helvetii subitò magno impetu majoribusque animis proruunt, postremamque Burgundi aciem tantâ vi invadunt, ut ora vertere nequirent: Prætoria cohors equis desiliens, impetum excepit, & aliquandiu fortiter retudit. At Comitis Sigismundi equitatu advolante, eorum impetu repressus est; mox ferocissimè irruentes Helvetii, priusquàm Burgundi aciem struere possent, omnes præcipitem in fugam magnâ suorum clade acti sunt: traduntque Annales in ipso æstu prœlii cecidisse è Burgundis Belgisque circiter octo peditum millia, tandumdemque in fuga cæsos. Carolus tribus equitum millibus stipatus viam carpit Burgundiam versus, hæretque Riverii tantisper donec atrâ bile discussâ, novas vires collegisset. Sic victus fugatusque, quem hactenus nulla fregerat clades, quemque erat opinio vinci non posse: præterquàm quod si vicisset, in præcipiti erat Respublica Helvetiorum, nullo tunc populo qui ruentem impetum sisteret, aut claustra opponeret, quin fines suos, usque Italiæ limites propagaret.

Prodeunt in aciem Helvetii cum fœderatis.

Educit & fusus Burgundus, vincitur fugaturque.

Intereà Ludovicus Rex, nè victoria hæreret in limine, in Burgundi exitium surgit, Helvetiis & Renato Lotaringiæ Ducatu exuto, ingentem pecuniæ vim distribuit, militem insuper sufficit, instigatque ut Lotharingiam, Nanceiumque ereptum, recuperent. Renatus igitur Helvetiorum robore, & auxiliaribus gallicis copiis fretus, occupatis minoribus quibusdam oppidis, Nanceium, quando in ea urbe versabatur cardo, unàque erat momentum victoriæ, oppugnandam suscipit. Constitutâ obsidione, partitisque muneribus, exercitum urbi admovet: & præsidiarius miles, ex optimo quoque delibatus, eam strenuè propugnabat, opperiens à Burgundo suppetias, quæ cùm lentè procederent, & Angli qui urbem tuebantur præfectum suum amisissent; Præsidiarii Rubempreum urbis rectorem impulerunt, uti

Dux Lotharingiæ, auxiliaribus gallicis copiis fultus, Nanceium recuperat.

uti pactâ deditione, ipsorum vitæ ac fortunis consulat, minanturque nisi fecerit, se absque mora facturos. Paruit Rubempreus, cum triduo vix elapso, suppetiæ, sed frustrà, adfuerunt. Renatus cùm sub initium Octobris Nanceium ovans ingressus esset, sub finem ejusdem mensis ad Helvetios contendit novas accersiturus copias.

1477. *Carolus tertium in Helvetios ducit.* Carolus postquàm sex hebdomadas solitarius in Burgundia egisset infrequentiâ hominum dolorem ignominiæ pascens; & tametsi deficerent fœderati, & Flandri detrectarent in belli sumptus contribuere, quod belli in Helvetios gerendi causam non viderent; tamen, sicuti ferox & vindictæ percupidus erat, exercitum conscribit, quem tertiùm in Helvetios duceret. Verùm amissâ Lotharingiâ, captoque Nanceio, dilatis Helvetiis invadit Lotharingiam, & Nanceium de novo circumsidet ineunte Octobri; imbres, frigora, geluque imminebant. Quare plerique erant auctores ut omissâ oppugnatione, proxima municipia milite impleret, detractisque alimentis, urbem sensim fame adurgeret, donec vere proximo, molliore cœlo oppugnationem institueret. Verùm ille obfirmato in periculum animo, rectè monentes audire renuit, castris urbem cingit, cœli procellas, annique intemperiem simul cum hoste victurus. Interim adest Renatus Dux Helvetiorum quindecim millia ducens, hostem ab urbis obsidio revulsurus, aut prælii fortunam tentaturus. Burgundi copias vix decem hominum millia conflabant, è quibus duo dumtaxat millia ad obeunda militaria munia apti erant: cæteri morbo affecti, præ infirmitate arma expedire non valebant Quamobrem Duces dehortabantur, ne copias morborum calamitate detritas, objiciat integris & recentibus. Flandri quoque orabant, ut in Luxemburgum secederet, polliciti vere proximo omnem contentionem adhibituros, uti hostes subigeret. Àt cæcâ pertinaciâ induratus, sana omnia consilia abjecit. Militabat in ejus castris Comes quidam Neapolitanus, quem Campobassum appellabant. Hic vel suapte perfidiâ vel pecuniâ clàm corruptus, cum quadringentis Italis à Burgundo deficiens, ac ad Renatum transiens, ei Burgundi consilium omne patefecit. Prætereà, duo circiter Gallorum millia, de industria à Ludovico Rege exauthorati, Renato se adjunxerunt. Nonis autem Januarii 1477. ad pagum S. Nicolai Renatus cum suis & Helvetiorum copiis promovens, ad lacum qui indè haud procul abest, acies instruit. Unam qui Friburgum Suricumque incolunt: Alteram Bernenses, atque

Omissis Helvetiis Invadit Lotharingiam Nanceium obsidet.

Burgundus sana omnia consilia obstinatè respuit

Campobassus proditoriè à Burgundo deficit.

Ternenses duxerunt. Atque ità partito agmine, alteri secundum flumen; alteri per viam militarem Nanceium versus composito ordine incedunt. Jam & Burgundus suos ad pugnam instruxerat, & Helvetios qui viâ publicâ progrediebantur, tormentis appetere properabat. Quod animadvertentes aciei Ductores, sinistrorsum ad proximum collem deflectunt: in quos Burgundus Jacobum Galcottum, Italum, & Judocum Talanum, bino agmine immittit; ij hostem intrepidè aggrediuntur. At Helvetii irruentes fortiter exceperunt, dein loco moverunt, postremò in fugam egerunt magnâ internecione. Carolus Dux pugnâ æstuante, cùm suos pelli conspiceret, ferendæ ignominiæ impar si tertiæ cladi superesset, abdens se in confertissimam aciem, fortiterque dimicans 5. mensis Januarii 1477 tribus plagis occubuit, sarissâ renes ictus & femora, caputque secus aurem securi ad dentes diffisus, anno ætatis quadragesimo tertio. Dum conserebatur pugna, Campobassus pontem occupaverat haud procul à Nanceio, qua via est Luxemburgum; ad pontem postquam fugientes Burgundi pervenerunt, insequente eos ferociter Lotharingo, pars amnem natatu transmittentes, ab Helvetiis trucidabantur: pars fluctibus obruti interibant: pars qui silvarum latebris, aviisque semitis incedentes, tutos se rebantur, ab incolis sine miseratione jugulabantur.

Conseritur pugna atrox

Burgundus cæsus.

Partâ victoriâ, Renatus de Burgundo Duce interiissetnè, an viveret sollicitus, quandoquidem de eo nullum nuntium acciperet; ad Metenses confestim mittit, sciscitatum; an per eorum civitatem evasisset: At ille reverà dum fugâ sibi consulere contendit, labente equo, quem insedebat, tribus vulneribus confossus, occubuerat annos natus 43. percussus à Claudio Beaumontio, nobili Lotharingo, surdo, qui inclamantium voces exaudire non poterat. Cadaver post triduum repertum nive & glacie obrutum, & agnitum ex non dubiis signis à Mattheo Portugalensi Ducis medico, ipsiusque amanuensi, captivo, jussu Renati Ducis in primario Nancei Templo, ante aram summam, terræ mandatum est: conditumque ab eodem Renato sepulcrum, eique impositum Caroli simulacrum cum natalium insignibus.

Ejus interitus fidem apud subditos reperire non potuit; nam multis post annis creditum est eum vivere, pertinacissimè asseverãtes eum è pugna ad germanos evasisse ibique septennem pœnitentiam vovisse: quam postquam explesset, indè erupturum, suasque injurias vindicaturum. Eam crudelitatem auxit quidam Eremita,

Ejus interitus apud subditos fidem reperire haud potuit.

horridam vitam inter Suevos agens in oppido cui Bruxellæ nomen est, qui cum habitu corporis & voce non absimilis Carolo esset, vulgus facile hunc pro Carolo habuit, donec evidentioribus signis ad verum perventum est: adeò desiderium sibi illudere amat. Dicitur eo die quo pugna conserta est, & Dux cæsus, Angelus Cattus, Neapolitanus, qui demum Archi-episcopus Viennensis, Astrologiæ peritissimus, casum prævidisse; cùm enim Turonibus in Sancti Martini sacris operaretur, dum Regi traderet pacem osculandam, dixit: *Domine Deus det tibi pacem, eam si vis habes; consummatum est, Dux Burgundiæ cæsus est, profligato exercitu.*

Vaticinatio de casu Caroli Burgũdi

Hic finis & ærumnosus exitus fuit CAROLI, potentissimi Burgundionum & Belgarum Ducis, dicti Audacis, quod intrepidè in belli pericula se obijceret: dignus quovis fastigio, tùm dignitate corporis, tùm virtutibus animi. Staturâ erat mediocri, corpore vegeto & succulento, colore capillorum & oculorum nigro, naso mentoque oblongo, facie virili suffuscâ & cineritiâ ad similitudinem maternæ originis Lusitanicæ. Erat in eo summa generositas, fortitudo imperterrita, militarium laborum supra fidem patientia, magnificentia regia, tantaque aulicæ supellectilis abundantia, ut tres ditissimas regias superaret. Erat hostibus terribilis & formidabilis: linguarum externarum præsertim Latinæ Hispanicæ, Anglicæque, ac Musicæ peritus. Historiarum, maximè de Alexandro Magno, & Julio Cæsare scriptarum studiosus: justitiæ tenax legumque vindex acerrrimus. Tam raræ castimoniæ, ut nulli, præterquam uxori misceretur; stupraque in milite, non secùs quam desertionem furtaque vindicaret. Attamen habebat & suos indolis nævos: nam iram in potestate non habuit, aliquoties hoc impetu râptus. Immodicâ erat ambitione adeò, ut nec Belgii terminis circumscriberetur; propositi vel in perniciem tenax, suisque auspiciis cuncta gerens, salubria aliorum consilia excludens. Quò factum, dum aliena invadit, finesque suos prorogare satagit, calamitosum sibi fatum accersiverit.

Ejus virtutes & laudes.

Ejus nævi.

MAXIMI-

MAIMXILIANUS,

& Maria Valesia Duces Burgundiæ &c.

POstquam Carolus in humanis esse desiisset, Brabantiæ principatus in Mariam filiam ejus unicam recidit, sed magnis multisque calamitatibus priùs exercitam: nam Ludovicus Francorum Rex, ejus nominis XI. accepto de Caroli clade ac cæde certo nuntio, omninò statuerat Burgundicas terras invadere & ditiones amplissimas regno Franciæ adjungere. Nec obtentus deerat quem invasioni prætenderet, affirmabat Ducatum Burgundiæ feudum esse regni, quod ad masculos dumtaxat spectaret, exclusis fœminis. Idem jus in Artesiam vindicabat. Et quamvis, cum Carolo inducias in novennium pepigisset easque Sacramento sanxisset ad annum 1475. nihilominùs specie protegendæ cognatæ, & orbæ, quam filii sui septennis nuptiis destinabat, non tantùm Ducatum Burgundiæ, sed quæcumque patri avoque per Atrebatensem & Confluentinam pacificationes accesserant, bello rapuit. Sanè pupillam consilio & peritiâ rerum destitutam, in hunc modum opprimi, contra æquum erat. His patratis, uti in Flandriam pervaderet, mittit Gandavum Oliverium Damam cum litteris & mandatis ad Mariam, ut ei clàm loqueretur, atque ad partes Regis traduceret: aut saltem oppidanos vel palam ad res novas inducat, vel clàm promissis alliciat. Is non procul eâ urbe natus, arte primùm tonsor, dein ob sagacitatem indolis Regi gratus, & comitatu Meulanchi donatus, in spem venerat conciliandæ amplæ civitatis, adestque Gandavi, ingenti opulentiâ, originis sordes obducens. In concilium admissus, ut exponeret causam legationis, inquit, sibi injunctum esse, ut soli Mariæ loqueretur, quod cum indecorum judicarent Proceres, in quibus erat Cliviæ Dux, & Præsul Leodiensium, aliique, & tonsor in sententiâ persisteret, indignati Gandavenses popularem suum sibi illudere, & vertentes opprobrio tam amplam provinciam urbis demerendæ, vilissimo capiti demandatam, in hominem insurgunt, atque adigunt fugere. Is, ut se periculo eripiat, profugit Tornacum; urbem tùm neque Francici juris neque Burgundici tantumque contendit, uti cives Francum admiserint. Intercà missi Peronam ad Regem Galliarum Legati à Maria numero plures: erant in his Gulielmus Hugonetus

1477.

Oliverius tonsor missus à Rege Francia ad Flandros.

Legati Mariæ ad Regem Francorum.

netus Cancellarius, summæ authoritatis olim apud Carolum, & Guidus Brimeus, & Imbercurtius rebus uterque agendis nati. Rex singulos blandimentis, promissis & donis expugnare aggressus, ut sibi sacramentum dicerent, vehementer ursit, verùm illibatam eorum fidem frustrà tentavit. *Orabant Regem, ut induciarum memor, quas cum* Carolo à biennio pactus erat, pupillam Mariam, consanguineam, imo filiam lustricam, defenderet potiùs, quàm ejus oppida, ac ditiones armis & artibus expugnaret. Hos cum nullis illecebris ad se Rex traducere posset; tandem has proponit iniquissimas pacis leges: *Vt si Carolo Delphino ejus filio Maria* nuberet, sarta tecta ei omnia manerent: Sin autem non esset ejus animi ob ætatem nubentium inæqualem (nam Maria vigesimum ætatis annum ingressa & mariti potens, Delphinus pubertatem vix dum attigerat) cederet sibi hæredibusque jure perpetuo Ducatum & Comitatum Burgundiæ, Boloniæ & Artesiæ: redderet oppida ad Somonam: Solveret inpræsentiarum sexcenta aureorum millia, Datis denique vadibus promitteret, se præter consilium, consensumque Regis nemini nupturam. Interea Gandavenses, cùm Principissam penes se haberent, provinciarum regimen vsurpabant, atque ut erant turbulenti, potestatis, quàm Principis amantiores, Senatores præcipuos, numero viginti sex, gladio feriunt; sollicitantes indè Mariam, ut privilegia, quæ & pater & avus Philippus ademerant, confirmaret. Aliquanto post Gandavensium Legati Regem conveniunt, dum Atrebatnm urbem impugnat, multasque pacis conditiones proponunt. Ille, ut oleum camino affunderet, frustrà ea proponi respondet, cum nullâ auctoritate Principis fulcirentur. Cumque eâ & luculentâ affirmarent se ptæditos, Ludovicus Mariæ litteras explicat, legit, traditque, ut suo otio inspiciant. Hi extemplò concepto furore, & abrupto colloquio Gandavum advolant, & exhibitis Mariæ cum opprobrio literis, Hugonetum & Imbercurtium nocte corripiunt. Et licet neque cives essent, neque ipsorum subditi, tamen lite intra diem sextum instructâ, reos damnant capite, nullâ aliâ noxâ quàm probatæ in Principem fidei, & concitatæ ob probitatem invidiæ. Maria certior hujus facta, ut supplicio intercederet, nihil non tentabat; & quandoquidem vim adhibere non poterat, ipsa alienæ obnoxia potestati, ad muliebra arma convertitur, lachrymas, preces & supplicum obsecrationes, si induratas mentes fortè inflectat. Primùm in publicis civitatis ædibus, Domina genibus flexis subditorum clementiam appellat, tum repulsa; cùm in foro

Hugonettus & Imbercurtius à Gandavensibus capite plexi.

in foro rei sub gladio essent, pullâ stolâ, passis crinibus, lachrymis atque singultibus perorans, miserorum salutem efflagitat; sed frustrà preces fuerunt & lachrymæ, reis caput metitur. Indè Gandavenses novum legunt Magistratum, veterem loco movent, aut proscribunt.

Dùm hæc aguntur, Rex Ludovicus in Picardiam arma infert; venienti urbes parent, Abbavilla, Hanum, Sanquintinum & Perona. His patratis, in Artesiam penetrat, Atrebatum impugnat, atque ad deditionem adigit. Unâ serie Cameracum captum, Quesnoium, Hesdinum, & Bononia. Mox Tornacenses metu perculsi Francos quoque admiserunt, qui cùm Flandriæ agros vastarent & latè potentiam in viciniam promoverent, tam molestum aculeum Gandavenses vt refigerent, coëgerunt viginti circiter bellatorum millia, quibus Adolphum filium, Gelriæ Ducem, è carcere exemptum, in quo hucusque Caroli Audacis mandato Cortraci attinebatur, præfecerunt. Ille dum levibus præliis hostem dentidem lacessit, ac mox urbem propiùs adequitaret, effundunt se sub auroram præsidiarii. Hi recedentes Gandavenses insecuti, eos in fugam verterunt, agmen, quà poterant, extremum proritantes ad pugnam. Verùm Adolphus, magno vir animo, nec minori virtute, converso equo in eos invectus, ut viam suis expediret, equo dejicitur, & à suis derelictus, à Francisco Sauvagero interficitur, die, qui Julii fuit vigesimus secundus. Defendisse se aliquandiù pedes memoratur, atque indè moribundus bis altâ voce Gelriam inclamasse, ac mox impositum jumento cadaver Tornacum à milite avectum, ac ibi, cùm nemo esset, qui redimeret, in æde cathedrali, quæ est divi Eleutherii, sepulturæ mandatum. Alii B. Mariæ delubrum esse volunt, & in his Nicolaus Burgundus, historiæ suæ Belgicæ lib. 3. Qui & hoc addit: Apud Tornacenses, cùm annis superioribus in aras imaginesque plebs vesana milesque sæviret, Adolphi tum simul Gelriæ Ducis sepulchrum perfractum, & erutum è conditorio cadaver, quod per tot annos in hunc diem illibatum servaverat condimentorum fragantia. Jamque Ludovici summa prosperitas toti Belgio terrorem incutiebat: nec immeritò formidabant Ordines Brabantiæ, magis adhuc id accisum iri, nisi marito dato Mariæ, subveniretur. Illa plurium jam votis appetebatur, at præ uno Maximiliano, Frederici tertii Imperatoris filio, cæteri repulsi; quippe Delphinus Franciæ puer admodum erat, Virgo jam grandis; Carolus inculismensis, gratus quidem virgini, sed Regi parum, qui Principem

Rex Gallorum Picardiam invadit.

Adolphus Gelriæ Dux è carcere dimittitur.

Maria Maximiliano nuptia cum.

Francum eò potentiæ evehi non probabat; Clivensis filius, ob mores gravis puellæ erat; Riverius Eduardi affinis, nulla erat dignitate spectabilis; ita Maximilianus unus relictus, ætate & majestate familiæ tantis nuptiis par. Miserat non semel Cæsar Fredericus ad Belgarum Ordines, Mariam filio suo unico Maximiliano, Archiduci Austriæ deposcens, juxta quod olim Carolus Treveris promiserat, & Maria literis annuloque sanxerat. Ordines de Mariæ voluntate securi, unâ voce in nuptias consentiunt, mittuntque cum Cæsaris Legatis Balduinum Lanoïum qui hæc Cæsari ejusque Filio nuntiaret. Exindè Maximilianus, numeroso & magnifico selecti comitatus apparatu, in Belgium proficiscitur; comi-
1478. tabantur Archi-præsules Moguntinus & Treverensis, Marchio Badensis, Brandeburgius, Albertus Saxo, Dux Juliæ, Antistes Metensis, Lantgravius Hassiæ, & alii complures illustres viri. Tandem decimo sexto Cal. Septemb. 1478. Gandavum venit, ac postridiè, præeunte Antistite Tornacensi, Mariam Burgundicam, annum vigesimum agentem, sponsumque annis duobus antecedentem, in thori sociam, ac conjugem legitimam assumpsit: idque fundamentum est, quo Austriaca domus in tantum apicem se erexit, Belgio Germaniæ innexo, ac tot Provinciis per nuptias comparatis, quæ acquirendi ratio facillima & commodissima.

Principes in præcipuis Brabantiæ, Flandriæ & Hanoniæ urbibus inaugurantur.

Diebus nuptiarum genialiter splendideque Gandavi peractis, cœpta mox componi ex Ordinum consilio Respublica: ac novi deniquè Principes in præcipuis Brabantiæ, Flandriæ & Hanoniæ urbibus, dato & accepto jurejurando, solemniter inaugurati, datis ea de re codicillis; Verùm cùm his in pactis inauguralibus Philippi Austriaci vis & authoritas sit abrogata, inanis & supervacaneus esset labor, eos hic inserere. Paulò post Archidux Maximilianus multos bello togaque claros, aureo vellere exornatos, in Ordinem Principum Torquatorum Brugis retulit.

1478.

Rex Franciæ Condæum obsidet.

Interim Ludovicus Rex Francorum, cùm res Flandriæ perturbatissimas spectaret, existimabat oblatum opportunitatis momentum ad rem benè gerendam. Quamobrem tertio Cal. Maii, anno milesimo supra quadringentesimum, septuagesimo octavo, Condæum Hannoniæ oppidum circumsedit, & obvallavit; nec multò post, ob rarum præsidiarium militem, capita dedendæ urbis perscripta sunt. Dediderunt se quoque Biesium, Brisolium, Estrambruga, Haurechium, Treslonga, Bossuum, ac circumjacentia Condæo castella.

Dum hæc aguntur, Maximilianus quatuordecim Belgarum millibus

millibus sub signa conscriptis, hisque duobus Germanorum peditum millibus junctis, in hoc totus incubuit, ut Regem, Francosque totâ Hannoniâ pelleret, quod mox eventus sanxit; quippe Jacobus Romontii Comes, ac Philippus Clivius, lectis quatuor virorum millibus, Bossuum, Treslongam, Haurechium, ac Villam expugnant. Maximilianus cum exercitu Crispinum processit, cujus terrore Condæum, Quesnoïum, Bochaïnum, & Castrum Antoignii ultrò in ejus potestatem concesserunt. *Maximilianus Gallos Hannoniâ pellit.*

Eodem anno 1478. decimo Cal. Julii, Maria fausto partu marem enititur, cui Philippi inditum nomen, & quarto Cal. Augusti à sacro eum lavacro suscepêre Margareta, Caroli pugnacis vidua, Adolphus Clivius, Ravenstainæ regulus nomine Cæsaris, & Lutzenburgius divi Pauli Comes nomine Henrici septimi Anglorum Regis. Et exindè induciæ in annuum spatium inter Ludovicum Regem & Ducem Maximilianum pactæ sunt, his legibus: Ut „Rex Maximiliano restitueret, quidquid in Comitatu Burgundiæ, ac Hannoniæ occuparat. Cæteræ verò ditiones eo maneant statu, quo erant, donec per arbitros, utrimque Tornacum mittendos, de pace conveniret. Denique Rex Tornaco „præsidium deduceret. De pace nihil posteà actum. *Maria Ducissa enixa filium.* *Induciæ annales inter R. Gallorum & Maximilianum.*

Exeuntibus induciis, Maximilianus persentiscens Regem à pace abhorrere, iterum ad arma est ventum, legitque Maximilianus validum exercitum, quem implebant viginti octo bellatorum millia. His succinctus copiis, movet sexto Cal. Augusti 1479. Terouanam versus, ea præsidio quadringentorum loricatorum equitum, & mille quingentorum sclopetariorum peditum munita erat. Nec morantur Franci, ducuntque exercitum, quem conflabant tria equitum millia, quatuordecim peditum, ac sex millia rusticorum, quo solveretur obsidio, aut pugna iniretur. Perstabat tamen in obsidione Maximilianus, ac ponte reperto, coque quatuor millibus Flandrorum munito, generosè (viginti nondum annos natus) contra Creveceurium, gallicarum copiarum Ductorem, in aciem prodit. Et ecce bellicum canentibus tubis, velites ad delibandam pugnam immittit. Momento temporis miscentur equites, pugnatur aliquandiu acerrimè, verùm equitatus Belgicus multitudine obrutus, fugam capessit, ii, effusis equis instant fugientibus. Maximilianus, equitum suorum conspectâ fugâ, ut Antæus novus è casu fortior, redeuntes Francos, & quidem soluto pro victoribus agmine, aggressus intrepidè, magnam stragem edidit, docuitque viro forti ferì prospera ex adversis. Posteà justo *Terouanæ obsidio.*

Maximil: Gallos cadit. exercitu ad Guinegotam utrimque pugnatum à secunda pomeridiana, usque ad octavam vespertinam. Cæsa Francorum novem circiter millia. Equites Belgæ desiderati ducenti; pedites cecidêre perpauci, eorumque robur & constantia Maximiliano victoriam peperit. Flandri in castris & tentoriis Francorum pernoctârunt. Et verò magni momenti victoria fuit, non modò cæsorum numero, sed etiam famâ & gloriâ; iis victis, quos erat opinio vinci non posse; præterquàm quod, si vicissent, in præcipiti foret Belgica. Victor exercitus, nullo jam prohibente, ferro & igne hostium agros populatus, dives prædâ, viam remensus est; sicque dimissus in hyberna.

1480. *Maria Princeps edit filiam.* Anno, qui insequutus est, Millesimo supra quadringentesimum, octogesimo, mensis Januarii die decimâ, DuxMaria peperit Bruxellæ filiam Margaretam; novum partum in sacro fonte susceperunt Margareta Eboracensis, Caroli Audacis vidua, Anna Burgunda Ravenstanii uxor, ac Joannes Challonius Aurantii princeps.

Tumultuantur Gandavenses. Vere hujus anni ineunte, Gandavenses, concitante Dudzellæ Domino, Maximiliano leges sumptuarias, quibus familiam instituat, ditionesque regat, scribere ausi sunt; ac præterea complures, qui ab eo dignitatibus aucti, probè recteque muniis functi fuerant, in exilium agunt: quâ protervia graviter offensus, cum conjuge Mariâ urbe discedens, Mechliniam se recepit. Indè Bredam profectus, ac exindè Gertrubergam, conscensaque navi Roterodamum appulit; ibi contracto gravi morbo, desperatâ propemodùm salute, aliquandiu decubuit, ac posteà revaluit.

Galli Lutzemburgensem ditionem invadunt. Interim rursum obstrepentibus lituis Mars tentatus. Ludovicus Rex Galliæ valido contracto exercitu, ditionem Lutzenburgensem invadit, Duce Carolo Ambosio, qui primo impetu Vertonium expugnat, moxque atroci crudelitate diripitur, nullo sacri profanive discrimine, præsidiarii partim cæsi, partim in capitvitatem abducti. Paulò post Ivosium quoque certis conditionibus deditionem fecit, atque indè in Galliam ovans regressus est. Urebat hæc clades Maximilianum; sed illatam contumeliam sævè ultus est; nam compositis pro tempore factiosorum seditionibus, quæ illum in Hollandiam exciverant, indè redux, Baumontium Hannoniæ oppidum expugnat, diripit ac exurit.

1481. *Maximilianus numerum Equitum aurei Velleris supplet.* Mox mense Maio Buscoduci numerum Equitum aurei Velleris ingenti magnificentiâ explevit. Accesserat eòdem Maria Ducissa, trimulusque filius Philippus, cum maximo Principum Nobiliumque confluxu, qui & Eques ibi in eundem Ordinem à patre ascriptus est.

Pri-

Pridie Cal. Iulii annuæ inter Francos & Belgas induciæ promulgatæ sunt, quæ tamen nec diuturnæ, nec firmæ admodùm fuerunt, quod miles utrinque à prædationibus haud abstineret. *Induciæ inter Maximilianum & Gallum.*

Sub idem tempus Gelri Brabantinorum Hollandorumque agros crebris deprædationibus vastabant, quas ut retunderet Maximilianus, magnos delectus totâ Provinciâ habet, conscribit exercitum ingentem, bellumque interminatur; Gelriæ Proceres re in consilium adductâ, imminentem tempestatem à suis avertere cervicibus consultiùs existimârunt. Decreta igitur omnium calculis ad Maximilianum legatio, quâ obitâ, pacem æquis conditionibus impetrârunt, datâ fide, se, ut Principem, eum accepturos inauguraturosque. Hinc Neomagum Dux venit unàque Ducissa Maria, ibique in ejus verba cuncti jurârunt, seque potestati ejus, exceptis Venloënsibus, commiserunt. Inauguratus quoque ut Gelriæ Dux Zutphaniæ, verùm absens. Nomine autem ipsius juramentum à civibus accepit Adolphus Nassavius à Visba, quem Gelriæ toti præfecit. Indè uxore Mariâ Bruxellam remissâ, ipse Ruremundam profectus, omnes vires in Venloënses convertit: Urbem circumcingit; ad oppugnationem irrumpitur: nec Venloënses se propugnant ignaviter, suis tecti munitionibus. Maximilanus moræ pertæsus, illicò se ad murum admovet, applicatæque machinæ labem intulerunt, quæ capax irrumpentes admitteret. In hoc rerum articulo, gnari cives discriminis, ad Ducem miserunt, qui profiterentur obsequium, eumque Urbe admiserunt, Gelriæque Ducem salutârunt. Rebus ad votum apud Gelros confectis, Batavodurum, atque indè Trajectum, perque Hollandiam Bruxellas est reversus. *Gelri Brabantia & Hollandia agros direptionibus vexat.* *Maximilianus & Maria Neomagi inaugurantur.* *Venloa Maximiliano dedita.*

Postridie Cal. Septembris nascitur Bruxellæ Maximiliano filius, dictus Franciscus, qui vigesimâ tertiâ Decembris sequentis præmaturo fato obiit. Brevi post spatio nova belli moles surrexit in Maximilianum. Ludovicus Francorum Rex occupato Cambresiaci oppido, quod Carmeraco haud procul est situm, atque indè Condæo, ad Scaldim usque infestas excursiones instituit. *Nascitur Maximiliano filius.*

Agebat eo tempore Maximilianus, unà cum conjuge Maria Brugis Flandrorũ. Dabat illa cum Nobilium virorum ac virginum comitatu operam, aucupio vecta Asturcone admodùm animoso ac feroci, quemdùm laxatis in cursum habenis impellit cingula ephippium substringentia rupta sunt. Sternitur illa resupina, læditque costas adeò graviter, ut lapsis tribus septimanis, vi doloris in lecticam adigeretur. Hactenus enim vim mali occuluerat, ne maritum

mœrore afficeret. Tandem accedente continuâ febre, quinto Cal. Aprilis Anno supra Millesimum quadringentesimo octogesimo Brugis vivere desiit, quartùm jam gravida, ætatis anno vigesimo quinto, connubii quinto. Cadaver conditum aromatibus, solemni ac magnificâ cum pompâ Brugis in templo divæ Virginis Mariæ, ut petierat, conditum est. Cor verò Antverpiæ ad D. Michaëlis tumulo matris illatum. Alii fœmur fractum memorant; dumque loci affecti tractationem omnem per verecundiam videbatur refugere, aliquot post diebus è vivis decessisse, superstitibus liberis Philipo nondum quadrimo & Margaretâ bimula. Quanto id Maximiliani dolore acciderit, ex eo est colligere, quod per omnem exindè vitam, cum de ea mentionem inferret, vel fieri audiret à lachrymis aut suspirio temperare haud potuerit.

Maximilianus liberorum suorum tutor dictus, refragantibus solis Flandris.

Elatâ Mariâ, Archidux modis omnibus operam dedit, ut liberis suis impuberibus, ipse tutor daretur: & quamvis Brabanti certis legibus tutelam illi decrevissent, atque horum arbitrio Hollandi, Zelandique quoque accessissent, soli tamen Flandri, Gandavensium intercessione, refragati sunt. Hinc summa Belgarum calamitas è bello civili orta.

Ludovicus Borbonius, Leodiensium Antistes à Marcano trucidatur.

Per id temporis Leodiensium Antistes Ludovicus Borbonius, insidiis Guilielmi Marcani Arenbergi, viri quidem illustris, sed turbulenti ingenii, ac indolis perversæ, quemque non ita pridem Maximilianus de homicidiis aliquot convictum in gratiam receperat, nefariè interficitur, ipso Marcano primum Præsuli ictum circa jugulum inferente; deindè conductitiis è Gallia sicariis aliquot ad internecionem conficientibus, inque Mosæ fluentum cadaver abjicientibus; unde paulò post à Monachis, qui erant in proximo, extractum, ad D. Lambertum Leodii sepelitur. Facinoris hujus invidiam amoliebatur Marcanus, quod ipsum Antistes, ob trucidatum Richardum Sigilliferum, urbe ditioneque Leodiensi exulare jussisset. Hinc convocato Leodiensi populo palàm fatetur suâ operâ interfectum Antistitem, eum communis patriæ proditorem, Burgundicis partibus addictiorem, ac præteritarum ærumnarum auctorem dictitans, flagitatque filium suum Joannem Marcanum, Coloniæ Agrippinæ literis operam dantem, in cæsi locum sufficiant. Impudens herclè votum. Post Ludovici Borbonii necem, electus Lovanii suffectusque in locum ejus Joannes Hornanus, Canonicus Leodiensis. Quod cùm acriter ureret Marcanum, suas ille in partes traduxit Leodienses, & aquâ atque igni interdixit omnibus aliter sentientibus. At Maximilianus ad se pertinere ratus vindicare tam atrox scelus, nec pati eam Leodiensium

Joannes Hornanus suffectus in locum Borbonii.

ergà Præſulem ſuum impietatem, præſertim cùm ſicarii Francici à Marcano conducti, quique facinus perpetraverant, magno numero palàm, atque impunè in urbe eorum vagarentur, exercitum inſtruit, cui Philippum Clivium præficit. Marcanus ad eum repellendum jam ſe comparaverat, nec in fœderatis quærendis ſegnior, præter Leodienſes, Helvetios, Germanos, Gallos, ac Gelros ſibi adjunxerat. Poſtquàm uterque exercitus ſtatariam iniiſſet pugnam, peditum Leodienſium acies, virtute Auſtriacorum profligata eſt, inque fugam præcipitem acti fœderati. Gaillardus Francorum ductor, cum potiſſima ſuorum parte periit; quemadmodùm & Wachtendonkii Dominus, qui Gelris, Cliviſque præerat. Poſt quæ Leodienſes poſitâ ferociâ pacem petunt, eâque lege impetrant: „ Ut ſingulis annis Maximiliano triginta duo aureo-„ rum millia dependerent. Ducem Brabantiæ ditionis, urbiſque „ Leodienſis Protectorem agnoſcerent. Quod ad ſolutionem an-„ nuæ penſionis, præcedentibus Principibus, Maximiliani præ-„ deceſſoribus promiſſæ, nec perſolutæ, ſtarent arbitrio, ac ſenten-„ tiâ Cæſaris Frederici, Antiſtitis Moguntini, ac Leodienſis; qui-„ que prior, violatâ pace, bellum alteri moviſſet, is multam quin-„ gentorum millium aureorum ſubiret.

1483. Ducit Maximilianus in Marcanum.

Conditiones pacis cum Leodienſibus initæ.

Intereà Maximiliano cum Francorum Rege rurſus imminebat bellum, idque ſollicitè apparabat, cum intercedente Legato Pontificis, Maximilianus propter Gandavenſium rebellionem, admiſit pacem, his aliiſque iniquiſſimis conditionibus: „ Carolus Delphi-„ nus, Regis filius Margaretam Maximiliani filiam in uxorem „ ducito: eaque mox pace promulgatâ Atrebati traditor, & in „ Franciâ enutritor. Margareta in dotem Comitatus Arteſiæ, „ Burgundiæ, Maſconum, Auxerræ, Charolij, Salinarum, Bar-„ ræ ad Sequanam, Boloniæ, ac Noierij, adferto. Nec Rex, nec „ Maximilianus tutelam Philippi Auſtriaci prætendito, neque ge-„ rito, ſed Belgarum Ordinibus in eo quo nunc ſunt ſtatu, relin-„ quito. Maximilianus, ac Philippus, ut Flandriæ Comes, ejuſ-„ que ditionis Ordines Pariſienſem Senatum, pro ſupremâ provo-„ cationis Curiâ agnoſcito, eaque de re Regi codicillos dato. Inter præcipuos, qui has nuptias paciſque formulam cum Rege Galliarum procuderant, erat Guilielmus Rimius, Syndicus Gandavenſis, vir vafer pravæque indolis, ut eum celebrant Chronologi, & Joannes Cappenollius, caligarius, Magiſtratûs ſcriba, homo turbidi ingenii, & eâ de causâ plebi gratus. Hinc variè afflictum civilibus malis Belgium, cujus calamitatis auctores Gandavenſes, quorum

Pax inter Maximilianum & Gallos.

1484. Gandavenſium in Maximilianum odia.

quorum plerique seditioni dediti, plebi persuadebant, Maximilianum reditus Provinciarum Germanis ac Burgundis dilapidandos, ac profundendos dare: iis solis munia publica patere, honoresque deferri: Remittendum Viennam Austriæ Maximilianum: Esse sibi Principes è Maria Ducissa natos, quorum cura Provinciarum Ordinibus, non Germanis, aut Burgundis erat committenda. Opponebant qui & Maximiliano, ac publicæ quieti prospectum cupiebant: Patri scilicet, non subditis tutelam liberorum relinquendam, præsertim cum in rem pupillorum ac provinciarum prudenter idem feliciterque huc usque præfuisset. Stabant à Maximiliano Brabantiæ pars major, ac Cabelliavii Hollandi, ut & Hannones, Lutzemburgenses, Namurcenses, urbiumq; ac ditionum præfecti ferè omnes, solis exceptis Flandris, parteque Brabantiæ minore.

Philippus Austriacus in potestate Gandans:

Cum Flandris Gandavenses maximè, infimaque ubique plebs pro parte majori faciebant. Erat in eorum potestate Philippus Austriacus, Maximiliani filius unicus, cui certum nobilium virorum numerum attribuerant, quorum consiliis regeretur. Erantque hi Adolphus Clivius, Ravenstainæ regulus, itemque Philippus Burgundus, Ter-veræ Dominus; Romontii Comes, & Gruthusæ Dominus, qui Flandriam Philippi Austriaci nomine se administrare ferebant. Ad hos literas mittit Maximilianus, docens injuriam, quâ à propriorum liberorum tutela arcebatur contra rerum naturam, contraque Belgarum ferè omnium, qui aliter statuebant, sententiam. Illi his acceptis, quid essent Maximiliano responsuri, cum hæsitarent, suâ authoritate Flandri, nec honestè satis, nec modestè responderunt. Indè flagrare omnia bello cœperunt. Estque rapta mox à Maximiliano per insidias Teneramunda. Similiter astu militari secundo Nonas Januarii anni 1485. Audenarda in potestatem redacta, magnum rebus Maximiliani momentum attulit.

1485. Teneramun- Gandensibus astu militari erepta.

Nam & Gandavensium mox munimentum, quod erat inter Zaftingham & Calloüm à milite item Maximiliani feliciter invasum expugnatumque. Nec minùs infestum mari bellum gerebatur; Slusani enim armatis navibus ære & auxilio Gandavensium, ac Brugensium, quà poterant prædas agebant. Quocircà Valachriani opportunis locis munitiones erexerant, præsidioque firmârant. Verùm Vlissingæ oppidum, quod id temporis nec fossâ nec vallo erat munitum, miserum in modum à Slusanis invasum, captum direptumque. Unde Maximilianus, ut ejusmodi in posterum Flandrensium infestas eruptiones propulsaret, mittit in Insulam Valachranam justum militum præsidium, quod certis distributum locis,

locis, eorum exindè in terram exscensiones cohibuit.

Eas inter turbas Maximilianus certior factus Guilielmum Marcanum Arenbergium, Antistitis Leodiensis Ludovici Borbonii interfectorem, cum Rhenato, Lotharingiæ Duce fœdus percussisse, non modò, ut inter Maximilianum, ac filium ejus Philippum dissensiones sererent, sed bellum quoque Brabantis è ditione Leodiensi communibus impensis, inferrent, ac eam in rem Marcanum Lotharingo munitiones aliquot ditionis Leodiensis ex pacto convento traditurum. Mandat Maximilianus Frederico Hornano, Montignii Domino, qui erat frater Joannis Hornani, Leodiensium per id tempus Antistitis, ut quacumque ratione Marcanum reti involutum ad se, aut Mosæ-Trajectum quod mallet, abduceret, atque ibi capite plecti curaret; quod esset Marcanus homo sævus atque sanguinarius, & qui non modò Præsulis Borbonii turpissimo homicidio se inquinasset, sed & alios perplures, nec plebeios solùm, sed illustres quoque viros innocentes, vel ipse, vel per sicarios contrucidasset. Itaque Montignius arreptâ oblatâ occasione, cùm Marcanum suæ potestatis fecisset, eum abduci Mosæ-Trajectum extemplò curavit. Ubi latâ in ipsum capitis sententiâ cervicem carnificis gladio abscindendam præbuit atque ità vir nobilissimus à Cliviæ Ducum, veterumque Marcæ Comitum prosapiâ ortus, vitam, tam indecoro exitu, clausit. *Guilielmus Marcanus capite plectitur.*

Videntes Gandavenses res suas indies in peius ruere, viresque Maximiliani novis incrementis augeri, legationem mittunt ad Francorum Regem, ejus opem enixè implorantes. Summittit laborantibus sexcentos, quinquaginta lancearios equites, ac bis mille pedites, sed Maximilianus malis haud cedens, contra audentior insurgit, ac imminens jam Gandavo, eo etiam postremum potitus est. Interim cum Gandavenses jam deficeret pecunia, instrumentum & machina belli, pacis artes tentant, nec ab eâ alienus erat Maximilianus. Pupigit hoc Guilielmum Rimium, Syndicum, hominem turbulentissimum, qui supplendo ærario consulebat, ut Philippi Ducis pretiosiorem supellectilem divenderent: Verùm Martinus Paiartus, summus opificum Decurio, ineundæ pacis suadendo auctor erat. Per id tempus Maximilianus erat Brugis Flandrorum, ibique conventum est de conditionibus: quarum præcipuæ; „Ut Flandriæ Ordines Archiducem Maximilianum filii sui „Philippi tutorem agnoscerent. Philippum extra urbis portam ad„ductum, in patris Maximiliani potestatem traderent, promit„tente Maximiliano se filium extra Belgij limites, antequam ado„leverit, *Rex Galliæ mittit Gandensibus suppetias.* *Flandri ad pacem propendent.* *Leges pacis.*

X

„ leverit, non abducturum. Rerum judicialium in Flandria is status, qui ante bellum fuit, maneret. Acceptorum & expensarum „ rationes Insulis, veteri more, redderentur. Præterea Ordines „ Flandriæ Maximiliano tribus æquis pensionibus septingenta florenorum millia in bellicos sumptus penderent. Addita pleraque alia in instrumento fœderis porrecta fusiùs. Exindé Gandavenses cum Philippo Austriaco, Adolpho Ravenstainio, Antonio Burgundo, aliisque Nobilibus, Maximiliano obviam procedunt. Philippus quamprimùm venit in conspectum amantissimi parentis, ex equo desiliens, nudus caput, ac flexo poplite eum officiosissimè salutavit: Et pater vicissim amplexus unicè sibi amatum filium, divelli alter ab altero vix potuit, tantus utrinque erat animi affectus, ut majori astantium parti lachrymas excuteret. Gandavenses accedentes ad Archiducem, ad ejus genua procidunt supplices, neque in pedes se erexerunt, nisi recitatis pacis tabulis. Dein nonis Julii omnes urbem subeunt, sequentibus Germanorum peditum quinque millibus. Quinto post hæc die, rursum in urbe tumultuatum est. Tres Germani milites, Ancillam hospitis sui violare conati, jussu Magistratûs in carcerem conduntur; quatuor ex sociis ad carcerem contendunt, custodi claves eripiunt, portasque duas reserant. Tollitur clamor à Custode, accurrunt cives, ac de re edocti, ad Magistratum tendunt, atque effractores carceris, ad pœnam & supplicium deposcunt. Cunctante Magistratu arma corripiunt, forum insident, signa explicant, seque plaustris communiunt. Jamque gliscebat eam ob rem seditio, & erant qui flabellis incitarent, cùm Maximilianus causæ ignarus, mittit eò Philippum Clivium, ac Cameracensem Antistitem; sed nulla illis facta audientia. Concubiâ nócte, increscente vesaniâ, ad Palatium Archiducis contendunt, quo furore Princeps perterritus, jubet Germanum militem in pugnam exciri, urbemque ferro & igne vastasset, nisi Proceres eum exorassent, placassentque. Cumque instructâ acie seriò ad pugnam se compararet, cives arma ponunt, & ad sua quisque revertitur. Post hæc auctores tumultûs numero triginta tres quæstioni adjudicantur, octoque ex his capite plectuntur, quorum supplicio paci litatum, ut metus propagaretur in alios, centum prætereà acti in exilium. Decimo Cal. Augusti Maximilianus in ipso vestibulo arcis Wallensis solio Ducali considens, ad eum sistuntur urbis Gandavensis Præfecti, nudi caput, tùm illorum Syndicus, Archiducem per Deum immortalem obtestatur, uti rebellibus ignoscat; confitetur illos ergà clementissimum

Maximilianus Gandavum intrat.

Tumultus à Germano milite ortus.

Seditiosi Gandavenses puniuntur.

tissimum Principem largiter peccasse, meritosque obstinatione suâ, ut vitâ, ac fortunis universis multarentur. Hinc expromunt scriniolum, in quo asservabantur privilegia, à Regibus Francorum, rebellionis tempore, civibus indulta, aut Comitibus per vim extorta, quæ avulsis sigillis, Præfectus Diplomatum palàm, atque in omnium conspectu conscidit. Tandem Maximilianus omnium noxarum, etiam majestatis, gratiam illis fecit, promisitque clementem se futurum Principem, si in fide perstitissent, ac cùm primùm filius Philippus adolevisset, sese ei publicæ rei procurationem cessurum. Ipsi Gandavenses pollicentur vicissim fidem perennem, atque insuper se supra promissam pacis legibus summam, centum viginti septem aureorum liliorum millia persoluturos. Inde Octoviris novi legendi Magistratûs data cura; pariter & promulgandi pacis tabulas.

Compositis apud Gandavenses rebus, Maximilianus apparare cuncta, quæ ipsi ad iter germanicum essent necessaria, seriò cœpit. Ac mox Philippo filio Mechliniam traducto moderatorem dedit Adolphum Ravenstainium, demandatâ bellicæ rei curâ Philippo Clivio ejusdem Adolphi filio, atque Engelberto Nassavio. Hinc secundo Nonas Novembris Antuerpiâ Buscoducum, inde Graviam Ruremundamque proficiscitur. Undecimo Cal. Januarii Ruremundâ Hensbergam venit, ubique regiè excultus, atque inde Aquisgranum, ubi patrem Cæsarem Fredericum obvium habuit. Decimâ quartâ die Cal. Martii, qui fuit annus Millesimus, supra quadringentesimum, octogesimus sextus, Maximilianus communi Germaniæ Septem-virûm assensione in Regem Romanorum eligitur Francofurti ad Mœnum, ubi & consors Imperii à patre Frederico est declaratus. Coronatur vero die exindè nono Aprilis aquisgrani: quò allata tum temporis Norimbergâ, ubi asservata fuerat, illa, quâ olim est redimitus Carolus Magnus, corona ferrea. His peractis vigesimâ Maii Cæsar, ac Romanorum Rex invicem amplexi, ille in superiorem, hic in inferiorem Germaniam contendit; Sonsiumque eo die profectus, Archipræsul regiam in magnificentiam, splendido eum accepit epulo, Manè Novesium veniens, paucis diebus oppidi situm, soceri Caroli Audacis memor, qui id undecim mensibus frustrà obsederat, est contemplatus. Hinc Erquelemium, indeque aureâ imperiali indutus veste, Ruremundam armatus introiit.

1486. Maximilianus in Germaniam iter adornat.

Rex Romanorum Francofurti eligitur.

Verùm diu quieto esse non licuit, bellum à Gallia ortum, pacem perturbavit. Crevecœurius, Galliæ Regi à militiâ Hanno-

niæ agros ferro populatur & igni. Maximilianus ad belli fremitum conſcribit exercitum. Et commodum accidit, ut Salezarius, Duacenſium præfectus, vir militiæ gnarus, ac Regi Romanorum fidus, Terouanam per inſidias Francis eriperet. Hæc amiſſio, dolorem ſimul & bilem Creveceurio concitavit, quod ea in urbe ingentem haberet numerum muralium tormentorum, unà cum globis, ac pulveris nitrarii maximâ copiâ; multaque ſed fruſtrà egit, ut eam in ſuam ditionem iterum redigeret. Hinc Romanorum Rex quindecim bellatorum millia cogit, quibus omnibus Duces deſignati Clivius, Chimaius ac Engelbertus Naſſavius. Sequebantur ducenta plauſtra, omni commeatûs genere onuſta. Inſtructis ordinibus Terouanam proficiſcitur, ejus animi omnes, ut ſi Creveceurius Franciqué ſe oppoſuiſſent, prœlio decertarent. Sed illi derelictis munitionibus, ac Præfectis, fugæ ſe mandant, quos, deſertâ Terouanâ ſequi coactus eſt Creveceurius. Sicque Rom. Rex, commeatum pro libitu, ac luculentèr urbi intulit, rediitque mox Bruxellam. Atque inde menſe ſtatim Februario, anni, qui eſt inſequutus ſupra Milleſimum, quadringenteſimum, octogeſimi ſeptimi, cum hyems adhuc ſæviret, Creveceurius flagrans deſiderio recuperandæ Terouanæ, ad eam obſidendam regreditur, ſuccinctus mille ſexcentis equitibus, ac tribus peditum millibus. Jam urbem arcta premebat neceſſitas, ideò ſtatuerat, munimentis intactis, lentâ, ac diuturnâ inediâ propugnantes aggredi. Et verò fames per gradus progreſſa, ad extremam patientiæ metam pervenerat. Si quidem obſeſſi canes, feles, mures, aliaque animalia, quæ vitam ducunt, jam abſumpſerant. Nihilominus non deſtitit Maximilianus iteratò oppidanos commeatu reficere, paucis ab utraque parte occumbentibus.

Terouana Francis per inſidias erepta.

Commeatu ſublevat.

1487.

Intereà, quarto Cal. Maii, Franci, ductore Creveceurio, nocte intepeſtâ & obſcurâ D. Fanum Andomari occupant, ſcalis mœnibus admotis, dùm molæ aquariæ, quæ tum ingenti cum ſtrepitu circumagebantur, excubias fallunt: Ac menſe Julio idem Creveceurius Terouanam recuperat, ſimili ferè ſtratagemate, quo anno ſuperiore eam Salazarius in ſuam poteſtatem acceperat. Creveceurius videns dolo potiùs, quàm virtute rem ſibi ſuccedere, magno hominem ſceleſtum emit pretio, quaſi Regis Francorum transfugam, qui in fraudem inſtructus, præfectum Inſularum edoceret, Regem Galliarum bello Britannico implicitum, præſidia oppidorum Picardiæ atque Arteſiæ valdè imminuiſſe: proinde facilè poſſe oppida arceſque aliquot aſtu recuperari: adeoque

Galli fanum D. Andomari occupant. Hinc & Terouana potiuntur.

que prudenter de singulis disserebat, ut in suam sententiam perductis omnibus, Philippus Clivius, Balduinus Lanoius, aliique Proceres ei fidem adhibendam censerent. Statuitur dies octavus Cal. Augusti, quo nocte intempestâ Bethuniam proficiscerentur. Quâ de re Sinon ille Creveceurium extemplò certiorem reddit. Die exindè, qui dictus erat, ad calcem decurso, Clivius associatis sibi, præter cæteros Nassavio, Bossuvio, Carolo Egmundano Gelro, Bethuniam properant, sed pede infausto. Quippe Creveceurius locatis circumquaque insidiis, veluti indagine cunctos circumcingit; adeò ut nec irrumpenti hosti obsistere, nec fugere potuerint. Engelbertus Nassavius graviter saucius capitur, & cum eo Gelriæ Dux Carolus Egmundanus, Bossuvius, Forestus, Mastaingius, Fontainesius, Nuellus, aliique. Hæc clades non potuit non esse Rom. Regi acerbissima; & exindè recrudescens cum Flandris civile bellum, animi ejus dolorem curarumque molem haud leviter adauxit. Etenim Flandricam pacem, quæ malacia, non tranquillitas fuit, Rex Francorum, concitato Adriano Vilaino, Rassingemii Domino, viro nobili, sed animi inquieti, aliisque, rupit. Hi nihil palàm audentes, clàm & surdâ buccinâ Rom. Regem fictis criminationibus infestabant. Fuerat Adrianus iste Rassingemius præcipuus belli olim Gandavensis instinctor, paceque factâ Insulas cum familia se receperat. At Carolus Mennevillius, jussu Regis Rom., Nassavii aliquot corporis custodibus ascitis, Rassingemium capit, atque in custodiam arcis Vilvordianæ compingit, indignantibus haud leviter amicis ejus cognatisque. In his Adrianus Liekerkius Rassingemii patruelis, comitatus armatis quatuordecim viris, ad portam castri Vilvordiensis accedit, cæterisque in insidiis latentibus, capto tempore, quo Walhainii Dominus Arcis præfectus, ad Regem Rom. Bruxellas erat profectus, intromitti cum tribus petit. Negato primùm ingressu, tandem blanditiis impetrat, causam prætendens visendæ arcis. Intromissus Rassingemium reperit in area deambulantem, quem ille confestim secum educens, invito, ac malè multato custode, equos inscendunt, abeuntque Tornacum. Ægerrimè ejus fugam Rex Rom. tulit, haud ignarus, quas esset mox daturus turbas. Etenim statim illi Tornaco Gandavum profecti, quàm tetro carcere sine causa Vilvordiæ Rassingemius fuisset detentus, non sine mendacio referunt. Idem omnes manere, qui arma aliquando contra Rom. Regem ob libertatem sumpsissent: proindè in armis potiùs emoriendum, quàm in carcere, aut manu carnificis. Non

Pax Flandrica rupta.

Rassingemii & Liekerkii de Rege Rom. querela.

servare Rom. Regem, quæ pace Gandensi promiserat. Esse sine Justitia tribunalia, sine disciplina militiam: Solis Germanis ad honores & publica munia aditum patere, solos ditescere: Ruptam pacem, quæ anno 1482. cum Francis erat inita, ut belli obtentâ specie, Belgæ, ac Flandri præsertim, auro emungerentur: Cogendum Rom. Regem rationem reddat de acceptis expensisque tot per annos pecuniis. Quæ aliaque, speciosa magis, quàm vera, pleno ore ebuccinabant; & maximè, quòd iisdem diebus Rom. Regis satellitium, non soluta sibi stipendia querens, agros Brabantiæ & Hannoniæ depopularetur, & alii quoque Germani in agrum Brugensem se effudissent. Hæc igitur Rassingemio, Liekerkio, eorumque auxiliaribus occasionem rumpendæ pacis dedêre. Hinc Likerkius contractis Gandavi, quàm potuit, expeditissimis copiis,
1488. quinto Idus Januarii anno 1488. propè Cortracum considet, ac postero die appetente luce, succedit muro, admotisque scalis in urbem, cum milite, suggreditur, eaque potitus, cives in verba Philippi Archiducis, ac urbis Gandavensium adigit.

Brugensium, ac Flandrorũ in Maximilianum motus.

Advenerat per ea tempora Brugas Rom. Rex, Maximilianus, eâ fine, ut Ordines Belgarum cum Rege Francorum de pace ineundâ, aliaque agerent, quæ ad tranquillitatem communem pertinerent. At Brugenses aliò spectantes, arma capiunt, ac loca urbis defensioni opportuna, occupant. Tendit eòdem Rom. Rex exiguo cum comitatu, causam tumultûs exquirit; at æquum responsum non accipiens, recedit. Postridie Cal. Februarii invalescente seditione, duo & quinquaginta opificum militaria signa proferuntur, subsequente armatâ plebe. Forum, quod majus vocant, extemplò occupant, seque plaustris, ac tormentis bellicis munientes, tabernacula erigunt, ac rebus cæteris relictis clausisq; ædium officinis, nocte diuque forum armati insident, clamitantes se rationes poscere pecuniarum Comitis Flandriæ, quæ essent elapsis jam annis aliquot in commune erogatæ. Et quia seditionum irritamenta in præda sunt, hinc facto agmine in ædes Petri Lanckhalsii, curiæ Regis Rom. Magistri, irrumpunt, quo domi non reperto, eas diripiunt. Jnde ædes Rolandi Fleurii, Flandriæ Quæstoris, Thibaldique Baradotii, Fisci Ducalis Quæstoris, itemque Meningii Consulis Brugensium, quoque expilant. Rex Rom. interim cum Proceribus intra conclave se continebat, summopere intentus, quò ista vergerent. Ejus iussu Beveræ, ac Mingovalii Reguli, armis, ac linguâ prompti ad forum procedunt, blandè, atque amicè Præfectos compellant, rogantque an arma in Regem Rom.

Rom. sumerentur. Negant illi, forum interim non derelicturos nisi traderentur qui res Regis pravè administrârant. Non multò post erumpit celatus sub cineribus ignis, Gandavenses præcipuè flammam ventilabant: ii siquidem Nonis Februarii ad populum Brugensem literas dederant, quibus monebantur, ut Regem Rom. fidâ custodiâ asservarent: iis lectis, vesperi circà horam sextam accersitur in forum. Eæque literæ cum ei essent exhibitæ, petiit Rex, ut suis in ædibus custodiretur. At eo negato, in domo Aromatopolæ ad fori angulum satis angusta inclusus, custoditur: Domui isti nomen erat Cranenburgh. Inter quæ multi è domesticis & comitatu Regis se clanculum ex urbe subducunt. Inde Gandavenses maximis copiis, atque equitum aliquot cohortibus Brugas tendunt. Verum civitas Brugensis multitudinem verita suspectamque habens, ne, ut olim, urbem expilatam sui juris facerent, tantùm triginta equites se admissuram, nuntiari jubet. Quibus acceptis, ac ultrò citròque agitatis, intromissi postremùm ex Gandavensibus nonnulli, qui legatorum quasi vice fungentes, cum Gandavum, quod sibi proposuerant, pertrahere Regem Rom. non possent, id tamen obtinuerunt, ut fenestræ domus Cranebugicæ, quâ tenebatur, firmissimis è ferro clathris cancellisque occluderentur, excubantibus diu noctuque ex singulis opificum contuberniis octo vigilibus, ne quà ulla ei elabendi rima pateret. Lecti exindè, annitentibus iisdem Gandavensibus, novi Magistratus, dictumque obsequii ac fidei sacramentum Duci Philippo, ac Regi Francorum. Rex vero Rom. haud idoneus ad moderationem filii sui, ac obeundo imperio impar est declaratus. Hinc Brugis excedunt legati, qui è variis accesserant provinciis, à Rege Rom. eò, ad pacem cum Francis faciendam, ante hos motus evocati. Quorum præsentiâ liberati Brugenses, instigantibus identidem Gandavensibus, in carcerem rapitur Dudzellius, Villervalli Dominus, unà cum Cancellario Carondeleto, Joanne Lanoio, ac D. Bertini Abbate. Indè Regem Rom. adeunt, affirmantes dictos Nobiles à se custodiæ mandatos, quò faciliùs eo modo pax, nobilitati exosa, iniretur, ac simul punirentur injusti pravique ditionum prædatores atque extortores, unà offerentes Rom. Regi quatuor millia librarum Flandricarum, quibus domestico famulitio satisfaceret, ac totidem millia quæ corporis custodibus persolveret. Verum Rex, actis gratiis, accipere pecuniam recusavit: eodemque statim die irrumpunt in ejus conclave aliquot è fece plebis, capiuntque Martinum Pollainium, Philippum Wettæum, Reine-

Maximilianus Rex Rom. in domo angustâ Brugis custoditus.

Reinerum Mainium, Gaveræ præfectum, aliosque. Apud Regem relictus solùm Sorræ Comes, aliusque è Germaniæ dynastis: sed hi exindè post quatriduum, jussu Regis, se ex urbe proripuerunt, vestibus induti fœmineis. Detrusi mox in carcerem, quicumque tempore Regis Rom. magistratu perfuncti fuerant, additâ ex civibus primoribus trigâ, qui magnos honores gesserant, singulosque certis diebus novus Magistratus examinat: dumque in eo toti sunt, fabri lignarii eos è potestate magistratûs extortos, ad forum pertrahunt. Stabat extructum in medio ferale theatrum undique patens, in hoc equuleus erat locatus, in quem primò omnium conjiciunt Joannem Novium, ac omnibus spectantibus, ejus membra, luxatis ossium juncturis, adeò lacerant, ut humerorum axillæ disrumperentur, scapulæque loco exilirent. Confessum volunt, cum Petro Lanchalsio convenisse, ut miles Rom. Regis, puniendis rebellibus, in urbem introduceretur. Post eum alii, aliique ad quæstionem, accerrimaque tormenta abrepti. Atque indè aliquot elapsis diebus, cum se jam miserorum sanguine, ac cruciatu satiassent, metuere cœperunt, ne aliquâ ratione, aut arte è domo Cranenburgicâ Rex elaberetur. Ei idcircò in ædes Philippi Clivii migrandum nuntiant. Respondet, se Cranenburgicâ non discessurum, nisi vi, ac succollantium humeris deportatus, addens, nec rectè eos facere, quod nullâ personæ suæ reverentiâ habitâ, non aliter secum agerent, quàm si è plebe vel minimus foret. Venisse se, relicto Cæsare patre, paternisque ditionibus, in Belgium, honorificâ legatione ab ipsis invitatum; nuptias cum illustrissima Principe Maria Burgunda, Flandriæ comitissa, contraxisse; suscepisse illustres liberos: agique jam annum duodecimum, quod cum maxima cura, sollicitudine, ac labore Belgis præfuisset, ac eos adversus potentissimum Europæ Regem, Belgarum libertati continentèr insidiantem, armis defendisset. Ubi prima illa in Comites reverentia? ubi cultus in Principem? An vos subditorum indolem ejurastis; an ego amorem in vos & charitatem abieci? quid igitur contraria studia, quid arma infesta? quid in cædes ferrum expeditum? se quidem nunc in eorum constitutum potestate, ex insidiis ac præter expectationem ab ipsis captum, ad quos, ut ad amicos & subditos fideles sine justo præsidio accessisset, ut quæ in rem eorum ac provinciarum essent, tractaret; quem si ut publicam victimam necare vellent, aut Regi Francorum tradere, esse in eorum manu; scirent interim, quodcumque horum facerent, non omnes occubituros secum Austriacos. Proindè quid agerent identidem,

Maximiliani Regis Rom. ad Brugenses oratio.

tidem, ac seriò commonere, ut secum perpenderent. Moverat his verbis, regiâ majestate plenis, ac summâ animi præsentiâ prolatis, universos, qui ad eum deducendum advenerant. At illi nihilominùs forum repetunt. Inter quæ abituri Gandavenses, impetrant à Brugensibus, sub certis conditionibus, captivos aliquot: In his erant Carondeletus Cancellarius, Joannes Lanoius, Abbas Divi Bertini; uterque Pollainius, Mingovallius, Nassavius, Wilervallius, Volquesteinius, Wittæus, Mainæus. Hi plaustris impositi, addito militari præsidio, Gandavum pervehuntur. Quo animo fuerint, facilè conjiciat, qui meminerit Imbercurtium & Hugonetum, recenti adhuc memoriâ Gandavi, indictâ causâ, carnificis gladio subdere cervicem coactos. Paulò post advenit Brugas cinctus præsidio mercenariorum è Franciâ militum Joannes Coppenollius. Is summa cum alacritate populi exceptus, non solùm, quia pacem Anno 1482. cum Francis ictam nuntiaret esse renovatam, sed quod eum infestissimum Rom. Regi esse hostem haud ignorarent. Ea Pax continuò publicata, ac simul declarati hostes quicumque in aliquo Flandriæ loco præsidium nomine Regis Rom. haberet, quem Austriæ tantum Ducem appellabant. Post id, in domum Philippi Clivii, quam anteà ferreis undique cancellis probè communierant, Regi Rom. eundum fuit, vel ingratiis: priusquam tamen domo Cranenburgicâ exiret, hæc ab ipsis tria petiit: primò, ne corpori suo per vim injuria inferretur: deindè, ne se in manus aut potestatem traderent Francorum, vel Gandavensium: Tertiò, ut famulitium domesticum sibi restitueretur. Consentiunt in singula Brugenses. At Clivius, intellectâ tam arctâ Rom. Regis captivitate, colligit extemplò militem: captâque Sluisâ, utrique vrbis arci de rebus necessariis providet, explicans tollensque publicè militare signum Romani Regis. Hinc bellum Brugensibus, ac Gandavensibus indicit. Hulstam eo tempore nomine Rom. Regis tenebat Carolus Savesius, qui cum noctu diuque Gandavenses haberet infestos, ac copias eorum aliquot in pago Henensi universas cæcidisset, petierunt post eam cladem à Brugensibus, ut impetratis à Rege Rom. literis, juberetur ab armis supersedere Savesius. Sed ille, quicquid in illam rem scriberet Maximilianus, haud desiit impetere Gandavenses. Postridie Nonas Martii, iterum in captivos sæviunt Brugani. Jacobo Ghistellio, Dudzellæ Domino, quasi pecuniam publicam in rem suam avertisset, cum aliis novem in foro capita demeti jubent.

Captivi aliquot è Regia familia Gandavum traducti.

Rex Rom. è domo Cranenburgica migrare cogitur.

Clivius Slusam occupat.

Brugenses in captivos sæviunt.

Belgarum Ordines Mechliniam convocati à Philippo Austriaco.

Interea Philippus Austriacus, qui id temporis Mechliniæ agebat,

in eà calamitatum ſerie, Ordinum Belgarum comitia indicit. Qui ubi frequentes adveniſſent, Cancellarius Ducis, Gulielmus Hauterius Belgicè, atque indè Mainerius, Præſes Lutzenburgenſis, linguâ gallicâ verba fecêre. Petiit porrò Dux Philippus, conſilium darent, quo liberari, atque eximi è Brugenſium tyrannide parens poſſet. Promittunt illi prolixiſſimè omnem opem. Ac ſtatim miſſus cum literis Fecialis Gandavum, ac Brugas, qui liberum commeatum poſtularet, offerretque poteſtatem liberè commeandi Mechliniam, ut ibi de pace ageretur. Sub calcem earundem literarum efflictim petebatur, Regem Rom. in libertatem reſtituerent. Ad eas reſponderunt Gandavenſes, venirent Gandavum, ſe ibi de Rege Rom. liberando velle agere. Reponunt Ordinum Delegati: non eſſe Gandavenſium convocare Ordines, eſſe id Belgarum Principis, cujus ipſi eſſent ſubditi. At flocci facientes id Gandenſes, à Rege Rom. literas extorquent, quibus Gandavi ſine cunctatione adeſſe monebantur. Negant tamen Ordines, haud eſſe neceſſarium aſſerentes parere literis, quas in poteſtate alterius conſtitutus vel dictaſſet, vel ſubſcripſiſſet Princeps. Venerunt circa idem tempus Mechliniam Principum Imperii Legati, qui, exhibitis tabulis, quæ mandatis fidem adrogabant, miſſos ſe memorabant, ut cum Duce Philippo, Belgarumque Ordinibus rationem inirent liberandi Rom. Regis. Cupere omninò Germaniæ Principes, opes operamque offerentes, id ut vel mutuâ benevolentiâ fieret. Addebant Francorum Regem, cum Gelriæ Duce Carolo Egmundano, quem captivum tenebat, fœdus pepigiſſe, ac promiſiſſe, ſi comiter & amicè non poſſet, jure armorum in avitas poſſeſſiones Ducatûs Gelriæ, ac Comitatûs Zutphaniæ, quos injuſtè occuparet Auſtriacus, Ducem poſtliminiò reſtituturum: Ordines ſimul commonentes, in Gelriæ finibus præſidia collocarent, & ſi quæ collocata ibi haberent, ea novis ſupplementis firmarent. Scripſiſſe etiam Germaniæ Principes ad Gelriæ Proceres, ut fidem Rom. Regi datam ſartam tectamque ſervarent, niſi armis ad obſequium cogi, præferrent.

Principum Imperii Legati Regem Rom. liberatum volunt.

Intereà non deſinunt ſævire Brugenſes in miniſtros Regis Rom. quorum aliquot rapti ad necem. Et præter cæteros Petrus Lanchalſius Eques, Curiæ Regis Rom. magiſter, qui poſtquam aliquot ſeptimanis in ædibus pilearii delituiſſet, proditus productuſque, ac lentè tortus, in propatulo capite truncatur. Tandem pridiè feſti Paſchatis Brugenſes relicto foro, quod per ſex ſeptimanas armati inſederant, domos ſuas quiſque repetunt. Fuiſſe ſep-

Brugenſes in Regis Rom. domeſticos ſæviunt.

ſeptendecim virorum millia memorant. Haud multò poſt literæ ab Innocentio Octavo ſummo Pontifice, Brugenſibus ſeorſim ſcriptæ, adferuntur, quibus edicebat, ſi Regem Rom. haud dimiſiſſent, eos ſe ſacro fulmine percuſſuros, & à cœtu fidelium amoturos. Eſtque decimo ſexto Maii, quarto ferè à captivitate menſe, Brugâ dimiſſus, quùm anteà ad aram, in foro theatroque eminentem, juramento ſanxiſſet tranſactionem, quâ delicta prætерita condonata ſunt, amneſtiâ Brugenſibus ſupplicibus promiſsâ, & dimiſſi captivi. Vades pactorum dati Hanoviæ, ac Volqueſtenii reguli Germani, unà cum Philippo Clivio Ravenſtenio. Quorum Clivius eâ conditione apud Gandavenſes obſes manſit, ut ſi violari pacem à parte Rom. Regis quoquo modo contingeret, tum ſe juncturum vires animi ac corporis, conſilia omnemque induſtriam cum Flandriæ Ordinibus contra dictæ pacis violatores, juravit.

Maximilianus Rom. Rex dimiſſus, obſides dat.

Libertati reſtitutus, ſuæque jam ſponſis factus Rom. Rex, comperit parentem Cæſarem Fredericum cum quadraginta bellatorum millibus in Belgii oras adveniſſe. Et licet cum apprecaretur Rex, ne adverſus Sacramentum, quo Brugenſibus ſe obſtrinxerat, in Flandros atrociùs quid ſtatueret; ille tamen iracundiæ tenaciſſimus, nuſquam inflecti potuit. Referebat juramento vi expreſſo neminem teneri, & agi modò Imperii negotium. Atque ità, præſidia quæ Rex Rom. intra Hulſtam, Aloſtam cæteramque Flandriam habebat, haudquaquam iis ex oppidis deduci voluit, obtendens Cæſaris eſſe, vetera Imperii jura in Flandriâ vendicare. Indè continuò Cæſareus miles in Brugenſes Gandavenſeſque impreſſionem facit. At hi viciſſim ſe Gallicis fœderibus ſubſidiiſq; arctiùs communiunt: ac inſuper Philippum Clivium ſacramento ſibi adigunt. Quod nec ille invitus accepit, imperare enim apud Gandavenſes malebat, quàm apud Cæſarem imperio ſubeſſe. Ac ſtatim per inſidias arce Sluſanâ potitus, terrâ marique ſe hoſtem Regi Rom profitetur. Et quamvis nihil non ageret Rom. Rex, ut eum in ſuas denuò partes perduceret, perſuadens non pro pace Brugenſi, ſed contra Cæſarem arma cepiſſe, nihilominùs Clivius reponebat, ſibi ſalvâ fide, honore, ac famâ deſerere Flandros non licere; liberatum ſe à Sacramento ei dicto, juſſùmque Gandavenſibus ac Flandris novum eâ conditione dicere, ſi pacis Brugenſis leges Rex violaſſet.

Fredericus Imp. in Belgium venit.

Poſtremò Cæſar, motis è Flandriâ caſtris dimiſſâque majori exercitûs parte, Antverpiam pridie Cal. Auguſti venit, poſtquàm ſextâ jam hebdomade, nullâ re memorabili geſtâ, Gandavenſes,

Cæſar Antverpiam intrat.

ac Brugenses omni cladis genere affecisset; atque ita magnus ille apparatus somnii instar evanuit. Philippum verò Clivium, cùm à bello sibi filioque Rom. Regi inferendo, abducere non posset, publicè Antverpiæ in area D. Michaëlis, Imperatorio indutus paludamento, ac considens solio, Nonis Septembris ut Imperii perduellem, rebellemque clientem, bonis publicatis, proscribit: Ordinesque Belgarum ibidem convocatos, admonet, pacem anno 1432. initam, seriò servent; exhibetque eis codicillos, causas adventûs sui cum exercitu continentes. Miserat quoque paulò ante Rom. Rex ad Ordines, seu status Flandriæ Apologeticum, cui vicissim respondere non desierunt status Flandriæ, ficto authoris nomine, quem Philalethen appellant.

Mittit Rom. Rex Legatos in Hispan. Misit hoc tempore Rom. Rex, Philippum Burgundum, Terveræ, ac Beveræ Dominum, & Joannem Salazarum in Hispaniam, ad Ferdinandum Arragoniæ, ac Elisabetham Castellæ Reges. Legationis tria erant capita: Primum, ut perpetuæ amicitiæ fœdus pangerent; alterum, ut Rom. Regi gnatam Elisabetham uxorem peterent; tertium, ut Joannam filio Philippo desponderent. Primum concessum: Sed Elisabetham Lusitaniæ Regis filio desponsatam renuntiant. Quod ad Joannam attinet, se eâ de re communicaturos, quamprimùm Philippus adolevisset.

Clivius Bruxellâ potitur. Post hæc conniventiâ aliquot civium Bruxellensium Philippus Clivius in urbem admissus est: Quem cùm Cæsar, Ordinesque Belgii frustrà iterum iterumque appellassent, septimo Octobris Diestam Cæsar profectus, inde in Germaniam redit, filio Rom. Regi relinquens Albertum Saxonem, Thuringiæ Lantgravium, Misniæque Marchionem, cum justa peditum equitumque Germanorum manu, virum bellicosum, fortem, ac ob res adversus Turcam & Hungaros egregiè gestas clarissimum. Verùm occupatâ Bruxellâ, efficit Clivius, ut propemodùm pars altera, parsque Leodiensis ditionis à Rege Rom. deficiens, Flandris ipsisque jungerentur.

Cæsar in Germaniam redit, relicto apud filium Alberto Saxone.

1489. Tertio Idus Februarii, anni, qui est insecutus 1489. Belgæ adjuti Germanorum auxiliis, ipsâque civium operâ Fanum Audomari, ejectis Francis, recipiunt. Hoc nuntio accepto, Rom. Rex confestim mittit, qui civibus oppidoque veteres immunitates suo nomine confirmaret, ac remissionem novorum onerum concederet. Saxo exindè, ac Clivius variè pro suis quisque partibus præliati congressique, hinc agris vastatis, inde direptis, aut captis urbibus, magnam Brabantiæ, Flandriæ, Hannoniæque vastitatem ac so-

Fanum D. Audomari Francis eripitur.

ac solitudinem intulêre. Erat hoc tempore Clivius cum valido præsidio Lovanii. Saxo haud procul eâdem urbe castra habebat. Invitantur à viris Nobilibus ad colloquium: prodit uterque multo cinctus comitatu equitumq; cohorte. Persuadere Clivio Saxo nititur, redditis Rom. Regi civitatibus ac munitionibus, paci Brugensi, ut propudiosæ, atque extortæ renunciet, acceptâque gratiâ in veterem dignitatem restituatur. Ille se nihil commisisse affirmabat, ac proindè necesse non esse ab aliquo mortalium gratiam petere. Atque ita re infectâ, Saxo ad castra sua, Clivius Lovanium rediit. Demùm Germaniæ Principes hisce malis allaturi finem, Francofurti nihil non egerunt, ut inter Rom. Regem, ejusque filium Philippum, Austriæ Ducem, ac Carolum octavum Francorum Regem, rebellesque Belgas pax coïret. Ac tandem eam nomine utriusque Regis obtinuêre, conditionibus propemodò ejusmodi:,, Rex Rom. ac Francorum certo mox loco conveniunto. Quod ,, attinet ad controversiam Belgarum contra Romanorum Regem, ,, promittit Francorum Rex ea in re rationem honoris, ac existi-,, mationis Rom. Regis habiturum, quemadmodùm proprii pa-,, tris, cujus filiam matrimonio teneat obstrictam. Nobiles cum ,, Romano Rege Brugis capti, & adhuc Gandavi & in Francia ,, detenti, liberi sine pretio dimittuntor. Gandavenses conditiones ,, pacis Gaveranæ cum Philippo Bono olim initas, quod attinet ,, ad annuam Magistratuum electionem, ac jus, quod extra intra-,, que urbem tùm civibus, tùm Comitis ministris dicent, obser-,, vanto. Rom. Regi pro belli impensis, præscriptis temporibus ,, Flandriæ Ordines semel quingenta viginti quinque millia flore-,, norum persolvunto. Romanorum Rex in gratiam Regis Caroli, ,, Philippum Clivium veniâ donato, eique omnia sua uxorisque ,, bona restituito. Jubebit uterque Rex statim publicari suis in ,, provinciis conditiones pacis anno 1482. initas. Atque continuò promulgata est pax apud Francos, ac Belgas magno omnium gaudio.

Colloquium inter Clivium & Saxonem.

Pax inter Galliæ Regem & Maximilianum.

Hinc Clivius, acceptâ à Saxone fide publicâ, septimo Cal. Septembris cum uxore, præsidioque quingentorum equitum Bruxellâ discedit: quam vicissim à meridie ingressi Albertus Saxo, Chimaius, Engelbertus Nassavius, aliique. Exindè cum honorifico comitatu ad Carolum Francorum Regem missi sunt Abbas Parcensis, Affligemius & Consul Bruxellensis, perficiendæ pacis Francofurtensis, ac Flandricæ causâ: Quibus suo nomine junxêre Flandri Paulum Baemstium, Curiæ Flandricæ præsidem, Philip-

Clivius Bruxella abscedit.

pum Contæjum, Foresti Dominum, Joannem Sauvagium, Flandriæ Consiliarium, cum Abbate D. Bavonis, aliisque. Hi Regem apud Turones assecuti, de pace planè transegêre, lege ac conditionibus, ut sequitur.

Pax inter Maximilianum, ac Flandros. „Maximilianus Romanorum Rex absolutam filii sui Ducis „Philippi tutelam habeto: Ditionesque ejus omnes ipsamque Flan„driam, prout ante hos tumultus ac bella gubernavit, deinceps „gubernato. Quicumque initio belli Gandavi, Brugis, aut Iperis „in Magistratu fuerunt, pullis vestiti, capite pedibusque nudi, ac „in genua provoluti, veniam præteritarum offensarum ab ipso „ejusque filio Philippo petunto; fatentorque, si tale nil factum „esset, se nunquam facturos. Quod ad domum Cranenburgicam, „in quâ Brugis Rom. Rex fuit detentus, quamque hac de causa „dirutam cupit, ac ejus loco sacellum ædificari, ea res, cum sese „Reges invisent, cum cæteris, si qua sint, definitor. Conditioni „Francofurtensi de captivis gratis dimittendis, pareto. His pacis „conditionibus leges Rom. Regi Brugis anno 1488. extortæ, abo„lentor, literæque ab ipso hac de causa datæ restituuntor, ac discer„puntor. Rom. Rex ejusq; filius Philippus has conditiones tabulis „manu propriâ signatis ac sigillis appensis confirmanto, ac confir„mari curanto ab Alberto Saxone, Cliviæ ac Juliæ Ducibus, tum „per eos Belgarum utriusque Ordinis proceres, quos Flandri re„quirent. Utraque pars literas, ut decet, consignatas in manus Fran„corum Regis custodiendas mittito. Actum Montii apud Turones „secundo Cal. Novemb.

Monetariæ rei confusio. Increverat eâdem hâc tempestate, præter alia, quæ secum uberrimè bellum trahit incommoda, etiam ingens circa auream argenteamque monetam excessûs confusioque. Unde edicto inhibuit Rom. Rex, ne quam monetam indigenam ultra pretium, quod erat in programmate præscriptum, vel acciperet quispiam, vel exponeret. Exteræ verò monetæ, cujuscumque etiam Principis (Cæsaris, Septemvirorum, ac Francicâ exceptâ) ad candentem fornacem condemnabantur, utpote quæ nullius in communibus commerciis pretii haberentur.

1491. *Carolus Egmundanus suæ potestati redditus.* Fuerat hactenus in oppido Galliarum Abbevillæ custoditus Carolus Egmundanus, cum anno statim insequenti 1491. operam præcipuè adnavante Meursæ comite, solutâque Lytri parte, factus est suæ spontis, ac potestatis post quinquennalem captivitatem. Deductusque deindè per Lotharingiam &. Eburones, ad suos rediit, relicto apud Gallos obside Vincentii Meursæ comitis filio. Eoque intellecto,

intellecto, literas extemplò Rom. Rex Maximilianus ad Ruremundenses, Venlonenses, cæterasque Gelriæ civitates dat, eas iterum iterumque commonens, ut præstiti Sacramenti memores, in fide persisterent, additis, si aliò se trahi sinerent, minis, diris, atque incommodis, quæ in caput ipsorum atque incolarum confertim essent relapsura. Hinc alii Regi Rom. dediti, alii Caroli Egmundani partes sequebantur.

Maximilianus Gelros ut in fide persistant serio commonet.

Inter hæc Maximiliano Romanorum Regi desponsata est Anna Francisci citerioris Britanniæ reguli filia, conjugiumque per Valsannum Austriacum Maximiliani vicarium celebratum. Quâ de re, Carolus Francorum Rex certior factus, gemino exercitu in Britanniam irrumpit; Albretius Nannetense castrum intercipit, Ducum gazam expilat, urbemque captam Regi tradit. Ad eos pellendos Maximilianus duo peditum millia in subsidium submittit; sed cùm id infirmum esset, Joannes Riensius Marescallus Britanniæ, matrimonium Annæ cum Rege Carolo paciscitur. Verùm cum esset Anna aliena ab Rege, cui vastatam patriam tribuebat, respuebat omninò nuptias. Tandem ejus pertinacia victa est, assensusque nuptiis præbitus. Tum auctoritate Pontificis soluta gemina matrimonia, Maximiliani cum Anna, & Caroli cum Margareta, solo hactenus verbo contracta; novumque Caroli perfectum; constituta dos Britannia certis conditionibus, quibus cavebatur, ne unquam in posterum tam pretiosum segmentum avelleretur à Francia.

1492 Anna Britannica Maximiliano desponsata.

Eadem Carolo 8. Francorum Regi nupta.

Maximilianum gemina pungebat injuria: Sponsa ablata, atque propemodum è thalamo rapta, cum ad eum traduceretur; spreta per contumeliam filia, & servatâ dote, nuptiæ repudiatæ. Igitur vindictâ flagrans, urgente contumeliæ sensu, cum Henrico Septimo Angliæ Rege contrahit fœdus, ut junctis armis Picardiam invadant. Ille valido coäcto exercitu, octavo Idus Septemb. Caletum venit, inde mox movens quadrato agmine, Bononiam statim copiis cingit. Maximilianus interea cum à pecunia, ac milite imparatus esset, occultis consiliis Atrebatum, atque Audomari fanum per insidias occupat. At ea neutiquam Anglum promovebant qui ad Bononiæ muros affixus, Maximiliani exercitum reposcebat; inde molestia, & in fœderatum querelæ. Quibus perspectis, Carolus negotium dedit Philippo Desquerdo, ut pacem conciliaret, impetrato colloquio, eam conficit, duos inter Reges perpetuam.

Maximiliani fœdus cum Anglo.

Atrebatum atque Audomari fanum astu captum.

1493. Pax cum Gallo & cum Maximiliano.

Paulò post inter Rom. Regem, Archiducem Philippum, ac Carolum Francorum Regem decimo Cal. Junii 1493. pax contracta

tracta & icta est Senliaci, his, inter alias, conditionibus: „Rex Carolus Margaretam Austriacam in manus Romanorum Regis, Archiducis Philippi, aut Legatorum eorum tradito. Rex Carolus, „ac Margareta ab omni nuptiarum vinculo liberos se hinc indè „confitentor, pacta conventa, ea de re inita, irrita habento. Regi „Rom. ac Archiduci de iis rebus jure agendi potestas manento, quæ „conditionibus pacis anni 1482. sunt conceptæ, ac hisce conditionibus non determinatæ. Restituet Rex Carolus Sequanos, atque „urbes Artesiæ, quas in potestate habebat. Hesdinum, Betuniam, „& Ariam, cum Philippus Archidux legis beneficio major fieret „&c. Atque eo fœdere stabilita pax certa, & ex æquo restituta „dos Virgini Margaretæ, sicque ea Legatis in manus tradita ad Fanum D. Quintini adducitur, inde Cameracum, ac postero die Valencenas intrat, annos nata tredecim.

Margareta reducitur ex Francia in Belgium.

Frederici III. Imp. obitus.

Eâdem tempestate Imperator Fredericus, cum ex pedis phagedæna incommodiùs valeret, tandem ex melonum intemperantiore usu, prostratis stomachi viribus, atque accedente diarrhœâ, Lincii humanis eripitur, decimo quarto Cal. Septembris 1493. ætatis suæ anno septuagesimo septimo, Imperii vero quinquagesimo tertio.

1494. Maximilianus dictus Imperator.

Maximilianus Frederico patre demortuo, Imperator dictus est. Prima ejus expeditio, sive laurea adversus Turcam fuit, qui intellectâ Cæsaris morte, initio statim anni, qui fuit 1494. irruerat in Croatiam. Sed obviam eunte Maximiliano, ejus adventum haud præstolari ausus, discessit. Indè cum exercitu reversus in Austriam Cæsar, haud multò post Oeniponte in conjugem duxit Blancam Mariam, filiam Galeacii Sfortiæ, Ducis Mediolanensis: sed biennium non supervixit. Inter venandum enim (ut & Maria Burgundica, prior Cæsaris uxor) equo effusa, cum fœtu quem utero gerebat, nullis relictis liberis, periit.

Duxit uxorem Blancam Mariam.

Ejus obitus.

Cum Cæsar jam integro quinquennio, ac mensibus sex Belgio abfuisset, venit cum conjuge sua Blanca Coloniam Agrippinam, atque indè Trajectum ad Mosam digressus, obvium habuit Philippum filium, filiamque Margaretam, cum præcipua Belgarum nobilitate. Ibi postquam ipsi felices nuptias adventumque fuissent gratulati, festi aliquot dies traducti: atque indè continuò Graviam, Gelriæ olim, nunc Brabantiæ oppidum accessit. Hîc salutatum eum venit Carolus Egmundanus, qui Gelriæ Ducem se efferebat, ei adpromisit Cæsar, si solidis documentis ac tabulis demonstrare posset, se legitimum Gelriæ Ducem, se haudquaquam impedimento

Obviam habet liberos.

Accidit ad eum Carolus Egmundanus.

mento

mento fore, quo minùs principatum securè ac placidè possideret. Indè in Imperii Septemviros compromissum factum. Hi cunctis ad examen vocatis, pronuntiârunt, nec esse Carolo, neque ejus progenitoribus fuisse juris quicquam in Gelriæ Ducatum, ac Comitatum Zutphaniæ: desiisse sub annum 1427. veterem Ducum Gelriæ stirpem, ac finiisse in Reinaldo IV. Avum ipsius Arnoldum, patremque Adolphum ab Imperatore haud fuisse in possessionem clientelaris Ducatûs missos: eosque circiter annos quinquaginta contra imperium, armis decertasse, eamque ob causam clientelari jure excidisse. Quâ decretoriâ latâ sententiâ, Gelria omnis, ac Zutphanienses arctiùs inter se fœdus stringunt, de Carolo Principe tuendo, eique suo in Ducatum, ac Comitatum jure conservando. Hinc exortum bellum, protractumque cum maxima, ac multorum hominum strage. *Controversia de Ducatu Gelriæ Septemviris Imperii commissa.*

Quæ dum ibi aguntur, Cæsar cum uxore, ac liberis, Antistite item Moguntino, Frederico Saxoniæ Duce, multaque nobilitate venit Mechliniam, indeque digressùs Antverpiam, totus in eo erat, ut Philippus filius, annum jam ætatis decimum septimum agens, in Ducem Brabantiæ inauguraretur. Hinc Philippus solenniter à Provinciis passim, Gelriâ exceptâ, ac primò quidem à Brabantis Lovanii, præsente patre Imperatore, est inauguratus, inque Ducem susceptus. In cujus verba tanto consensu, ac studio juratum, ut nunquam aliàs majore. Mox in cæteris Provinciis, ac civitatibus quàm magnificentissimè exceptus, suam in fidem atque obsequium universos accepit. Eoque facto, Cæsar, quod ejus quoque præsentiam deposcerent Imperii negotia, reditum in Germaniam ad Comitia, quæ Vormatiæ erant celebranda, instituit. *Cæsar venit in Belgium.* *Philippus Archidux Austriæ, inauguratur.*

Exindè Anno 1495. convocavit Mechliniam Archidux Austriæ Philippus Belgarum Ordines, quò eorum consilio, statum Reipub. Belgicæ, civilibus malis atque intestinis seditionibus valde concussum, in ordinem, qui quàm maximè Principi, ac subditis convenire videretur, redigeret: ac mox Cæsar, Philippum filium ad se in Germaniam venire, jubet. Ibi de nuptiis perillustribus actum: utque ei petita olim Johanna, Ferdinandi Hispaniarum Regis filia desponderetur; & ejusdem vicissim Ferdinandi unico filio Joanni traderetur Margareta, Philippi soror, quam è Gallia à Rege Carolo VIII. remissam patri, superiùs memoravimus. Ac inter cætera, seorsim, seriò identidemque commonuisse perhibetur, ne Gelriæ asserendæ, ac reliquis suis ditionibus annectendæ negotium missum faceret, addito promisso haud defutura Imperii auxilia *1495.* *Philippus convocat Belgarum Ordines.* *Arcessitur à Patre in Germaniam.*

Diploma Philippi de non admittendis beneficiis Ecclesiasticis sine literis Placiti. Eodem hoc tempore, edictum olim à Philippo Bono, consensu summi Pontificis publicatum, renovatur: Ne quis Romæ obtenta majora Sacerdotia, sacramque dignitatem, sine Principis assensu (Placet vocant) possideret: nevè post hàc Clerus & Monastici hæreditarios sibi reditus & latifundia, absque Principis assensu, compararent.

1496. *Ioanna Arragonia Philippo Archiduci nupta.* Duodecimo Cal. Octob. 1496. appulerat in Zelandiam Hispanica classis centum triginta quinque navium, quæ transvexerat Joannam Arragoniam, Ferdinandi & Elisabethæ Hispaniæ Regum filiam, desponsatam Archiduci Philippo. Qui haud diu moratus, confestim Liræ, Brabantiæ oppido, sponsam Antverpiâ venientem, excepit, duxitque in uxorem, jungente eos Henrico Bergio, Antistite Cameracensium. Sic domus Austriaca in Hispaniam inserta. *Galli consilia agunt ut Philippi conjugium impediant.* Plerique Franci instabant, ut id conjugium vetaretur, & vehementissimè omnium Gravilla Admiralius, seu futurorum præsagus, id perurgebat; suamque operam & classem obtulerat ad Joannam, dùm mari Flandriam petit intercipiendam, sed repudiatâ à Rege operâ, quievit quanquam invitus. Nec erat in speciem quod tantopere Francia timeret. Nam Ferdinando ex Isabella natus erat Joannes, qui Margaretam Philippi sororem duxerat, eratque Joanni soror Isabella natu proxima, & Joanna major, quæ Manueli Portugalliæ Regi nupta, jam ab eo masculam prolem susceperat. Unde tot cancellis objectis Philippo, inanis spes & metus de Regno Hispaniæ videbatur. Verùm Deo jam Austriacam familiam promovente ad apicem, Joannes Princeps morbo extinguitur, eumque postmodùm fœtus, quem Margareta ferebat utero, morte consequitur. Isabella soror, nec superstes diu, fato rapitur, & filius Michaël, in spem regnorum natus, paulò post, anno tertio vitam amittit. Ità in Philippum unum Archiducem & Joannam conjugem regni spes incumbit.

1497. *Margareta vehitur cum classe in Hispaniam.* Expositâ Joannâ Arragoniâ, classis Hispanica Margaretam Philippi sororem in Zelandia præstolabatur, ad sponsum Joannem transvehendam. Eadem mense Februario anno 1497. Vlissingæ Margaretam excepit, deducente Philippo, & Middelburgi obhærente, donec ferente vento, è portu solvisset. Posteaquam paulùm provecta classis esset, & jam Angliam in conspectu haberet, *Horrida tempestate agitur mare.* derepente sæva tempestas exoritur, ventique vehementissimus turbo tam atrox, ut momento temporis naves hinc inde in diversa raptarentur. Hic vela à summo ad imum dilacerata; illic rudentes disrupti, alibi mali comminuti, gubernacula avulsa. In

hâc

hâc tetra luctatione, rectores consilii inopes, quò se verterent aut ubi consisterent, penitùs ignorabant. Dùm igitur præter præsentaneum exitium nihil expectatur, fertur generosa Heroïna, insigni virilis constantiæ indicio, hoc sibi, lepidissimo acutissimoque disticho, Epitaphium Gallicè lusisse:

Cy gist Margole, noble Damoiselle,
Deux fois mariée, & morte pucelle.

hoc est:

Margaris hoc tegitur tumulo; qua bis
Nupta quidem, mansit, sed fine labe pudor.

Tandem superatis non unis irati maris difficultatibus, ægrè classis Angliæ portum oppidi Hamptonæ tenuit. Indè Galliciæ portum, qui à D. Andrea nomen habet, invecta est. Hispaniæ Reges accepto de Nurûs adventu nuntio, statim ei obviam properat Castellæ Regii stabuli Comes, ac haud procul urbe Brugensi, Rex Reginaq; Margaretam amico honorificoque amplexu excipiunt. Postero die Joannes Princeps festâ pompâ & celebritate eam in uxorem ducit, ingenti Hispanorum lætitiâ. Sed tam lætos hymenæos, funus longè mœstissimum secutum est, Joanne eodem nuptiarum anno vivis erepto. Neque hîc stetit infortunium: Sed ad hæc Margareta utero gravis, pressâ mœrore, fœtum masculum, immaturo partu enixa, vix obducto priori vulnere, alterum toti Hispaniæ gemitum, ex novo luctu expressit.

Classis appellit ad Hispaniam oras. Nuptiæ Margaretæ cum Ioanne Principe.

Interim Archidux Philippus, Balduinum Lanoium, Molenbasii Dominum cum honorifico comitatu Legatum allegat ad Francorum Regem, ut Ducatum Burgundiæ, ac in Artesia Ariam, Hesdinum, ac Bethuniam, cæterasque urbes, vi pacis Senliacæ repeteret. Legatione in secretiori Concilio auditâ, speciosis verbis Lanoius aliquandiu ducitur, ac postremò; uti se fraudis suspicione liberaret Rex, ancipiti scripto remissus est, ut facilè ostenderet sese Burgundiâ, nisi vi armorum, non discessurum.

Philippus Archidux legat ad Francorum Regem repetitum Ducatum Burgundiæ.

Septimo Idus Apriles Anni 1498. Carolus Octavus Francorum Rex Ambosiæ agebat, & pridie Dominicæ, quam à palmis Ecclesia nuncupat, Annam conjugem manu apprehensam ducit in porticum, undè in subjectam fossam prospectus, in quam lusores pilæ convenerant. Erat porticus olida, in quam plerumque vesicæ onera lixæ deponebant; fores adeò humiles, ut Rex capite in supremam partem impegerit. Leviori tamen vulneris sensu, spectabat ludentes, & cum adstantibus colloquebatur, quando correptus apoplexiâ, supinus corruit. Fit omnium consternatio, advocan-

1498. Obitus Caroli VIII. Francorum Regis.

vocantur Medici, adhibentur remedia, nihilque peragitur, præterquam quod bis, tervè vocem recepit, tandem expirat, vitæ anno vigesimo septimo. Fuit à patris Ludovici XI. indole planè diversus, apertus, ingenuus, ab omni sævitiâ alienus. Indolem ejus ex unico hoc facinore colligere proclive est. Dum Neapoli in Franciam redit, Tuscavello capto & direpto, virgo speciosissima in ejus conclave fugiens, irruit, atque inter brachia excipientis prolabitur. Ille æstu adolescentiæ in libidinem raptus, parabat vim miseræ; cum puella conjectis in appensam tabulam oculis, in quâ depicta erat Virgo Deipara, rogat Regem, ac per castissimam Dei matrem precatur, ut pudori parcat, seque sponso illibatam servet. Rex ad sanctissimam obsecrationem & aspectum tabulæ, æstum inhibens, dimittit Virginem, sponsum inquiri & affines jubet, virginemque quingentis ultrò donatam aureis, sponso restituit.

1499. *Fœdus Cæsaris Maximiliani de invadendâ Gelriâ.* Eodem hoc tempore Cæsar Maximilianus apud Brisgoos Friburgi agebat, ubi de bello Gelris inferendo fœdus percussit cum Guilielmo Iuliaci, & Ioanne Cliviæ Ducibus: ut nimirum Carolum Egmundanum Gelriæ Ducatu, ac Comitatu Zutphaniæ deturbaret, eundemque filio suo Philippo Archiduci subjiceret. Nec Caroli Egmundani partes desideratæ sunt. Is extemplò undecumque copias evocat, ac confluente undique milite, exercitum instruit haud spernendum. Hinc vario Marte bellum aliquandiu gestum, resque spectabat ad luctuosam catastrophen, nisi Ludovicus XII. Francorum Rex intercessisset, remque eò adduxisset, ut annum totum inter Iuliaci Cliviæque, ac Gelriæ Duces induciæ religiosè servarentur. Rex intereà id ageret, ut solida exinde pax, atque firma coïret, eâ lege, ut qui stare eâ renueret, in eum Rex junctis viribus moveret. Hanc pacem memorant inscio & inconsulto Cæsare factam, cùm pactis conventis inter Principes fuisset constitutum, ne quis seorsim & absque singulorum conscientiâ cum hoste pacisceretur.

Maximilianus Burgundiam bello appetit. Post excessum Caroli Francorum Regis, Cæsar Maximilianus justum ex Helvetiis conscripsit exercitum, ut Burgundiæ Ducatum, filii sui Philippi Archiducis maternam hæreditatem, recuperaret. Verùm ii Francico ære corrupti, cæperunt primùm inter commilitones miscere colloquia; sibi factam spem ingentis stipendii, eam propter uxores, rem domesticam agrorumque culturam derelictam. Excepta ista cupidis animis, universum statim exercitum tumultu implent. Cæsar eos lenissimis verbis demulcens, pollicetur stipendium. Illi nihilominùs in incœpto pergunt, stipendia

&

& missionem flagitant. Ista Cæsarem Maximilianum vel nolentem traxerunt, ut per Legatos cum Ludovico XII. Rege Galliarum tum recens Rhemis inuncto, pactionem inierit.

Hoc tempore in Frisia magni exorti sunt tumultus & dissidia populi, quæ quoniam à Joanne Isacio Pontano in sua Historia Gelrica luculentèr & accuratissimè sunt descripta, quemadmodum & Groningensium motus & bella, quæ gesserunt contra Episcopum Ultrajectensem: Ad hæc causæ ob quas Edsardum Embdæ Comitem sibi Principem delegerunt, in Caroli Egmundani clientelam concesserunt, & alia huiusmodi, operæ pretium non censui iis immorari. Si quis studiosè sollicitus est ea legendi, poterit adire memoratum auctorem, qui deditâ operâ hanc telam pertexuit. Sed repetenda nunc domestica, quorum seges non modica.

Postridie Cal. Julii 1499. Archidux Philippus Atrebati de Flandriâ, ac Artesiâ clientelam præstat, Guidoni Rupifortio Cancellario Franciæ, per solemnia eam in rem verba. Is verò Archiduci, nomine Regis, de Bononia, ut beneficiario Domino, Sacramentum dicit: atque mox Archiduci, ex formula pacis Senliacæ Airia, Hesdinum, ac Bethunia restituuntur. Exindè Atrebati septimo Cal. Julii in Artesiæ Comitem, magno omnium Ordinum gaudio, inauguratur. *Archidux Philippus de Flandria ac Artesia clientelam profitetur.* *Satisfacit Rex Galliarum paci Senliacæ.*

Insequente, mox anno 1500. sub diem Februarii 14. Gandavi in lucem editus est Carolus, postmodum Imperator, nominis ejus V. prælucente ejus natali crinito sidere. *1500. Nascitur Gandavi Carolus V. Imp.*

Contracta jam antea erat societas Pontificem inter, Ludovicum Galliarum Regem XII. & Venetos; eâ lege, ut Rex Pontifici præberet copias, ad Flaminiam seu Romandiolam subigendam; quæ cum esset Pontificiæ ditionis, à Dynastis pluseulis tenebatur: Ut Veneti simul cum Rege Longobardos impeterent; ipsorum esset Cremona & regio ad amnem Adduam; cætera pertinerent ad Regem. Franci in Insubres penetrant, ac urbibus transpadanis expugnatis, imminebant Alexandriæ, cui præerat Galeacius Sanseverinus. Hic bombardarum fulmine procul exaudito, ignavo metu perterritus, noctu per murum scalis cannabeis devolutus in fossam, Mediolanum aufugit. Post præfecti fugam, milites similiter dilabuntur, excipiuntque Francos Alexandrini. Jamque Mediolanenses palàm rebellabant, cum Ludovicus Sfortia, consilii inops, statuit in Germaniam fugere, & abductis secum liberis, per Rhætos ad Cæsarem Maximilianum, comite fratre Ascanio Cardinale secessit. Duo fugienti calamitosa obnuntiantur: *Ludovicus Sfortia fugit ad Cæsarem.*

primùm triste de civitate reddita nuntium; nam extemplò Mediolanenses Francos exceperant; Tùm proditio Bernardini Cortii, arcis præfecti, qui à Trivultio auro tentatus, atque expugnatus, eam in hostium potestatem tradidit.

Sfortia interim Maximilianum summis urgebat precibus, ut sibi ad recipiendum Ducatum opitularetur. Verùm cùm ille novo bello contra Hungarorum Regem implicaretur, statuit Sfortia suis auspiciis rem aggredi, lectoque milite ad recipiendam ditionem ducit. Sanè Mediolani expetebatur votis ardentissimis, ob Francorum proterviam, qui procaciùs pudicitiæ virginum matronarumque insidiabantur. Jamque Sfortia Novariam subegerat, cum Ludovicus Trimollius novum in Italiam exercitum inferens, copias ad Novariam ducit. Nec ipse Sfortia detrectat prælium. Verùm cum ad pugnam ventum est, Helvetii discessionem faciunt, armisque abstinent, ac palàm tumultuantes reposcunt stipendia. Princeps calamitosus in tantis angustiis, orat, ut se in locum securum deducant, & quem propugnare aspernantur, saltem non oppugnent. Ij pernegant postulatum; sinere tamen, ut si vellet, immisceret se cohortibus suis, hostique fucum, quem posset, faceret. Ita Sfortia gregarii militis cultum indutus, cum cohortibus urbe egreditur, ac inter Helvetios deprehensus, captivus abducitur Landinum, ubi primùm in caveâ ferreâ inclementiùs habitus, mox liberiore carcere Lochiis custoditus, vitam ærumnosam perduxit in decimum annum.

Sfortia in Franciam captivus abducitur.

1501. Pridie Idus Augusti 1501. Archidux Philippus Lugdunum, ad Regem Galliarum Ludovicum XII. Ægidium Buslidium, archipræsulem Bizantinum, unà cum Chevræ & Verii dynastis, ut filiam natu maximam Claudiam, ex Anna Britannica susceptam, filio suo nâtu maximo Carolo, Duci Lutzenburgensi, eâ lege ac conditione desponderet, ut Claudiæ Sponsæ materna hæreditas, nimirum Britanniæ Ducatus; ac Regi vicissim Ludovico Cæsar, accepto ab eo clientelari sacramento, Mediolani Ducatum cederet. Si verò dictæ nuptiæ Regis culpâ haud complerentur, concessio dicti Ducatûs Mediolani irrita esset, atque ea, quam in eundem Ducatum jure Imperii haberet Cæsar, ad Carolum Austriacum, Lutzenburgi Ducem, nepotem ejus rediret. Suntque hæ nuptiæ Gallo annuente, tùm pactæ, sed irritæ postmodum redditæ,

Margareta Austria Sabandiæ Duci desponsatur.

Exindè Margareta Austriaca, Joannis Hispaniarum Principis vidua, desponsatur Philiberto Sabaudiæ Duci: ac decimo Cal. Novemb.

Novemb. Bruxellâ discedens, indè per Hannoniam, Picardiam, Franciam, ac Burgundiam, tandem in Sabaudiam venit, Duciq; Philiberto matrimonio jungitur, præeunte Moriennæ Antistite.

Necdum se circumegerat annus 1501. cum in Hispaniam iter adornaret Archidux Philippus, unà cum conjuge Johanna Arragonensi. Causa profectionis erat gemina, nempe ut hæc amantissimis parentibus, etsi nondum ætate fessis, tamen jam senectæ limini propinquis, desiderium sui copiâ expleret; ille, ut opulentissimo florentissimoque Hispaniarum Regno, jam fatis sibi destinato, vivo adhuc socero, initiaretur. Eo accepto, Rex Galliarum Ludovicus, per Bellevilæ Dominum instanter rogat urgetque, cum eo, quem vellet, comitatu, stabiliendæ pacis, atque amicitiæ causâ, per Franciam terrestri itinere proficisceretur. Quâ de re diu cum Proceribus, Consiliariis, atque Ordinum Belgii delegatis habitâ deliberatione, diversorumque auditis sententiis, duorum eo tempore clarissimorum virorum orationes recitatæ, diversa suadentium, Egidii Buslidii, Archipræsulis Bizantini, & Caroli Crouiaci, principis Chymaiæ; quorum ille per Franciam eundum suadebat, dissuadebat Chymaius. Sed vicit oratio Archipræsulis, perque Franciam, communi plurium consensu, iter institutum: Et maximè quod terrerent eos maris pericula & tempestates, quæ Margaretam Austriacam, jam ante in Hispaniam navigantem, cum omni propemodùm comitatu fluctibus obruerant. Ad hæc, quod tutum illud præstarent, vel dati obsides, vel quovis pignore certior Ludovici Regis in eos animus, præter cognationis vinculum: Sabaudiam item soror Margareta: Germaniam pater Maximilianus. Discedens Archidux, Belgis præfecit Engelbertum Nassavium, eique à consiliis addidit Joannem Hornanum, præsulem Leodiensem; Cornelium Bergium, Berselii & Chevræ Dominos. Ne tamen totus abiret, reliquit Belgis liberos Eleonoram, Carolum & Elisabetham, quos Mechliniæ educari præcepit, curâ Margaretæ Eboracensis, Caroli Audacis viduæ, Thomæ Plainii, Burgundiæ Cancellarii, ac Domini Ravenstainii.

Archiducis Philippi in Hispaniam profectio.

Per Franciam iter institutum.

Exindè duabus ad profectionen pompis adornatis, in quarum alterâ Archidux splendissimo procerum comitatu stipatus, inter pulchros pulcherrimus, sic procul eminebat, ut inter reliquos siderum ignes, aureus elucet Hesperus. In alterâ rursus generosissima conjux Johanna, festissimo Nympharum agmine cincta, Homericæ illius instar Dianæ, inter decentes omnes, ipsa regiâ specie decentior incedebat. Ubi primum Franciæ Regni,

ni, quasi limen ingressus est, Picardiæ præfectus, vir præter imagines, factis quoque & animo clarissimus, unà cum amplissimo agmine procerum ejus regionis occurrens, regiis verbis salutem & felicem adventum optatissimo hospiti gratulabatur. Tùm utroque ex agmine sese consalutantium lætissimus fremitus, & undequaque aggratulantis populi voces exaudiebantur. Indè inclyta Parisiorum Lutetia, non ut hospitem, verùm haud aliter, atque numen quoddam cælitus dimissum, excepit, adeo ut gens illa nullum unquam suorum Regum regaliùs acceperit, quàm hunc hospitem. Omitto ludorum magnificentiam, quibus ingressuri detinuit oculos. Taceo undas illas hominum, ac ad spectaculum effundentis se multitudinis, quæ sic vias omnes, omnes domos latè compleverat, ut ea vel Xerxis, vix ulli credita turba, minor credi potuerit. Prætereo augustissimum Cleri, ac purpurati Senatûs occursum, hoc tantùm dicam, quò ejus adventum redderet ornatiorem, postero die Serenissimum Principem solemniter in venerandum illum ordinem ascitum, in purpurato Senatu, purpuratus & ipse, quasi Regis vice præsedit, ac in ejus clementiæ symbolum, maleficis impunitas concessà, passim in ejus gratiam aperti carceres, totâ Galliâ sontibus venia donata, ne cui prorsus mortalium liberum non esset, in Philippi adventu gaudere. Lutetiâ digressum, Ludovicus, ejus nominis XII. Christianissimus Galliarum Rex, in regiâ suâ Blesensi ineffabili gaudio, ac summa cum veneratione excepit. Certabat cum marito Galliarum Regina, ne minùs vel comis, vel magnifica videretur in Joannam Principis uxorem. Postquam Rex Principes regali munificentiâ diebus decem Blesis accepisset, illos oppido Turonensi discedentes, ad quingentos ferè passus deduxit, atque inter amplexus prosperum reditum precatus, cum festivitate dimisit, atque sumptus omnes, quos universus ejus comitatus fecerat, in se recepit. Indè peragratâ Galliâ, Fontarabiam apud Cantabros digressi, tandem circa Idus Februarii 1502. Burgos, hinc Valladoletum perveniunt. Pridiè Cal. Maii Toletum contendentes, apud Oleas, vicus est, duobus Toleto milliaribus abjunctus, dies aliquot subsistere coguntur, correpto Archiduce, ad insoliti cœli commutationem, puerili morbo, quùm rubentes erumpentes papulæ, corpus & faciem defœdassent. Quod simul atque Regi Ferdinando renuntiatum est, ipse cum paucis trepidus atque anxius accurrit, generumque officii causâ invisit. Nonis Maii Archiduces Toletum pergunt, dimidioque ab urbe milliari obvium habent Regem Ferdinandum cum sex millibus

Magnis honoribus in Galliâ excipiuntur.

Splendidissima pompa Toleti excipiuntur.

equitum

equitum, ac ornatissimo procerum comitatu. Urbem introeuntes, à Magistratu sub aurea excepti umbella, Rege ad dextram, uxore Joannâ ad sinistram equitante, ad summum deducuntur templum, Deoque actis gratiis, inter confertissimas plaudentium procerum, & aggratulantis vulgi catervas, in Toletanam regiam deducti sunt: ubi integratâ lætitiâ, Elisabetha Hispaniarum Regina, generum optatissimum gnatamque jucundissimam obviis ulnis excepit, ac lachrymis utrimque gaudio manantibus, est exosculata. Mox decimo Cal. Julii, in Toletana æde, virgini matri sacrâ, congregato simul universo flore procerum Hispanorum, assistente omni fastigio ordinis Ecclesiastici, auspice Deo, auctore Rege, præsente Reginâ, circumfusâ ingenti Magistratuum multitudine, Philippus Archidux, regno Castellano solemnibus ceremoniis insitus inauguratusque est, ac miro omnium consensu & studio in ejus verba juratum. Hujus diei velut æmulus fuit, ille ad Sextum Cal. Novembris, cum simili solemnitate in urbe Cæsar augustâ principatum Arragoniæ suscepit. Omnium porrò gaudia cumulata, dum inibi Joanna Archiducissa, munere divino, commodùm ac feliciter enixa, parentibus in gremium mellitissimum nepotulum Ferdinandum imposuit; Archiduci verò jam quartùm patris nomen dedit, patriæ denique charissimum sui pignus reliquit. Nimis longum foret recensere festivissios triumphos, quos Hispaniæ illi exhibuerunt, dum ad singulas regiones, singulas urbes, singulos vicos publica gaudia instaurantur: dum universum illud regnum, quo nullum latiùs patet, quicquid opum, quicquid splendoris, quicquid ingenii obtinet, id omne certatim ad ejus adventum condecorandum deprompsit atque effudit. Etenim cùm Gallia tantum in illum contulisset officii, ut nihil accedere posse videretur, tantum tamen adjecit Hispania, ut contentione parum præstitisse Galliam appareret.

Dicitur eis ut Hispaniæ hæredibus Sacramentum.

Ioanna marem parit.

Sesqui anno & quod excedit in Hispania peracto, decimo quarto Cal. Jan. Princeps Philippus valedictis Regibus, ac uxore tenerrimè complorante, Madrito Saragossam redit, inde Septimâ Jan. anno 1503. venit Laridam, ac per Tectosagorum regionem, agrumque Lugdunensem Allobrogum finibus invectus, Sabaudiæ Princeps, Sororis maritus, fraternâ quâdam charitate obviam properat: Soror piissima in amplexus occurrit. Quantis honoribus fuerit cohonestatus his diebus, quos ibi complusculos est remoratus, quantâ cum festivitate dimissus, suus cuique potest suggerere animus.

1503. Philippus reditum adornat.

Obitis hunc in modum Galliis, peragratis pari cum ſplendore Hiſpaniis, atque Allobrogum finibus, Philippus Archidux, ut quod cognato, quod ſocero, quod ſorori præſtiterat, idem præſtaret & parenti, per Sequanos, & Helvetios Oenipontem apud Tirolenſes ad Maximilianum Cæſarem properat, eumque juxta urbem obvium habuit, ac poſt mutuas ſalutationes, chariſſimoſque amplexus, quibus amantiſſimus pater in filium incubuit, ab Imperatrice, Maria Blanca Sfortia, omnibuſque Principibus, ac Aulicis honorificentiſſimè excipitur; ac ad ſingularum urbium ingreſſum incredibili apparatu inſtaurati triumphi, ad omnes angulos, ad omnia compita parata ſpectaculorum miracula, milleque id genus, quæ illi urbes, officioſâ quâdam ambitione inter ſe concertantes, ſumptibus publicis privatiſque contulerunt: ita ut tota hæc peregrinatio nil aliud fuerit, quàm perpetuus quidam triumphus, iſque lætiſſimus, ac magnificentiſſimus.

Oenipontem ad patrem properat.

Verùm à patre quoque divelli ſuſtinuit, ut patriæ vota expleret: ac poſtremùm pridie Nonas Octobris, obtentâ abeundi poteſtate, tandem pridie Cal. Novemb. ſecundo Rheno Coloniam Agrippinam pervenit. Itum eſt obviam à Patriæ Primoribus. Miſerunt & civitates ſingulæ è civibus ornatiſſimum quemque, qui deſideratiſſimum Principi adventum gratularentur. Hinc Mechliniam Bruxellamque ſub exitum anni 1503. acceſſit. Neminem omninò neque imbecillitas, neque valetudo, neque rei familiaris cura domi potuit alligare, quò minùs oculos tam expectati Principis expleret ſpectaculo. Procurrunt pueri, proſiliunt adoleſcentes, effundunt ſeſe juvenes, promoliuntur ſenes, prodeunt nuptæ innuptæque; pendent alii de pergulis, hærent alii muris, alii ſummis maceriis inſident, nullæ feneſtræ non hominibus differtæ; quacumque ingreditur Princeps, tam denſis promiſcuæ multitudinis undis opplentur viæ, ut vix trames anguſtus tranſeunti relinquatur. Plerique per viarum diverticula ad alia atque alia compita tranſcurrunt, ut ſæpiùs benigniſſimum Principem tueri liceat, nulla ſpectandi ſatietas, nullus fruendi modus. Nullus illuxit Belgio dies, cujus tam effuſa, tamque inſignis gratulatio fuerit, nulli tam læti triumphi, quos annalium vetuſtas conſecratos in literis habeat.

Excipitur Bruxellæ ſummâ omnium lætitiâ.

Eodem hoc anno diem extremum Mechliniæ clauſit Margareta Eboracenſis, Caroli Audacis vidua, Eduardi Quarti Anglorum Regis ſoror, Princeps illuſtriſſima. Sepulturam habuit apud Franciſcanos.

Obitus Principis Margaretæ viduæ.

Oeni-

Oeniponti apud Patrem dum agebat, Archidux Philippus ei promiſſo ſe obſtrinxerat, ut quamprimùm domum rediiſſet, Gelriam vi armatâ ſuis conjungeret principatibus. Hinc, ut promiſſorum fide ſe liberaret, anno, qui eſt proximè inſecutus *milleſimo ſupra quingenteſimum quarto*, adultâ jam æſtate cum ſelectiſſimis copiis Sylvam-Ducis properat. Ubi dum agit, deque invadenda Gelria, cum Ducibus militiæ conſilia communicat, flecti paulatim in autumnum annus cœpit. Eſtque ob id ſtatutum, ut Philippus domi ſubſiſtens, per præfectos ſuos eam expeditionem tentaret. Unde continuò Fecialem ad Carolum Egmundanum miſit, ac denunciato propalam bello, illum abſtinere juſſit Gelriæ, ac Zutphaniæ Principatu. His ita conſtitutis, immittit in Gelriam tria ſelectorum virorum millia, Ducibus Vergio, Burgundo, Cornelio Sevenbergenſi, ac Iſelſteinio. Hi primo impetu expugnatis aliquot arcibus, & in his Hemerdâ, Middelariâ Terſelâque, cùm hyems paulatim ingrueret Moſamdenuò tranſgreſſi, in hyberna ſeceſſerunt.

Fatalem hunc annum habuit excelſiſſima Heroïna, Philippi Auſtriaci ſocrus Iſabella Hiſpaniarum Regina, ſub quintum Calendarum Decembris defuncta. Fœmina nata imperio, præclariſſimis animi dotibus, cui parem vix Hiſpania genuit. Teſtamento Philippum Archiducem & Joannam filiam hæredes ſcripſerat, iiſque deficientibus, nepotem Carolum. Quarè cùm Ferdinando Regi in Arragoniam eſſet migrandum, ac Philippo Archiduci, ejuſque uxori Joannæ relinquenda regnorum Caſtellæ adminiſtratio, hinc exortum inter ipſos diſſidium. Ferdinandus uti regimen Caſtellæ ſibi vindicaret, obtendit Iſabellam teſtamento ſibi Regni procuratioem ad vitam legaſſe. Reponebant Hiſpaniæ Proceres eam id juris non habuiſſe, concitabantque Archiducem Philippum, ut hæreditatem, vel Ferdinandi ingratiis, vel vi armorum adiret. Tandem Fredericus Toletanus Albæ Dux, Franciſcus Puvenefius Archipræſul Toletanus, ac Ioannes Emanuel Ærarii præfectus, diſſentientes in amicitiam revocârunt, his conditionibus: ut Princeps Philippus ſine Soceri Ferdinandi nutu ac voluntate in Hiſpania ageret; Regni Hiſpaniæ titulus ambobus communis eſſet; Regni vectigalia æquâ portione inter utrumque dividerentur, pariter & reditus Inſularum recens in mari Indico repertarum. Alter alteri ſubſidia belli tempore ſubmitteret. Philippus nihilominùs diſtentus bello Gelrico in annum proximum profectionem in Hiſpaniam diſtulit.

Obitus Iſabellæ Hiſpaniarum Reginæ.

Inde poſtridie Idus Januarii anno 1505. juſtis, regali pompâ 1505.

Isabellæ Bruxellæ in æde D. Gudulæ sacrâ, persolutis, Archidux Philippus, ejusque conjux Joanna, solemni ritu Castellæ, Legionis, Granadæ &c. Reges fuêre proclamati, ususque est deinceps Philippus in solemnibus Diplomatibus, hoc titulo: Philippus Dei gratiâ Rex Castellæ, Legionis &c. Princeps Arragoniæ, Siciliæ &c. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ &c. Nec multò post Castellæ Rex in Germaniam ad Cæsarem patrem, qui tum Haganamiæ erat, concessit. Ubi, inter cætera, ei de Gelriæ Ducatu, ac Comitatu Zutphaniæ, ac filii quoque Caroli nomine, de Lutzenburgo clientelare Sacramentum dixit.

Rex Castellæ in Gelros movet.

Adulto jam vere, Castellæ Rex Philippus omnibus beneficiariis sibi clientibus copias aut pecuniam imperat; atque eâ ratione contracto apud Belgas haud contemnendo exercitu, in Gelros ducit, Mosâque transmisso, Gravienses illum urbe admiserunt, aliaque in eo tractu oppida, æmulata Gravienses, se illi permiserunt. Alii aliter referunt primum impetum in Bommelianam incubuisse. Indè

Arnhemum obsessum.

Castellæ Rex toto exercitu Arnhemum obsidio cingit; nec mora, tormentis ingentibus muros diverberat, statimque ad movendum terrorem, quà patebat labes, aggressionem semel iterumque instituit. Obsessi, quamvis eas repulerant, tamen veriti ne ad tertiam quæ parabatur, succumberent, deditionem fecerunt. Ad ea in-

Carolus Egmundanus Principes Germaniæ appellat.

commoda persananda Carolus Egmundanus ad omnes ferè Germaniæ principes literas scripserat, per quas suppetias flagitabat, ac inter cæteros Brunsuicensium præcipuè Ducem appellabat, obsecrabatque, ut se quovis pacto ab imminente ærumnâ liberaret. Verùm iis excusantibus se, legatione irritâ, ad Francorum

Ad Regem Galliæ se vertit.

Regem, velut ad sacram anchoram, confugit, & ab eo impetratis pecuniâ & copiis, æternum cum ipso fœdus firmissimè sanctissimeque (sic enim fœderis verba habent) pro se, posterisque suis, sanxit. Sed cùm subsidia lento procederent vestigio, ipse interim imparatus à milite, ac tam subito inopinatoque oppressus exercitu, manus dare coäctus fuit, estque eò postremùm res deducta, ut ipse

Carolus in castra Philippi venit.

Carolus, acceptâ tesserâ securitatis, Regem in castris, quæ circa Arnhemum & Rosendaliam erant locata, salutatum advenerit. Primo accessu Castellæ Regem quàm blandissimè submisseque compellat, institutâ in hunc ferè sensum oratione: Tuus ego sum, Domine, famulus humillimus, venique hùc declaraturus, deesse vires mihi, quibus resistere tibi queam: proindè positis armis, pacem amicitiamque æquis conditionibus peto. Rex Castellæ ad ejus verba subridens, prehensum manu, ac ductum in arcem

Rosen-

Rosendaliæ, juxta se considere jussit. Hinc in biennium certis legibus pactæ induciæ: ut nimirum Philippus Castellæ Rex, copiis suis è Gelria deductis, in belli sumptum sibi haberet Arnhemum, Tilam, Hattemum, Hardevicum, Elburgum, & Bommeliam: Judices intereà certo numero hinc inde legerentur, qui induciarum tempore de absoluta pace agerent, deque ea intra anni spatium pronuntiarent, partes ultrò citròque duorum mensium spatio tabulas omnes proferrent, quibus tueri jus suum quisque vellet; quod si non facerent, causâ caderent ac condemnarentur. Pars utraque munitiones, quas in potestate haberet, sibi servaret. Omnes Gelriæ Ordines eum Ducem agnoscerent, ac Sacramentum dicerent, quem dicti Judices, latâ sententiâ, Gelriæ Ducem ac Comitem Zutphaniæ pronuntiarent. Carolus Castellæ Regi adversus quoscumque hostes militaret, & ab eo stipendium acciperet. Cæsar his conditionibus subscriberet, Carolus Castellæ Regem in Hispanias proficiscentem honorario Comitatu comitaretur, eamque in rem tria florenorum millia à Rege dono acciperet, &c. Exinde simul ad oppidum Sanctium, ditionis Cliviæ, proficiscuntur, invisuri Cæsarem, qui eò non ita dudum cum exiguis copiis advenerat. Ubi dum agit, deque Hispania regnisque Castiliæ herciscundis inter se consultant, nuntium Philippus accipit natam sibi Bruxellæ quinto Calendarum Octobris filiam, cui nomen est inditum Maria. Iisque acceptis rectà Brabantiam petiit: & cum eo, præter alios, Carolus Egmundanus. Ac mox compositis domi publicis privatisque rebus, ad iter Hispanicum cuncta instrui jussit, statutumque navigare mare. Interea Carolus, mentito habitu, Antverpiâ, ubi valetudinis causâ nonnihil substiterat, elapsus, citato cursu se in Gelriam ad suos recepit, postea quam promissa trium aureorum millia præsente pecuniâ erant persoluta.

Induciæ inter Regem Castellæ & Gelrum.

Postquàm Franci regno Neapolitano erant exacti, Rex Ludovicus XII. quarto Idus Octobris anno 1505. cum Ferdinando Arragoniæ Rege affinitatem contrahit; datque in uxorem Germanam Fuxiensem ex sorore neptem, ex Joanne Fuxiensi Vice-comite Narbonensi natam. Sic enitebatur Arragoniam à Castella sejungere, non modò in præsentia, sed in futurum tempus, si fortè liberi ex novis nuptiis nascerentur. Concessum in Germanæ dotem jus, quod Regi in Neapolitanum regnum competebat, quod Franco restitueretur, si Ferdinandus ante uxorem decederet. Hâc de causâ Rex se facilem præbuit Proceribus Regni flagitantibus, ut sponsalia Claudiæ filiæ cum Carolo Castellæ Regis filio

ſolverentur; ex iis magnam exorituram belli ſegetem, perveniente ad Hiſpaniæ Regem Britanniâ, & futurâ pro regno controverſiâ, quæ olim fuiſſet cum Anglis Regibus. Multò conducibilius fore, ſi Claudia nuberet Franciſco Inculiſmenſi, proximo Regis affini, atque ſucceſſori, Regno cum Britannia in eandem ſtirpem coälituro. Sicque cum Franciſco nuptiæ pactæ, dictuſque eſt Dux Valeſius, unde in ſtirpem Valeſiorum nomen propagatum. Miſitque extemplò Galliæ Rex Ludovicus, Legatos ſuos Comitem Niverſiæ, ac Præſulem Pariſienſem, ad Regem Philippum, qui connubium inter Carolum ejus filium & Claudiam irritum pronunciârunt.

1506. Stabat jam in Zelandia claſſis Hiſpanica, à Ferdinando Aragoniæ Rege miſſa, cui additæ quinquaginta Belgicæ naves. Tum Rex Caſtellæ demandatâ Guilielmo Crojo, Dynaſtæ Ceveræ & Arſchoti, ſupremâ ditionum ſuarum procuratione, filium Carolum ejuſque Sorores, amitæ ipſorum Margaretæ commiſit. Ac mox Middelburgum in Zelandiam profectus, cum Joanna Regina, omniqueComitatu, regiam navem Arnemudæ ingreſſus, ſub quartum Idus Ianuarii anno 1506. vela facit. Cumque jam in conſpectu Angliam haberent, navis regia fortuito correpta eſt incendio, inde pavor & conſternatio. Verùm igne majore operâ ſociorum navalium reſtincto, aliud accedit malum; etenim haud multò poſt tempeſtas excepit, tam atrox & fœda, ut claſſem disjectam in varias oras effuderit; tres unà cum hominibus ac bonis, quæ deportabant mari hauſtæ; aliæ impactæ in ſcopulos; Prætoria, quæ Regem vehebat, vi procellæ in Angliam acta, atque in Hamptoniæ, ſive, ut aliis placet, in Pleimudæ oſtium pulſa. Hæc cum Anglorum Regi eſſent renuntiata, hoſpites Reges ſummâ humanitate ac benignitate deductos in arcem Windeſorenſem, haud procul Lundino ſitam, cum pompa excepit. Et aliquot ibi diebus hilarè ſplendidèque tranſactis, inſtauratum fœdus, plures ante annos inter Hiſpaniæ Angliæque Reges deſignatum. In id quoque Henricus Rex vehementer incubuit, ut Regni æmulum, Suffolciæ Ducem, quem bello Gelrico Hattemi captum, Philippus Caſtiliæ Rex, in arce Namurcenſi, ſub honeſtâ cuſtodiâ aſſervabat, ſibi in poteſtatem traderet. Et quamvis ægrè in Regis Henrici poſtulatum concederet, eâ tamen conditione permiſit, ne ei unquam vitam adimeret. Quod ille, dum viveret ſanctè ſervavit; filius tamen ejus Henricus VIII. Princeps ſævus & ſanguinarius, patris fidem nauci habens, eo fato rapto, infe-

Rex Caſtiliæ in Hiſpaniam navigat.

Vi tempeſtatis in Angliam delatus, ibi ad tempus ſubſiſtit.

infelicem senem carnificis gladio subjecit.

Postquàm trimestre circiter Rex Castellæ, apud Angliæ Regem substitisset, Nono Cal. Maii, conscendit navem, ac obsecundantibus ventis, quinto Cal. Maii Coronnam in Gallicia classe appulit. Receptus est ab Hispaniæ Proceribus usque adeò studiosè, ut Ferdinandum Regem socerum omnes propemodùm destituerent, cui tanquam seni, tenaci & restricto, facilè omnes florentem ætate & splendore vitæ novum Regem anteponebant. Ferdinandus suorum inconstantiam & mobilitatem, perfidię proximam detestatus, Hispaniâ excedens, Neapolim navigavit, ubi permansit, donec defuncto Rege Philippo, rursus ad clavun & gubernaculum Castellæ accerseretur.

Inter hæc, mense Sextili funestum in cœlo sidus effulsit, quod Leonis & Virginis prætentum signis, inter Arctoi plaustri rotas, caudam porrigebat; de quo haud vana est multorum opinio, portendi hominibus mirabiles rerum conversiones, luctuosas Regum mortes, regnorum interitus, publica Mundi fata, aliaque ejusmodi. Quippe Philippus Rex, in proximo Septembri, cum reticulatæ pilæ lusu immodicè se exercuisset, ac sudore madens, frigidam intemperanter hausisset, obortâ ex immodico rigore assiduâ febri septimo Cal. Octobris Burgis apud Hispanos, è viventium numero raptus est, anno ætatis vigesimo octavo; relictâ uxore Joannâ Reginâ gravidâ, quæ ei peperit Leonoram, Carolum, Isabellam, Ferdinandum & Catharinam posthumam. Leonora Emanuëlis Portugalliæ, & Francisci I. Galliæ Regum uxor fuit. Carolus & Ferdinandus Cæsares Augusti, Regesque amplissimi fuerunt. Maria cum Ludovico Hungariæ Bohemiæque Rege nupsit, quo extincto, in Belgicæ procurationem Magaretæ amitæ successit. Isabel'a cum Christierno II. Daniæ, Catharina cum Joanne III. Lusitaniæ Rege, jucundè nuptias contraxerunt. Cor defuncti, ex ejusdem mandato, Brugas Flandrorum deportatum & ibidem matris Mariæ mausolæo illatum: Corpus propè Burgos Hispaniæ, apud Carthusianos montis Amerflori, conditum. O diram fatorum seriem! ô inexorabiles Parcas! Siccine fatalia abrumpi fila debuêre in ipso ætatis flore? Nam si quid in terris ab hâc inevitabili lege solutum esse debuisset; quis quæso, vel naturæ bonis, vel fortunæ ornamentis, vel animi dotibus hanc sibi magis immunitatem poterat polliceri hoc ipso Illustrissimo Principe? quem Hispania, Germania, Gallia, Belgium, ac universus penè Christianus orbis extinctum luxit. Primùm natura

Philippi obitus immaturus.

in ipsum

in ipsum ea bona contulerat, ut formam, speciem, ac corporis staturam heroïcam planè, ac totam ad dignitatem appositam præ se ferret. Erat enim in ipso regia corporis proceritas, apta membrorum composito, singularis formæ tùm dignitas, tùm gratia: cæsaries aureis laminis similis: frons alta spatiique decentis: oculi tanto splendore nitentes, ut, in Solis modum, respicientium intuitus hebetarent: nasus in filum directus, roseas genas æquali mensurâ discriminabat, cæteris membris non sine quadam majestate decoris naturæ correspondentibus: denique quemadmodùm de Achille prædicat Homerus, illum omnium Græcorum fuisse pulcherrimum, atque formosissimum; sic etiam Rege Philippo nemo Principum suâ ætate pulchrior, nemo speciosior habebatur. Quâ quidem formæ præstantiâ & aspectûs suavitate, quod de P. Scipione Africano historici memoriæ prodiderunt, quæcumque vel pace, vel bello moliretur, ceu luminibus quibusdam illustrata, longè conspectiora reddebantur. Fortunæ verò indulgentiâ adeò reliquis antecellebat, ut seu imperii magnitudinem, sive Provinciarum, urbium, ac populorum numerum, quibus ipse imperabat, rerumvè omnium copiam animo conceperimus, vix alterum Regem inveniemus, qui imperandi felicitate cum Philippo possit conferri. Sed quoniam longè majus est, scire uti imperio, quàm imperium nancisci: quod illud virtutis sit, hoc fortunæ; hinc Rex prudentissimus omnia ad virtutem, ad decus, ac gloriam constanti moderatione referebat: ac in primo adolescentiæ gradu talem se populis suis præstitit, tale probitatis specimen dedit, ut omnes omnium Ordinum, atque ætatum innumerabilia haberent quæ probarent, paucaque quæ ejus indulgerent adolescentiæ. Erat enim in Juvene Regio gravis consiliorum maturitas, judiciùm acre, mens atque animus ad omnia summa expeditus. Omnes ejus cogitationes, omnia vota non aliò tendebant, quàm ut populorum suorum tùm commodo, cùm gloriæ studeret, idque tantùm sibi lucro cedere arbitrabatur, quod populis utilitatem decusque afferret. Quare tantus erat omnium consensus in ipso amando, colendo, observando, ut nihil antiquius ducerent, quàm optimi Regis voluntati assentiri, ejusque jussa capessere. Cum verò generosa illa animi vis inflammatumque studium ad res fortiter & præclarè agendas, adolescentem Regem, gloriæ appetentem, dies noctesque stimularet, ipse patris, ac proavorum trophæis excitatus, posthabitis omnibus ignobilis ac desidis otii deliciis, ad ea, quæ sempiternâ memoriâ digna, mentem animumque convertit.

Ejus virtutes & laudes.

Quare

Quare cùm totam Gelriæ ditionem ad Brabantiæ Duces jure spectare arbitraretur, eamque vi à Carolo Egmundano invasam, sibi bello & armis vindicare decrevit. Sed magna parantem, pulchra molientem, obitus Isabellæ, Hispaniarum Reginæ, interpellavit. At à bellorum tumltu & à tubarum clangore ad ea, quæ sine cæde & sanguine in pace gessit, me convertam. Enituerunt in hoc Principe virtutes omnes regiæ: Justitia, munificentia, animi magnitudo, clementia, pietas, religio, cæteræque regio fastigio dignæ. Nam cùm omnes homines ad Justitiam natos esse sciret, tùm maximè sibi in animum induxerat, rerum Dominos decere, virtutem illam omnium reginam, Reipublicæque basim ac fundamentum integerrimè colere, ac observare. Cùm autem ipse nimiâ rerum mole premeretur, & juri dicundo præesse non posset, eos viros foro, ac judicio præfecit, qui vitæ innocentiâ, morum sanctitate, virtute, ac doctrinâ essent conspicui & spectabiles. Ejus verò munificentia tam singularis fuit & eximia, ut nulla ferè sit gens, quæ uberrimos ejus munificentiæ fructus non perceperit, ratus eam solùm pretiosam esse pecuniam, quam largiendo, ac liberalitatis usu ampliùs non possideret. At animi magnitudo, tùm in rebus prosperis, cùm adversis eluxit, his non deterrebatur, illis non efferebatur; sed sive prospera flaret fortuna, sive adversa reflaret, eundem illa semper in hoc Principe vultum aspexit. Ad hæc accedebat eximia animi benignitas, nunquam ille aspero verbo, aut immodestiùs emisso excanduit, nunquam iracundiâ exiluit. Probè tenebat eos majori clementiâ inniti decere, quos majora dignitatum culmina altiùs extulerunt, quod natura in brutis animantibus ostendit. Apes iracundissimæ sunt, & graves in morsu aculeos relinquunt: earum tamen Rex caret aculeo. Clementia dos est prima Principum, hanc in hostes quoque exercuit: arbitrabatur enim longè esse magnificentiùs injurias sempiternæ oblivioni tradere, ac odium cum amicitia commutare (quod de uno C. Julio Cæsare literis proditum est) quàm de illis vindictam sumere. Hac de causa Carolum Egmundanum, quocum paulò ante conflixerat, cum ad se fidentiùs accessisset, non perhumanè modò, sed regio etiam apparatu, ac amplissimis accepit muneribus. Quid verò de ejus ergà Deum immortalem cultu, pietate & religione attinet dicere? cujus tam acer vindex, ac propugnator fuit, ut religionem ab omni hæreseos labe, atque impietate in omnibus suis Regnis, ditionibusque incolumen servaverit. Quid illo Principe majus, quid præclarius, quid admirabilibus extitisset, si fata

impia tot excellentes dotes, tot Deorum immortalium egregia dona hominibus non invidissent? Si ad divinum illud ingenium animique magnitudinem multarum quoque rerum experientia, consiliorumque cana maturitas accessisset, haud dubium est, talem tandem se præstaturum fuisse, qualem Imperii magnitudo, & concepta ejus virtutis expectatio pollicebatur. Sed ità ferè in rebus humanis comparatum est, ut nihil sit, in quo minùs nostris votis fortuna, quàm in earum rerum, quæ hominibus optabiles, ac jucundæ sunt, diuturnâ possessione respondeat. Sic Rex Philippus amor & deliciæ populorum suorum, fatali necessitate, medio in cursu abreptus est, maximo suorum luctu & mœrore. Illud tamen ejus desiderium lenivit, quod Carolum filium, postmodum Imperatorem, ejus nominis Quintum, tanquam spirantem imaginem, ac vivum parentis simulacrum reliquit. In hujus enim animo paternæ virtutes adeò altè radices fixerunt, ut longè feliciores, ac uberiores fructus, quàm in ipso parente (licet illi uberrimi fuerint, ac felicissimi) produxerint, non sine certa Deorum immortalium providentia & arcana quadam fatorum dispensatione, ut dehinc dicetur uberiùs.

Philippi Castellæ Regis obitus, immoderato Imperatorem Maximilianum dolore perculit, & meritò. Anglorum etiam Rex Henricus VII. missis continuò ad Arschotanum, eo temporis Belgii regiorumque liberorum gubernatorem, peramicis, atque honorificis literis, se Philippi Regis obitu haud parum affici, testatus est, prolixè ac benignè pollicitus, ejus res ditionesque in omnem casum eventumque sibi curæ esse, ac futuras. Inter hæc Carolus Gelrus in Brabantiam oculum adjecit, auctusque Francico auxilio quadringentorum equitum, ac bis mille peditum, prætore Roberto Marcano, primo impetu Turnhoutium, Brabantiæ municipium occupat, diripit, igneque corrumpit, abductâ immensâ complorantium mulierum turbâ, quæ nec antè dimissa, quàm ingenti pretio redimeretur. Hinc Diestium aggreditur, sed præsidiariorum virtute fortiter repulsus, motis castris Thenas contendit, templisque, ac Monasteriis tristi rapinâ spolitatis, civiumque facultatibus direptis, immensâ gravis prædâ, multisque captivis, ac totâ promemodum Campiniâ, Hasbaniaque vastatis, Ruremundam reversus est; sed hæc potiùs latrocinia dicenda, quàm bellum. At Franci dum per Arduennam silvam iter in Franciam relegunt, ac prope Divi Huberti fanum castra haberent, vinoque & cibis liberaliùs indulgerent, à præsidiariis Namurcensibus incauti op-

Gelrus Brabantiam infestè invadit ferro & igne ubique grassatur, prædâque dives gravis in sua revertitur.

pressi sunt, paucis admodum fugâ dilapsis, revertentibus in Franciam.

Sub initium anni 1505. Belgæ legatos in Austriam ad Cæsarem Maximilianum allegarunt; eum etiam atque etiam appellantes, dignaretur nepoti Caroli Austriaci ditiones regere ac tutari. Erat Legationis Princeps Joannnes Hauthemius, Brabantiæ Cancellarius, vir dicendi peritus, qui postquam aptè ornatèque perorasset: promisit Cæsar, quam primùm ferret occasio, se in Belgium venturum. Interim Cæsar Margaretam filiam, ac Caroli amitam, cum fiduciaria potestate dicit Belgarum gubernatricem; eidemque sunt additi ex Ordinum sententia collegæ, Chevræ dominus, aliique Belgæ. Carolo verò institutorem delegit Adrianum Florentium Ultrajectinum, castitate & integritate morum commendatum, qui postmodum, anno scilicet 1522. ad sacri tiaram Imperii est evectus. *Belgæ mittunt Oratores ad Cæsarem, ut regimen Belgii, atque tutelam suscipiat.*

Sub finem anni 1509. Cæsar Maximilianus; ac Ferdinandus Rex Hispaniarum ob Regimen inter se diffidebant. Etenim Joanna Regina, cujus erat administratio, ob Philippi conjugis insperatum obitum, perpetuo mœrore pressa, ac in amentiam acta, regendi impotens erat. Hâc tandem lege contentionis funis succisus est: „Rex Ferdinandus Castellam regeret, donec Carolus Princeps „annum ætatis vigesimum quintum attigisset; abstineretque Carolus regio in Hispania titulo, quàm diu mater ejus Joanna superstes „esset. Rex Ferdinandus Cæsari quinquaginta Ducatorum millia „numeraret, eumque Hispanicis copiis juvaret, donec sua à Venetis recuperasset. Principi Carolo annis singulis ducenta Ducatorum millia penderet. *Contentio inter Cæsarem & Ferdinandum Hispan. Regem, ob regimen regni. leges concordiæ.*

Dum Cæsar in Italia belli mole distinetur, Gelrus ruptâ pace, Brabantiæ fines infestus incursat ac depopulatur. Nec mora, Margareta Austriaca, quæ nomine nepotis sui Caroli, Belgium procurabat, validum conscribit exercitum, cui, duo circiter millia peditum, ab Angliæ Rege subsidio missa, se adjunxêre. Primus Impetus factus in munitissimam arcem Gribbefurstum, quam vi expugnant. Unâ serie Burloa capta, Arsena & Strala. Mox Venlonium obsidione cingunt, assiduisque machinarum displosionibus muri parte dirutâ, aggressionem instituunt: sed latâ fossâ ponè murum ductâ, ac tertium frustrà impressione tentatâ ab obsessis repulsi sunt. Quare cedendum fortunæ arbitrati, in castra se recipiunt. *Gelrus Brabantiam infestis armis incursat. Margareta ne Gelri incursus retundat, exercitum conscribit.*

Intereà, cùm obsessi pulveris igniarii ac globorum penuriâ premerentur; Carolus Gelrus selectam peditûm manum, pulverem

 & glo-

& globos, nocte concubiâ, deportare jubet, iisque urbe exceptis; Brabanti, ingruente jam hyeme, solutis castris copias reducunt: & hos secuti mox Angli sub ipsas Cal. Decembris 1511. idem fecêre. Inde Gelrus metu solutus, Hardenicum, Bommeliam, Tiletum aliaque nonnulla superioribus annis sibi erepta, facilè recuperavit

1513. *Maximilianus cum Henrico Angliæ Rege fœdus contrahit.* Post Cæsar Maximilianus à Gallo avulsus, cum Henrico VIII. Angliæ Rege fœdus contrahit. Et Henricus quidem cum numeroso exercitu, quem conflabant quadraginta peditum, & octo equitum millia, mense Julio 1513. in Franciam penetrat: eique dum Maximilianus copias suas adjungeret, Teruanam urbem obvallat. *Teruana obsessa.* Eam propugnabant Franciscus Tilnius & Antonius Crequius cum duobus germanorum millibus, cataphractis ducentis & quinquaginta. Post tentatam oppugnationem & perspectas defensorum vires; statuunt Maximilianus Cæsar & Henricus Rex lento obsidio urbem premere. Tilinius tandem, quinqnagesimo ab obsidione die, postquàm tùm alimentorum, tùm pulveris patiebatur inopiam, Teruanam tradidit. *Teruanâ captâ ortum est dissidium inter Maximilianum & Henricum, utrius foret.* Cùmque postmodùm Imperator & Henricus disceptarent, utrius ipsorum Civitas foret: placuit neutrius fore, ideoque eversa est & solo æquata.

Captâ Teruanâ, exercitum ad Tornacum admovent, eamque urbem uno victoriæ cursu, ad deditionem adigunt. Mox Cæsar, conscriptis viginti quinque millibus Helvetiornm, ac duobus Germanorum equitum millibus, Duce Ulrico Principe Wittenbergio, *Ducit Max. in Burgundiam.* in Ducatum Burgundiæ irrumpit. Trimollius qui regebat Ducatum, haud ignarus à quo hoste lacesseretur, se Divione primariâ urbe receperat, agris direptioni permissis, Helvetii extemplò urbem circumcingunt, atque ad expugnandam summopere enituntur. Trimollius ad ultima actus, cùm adverteret urbis perniciem toti Franciæ exitialem fore, artem in subsidium vocat, & cum *Insignis perfidia Helvetiorum.* Helvetiis, inscio Wittenbergio, paciscitur, atque in suam fidem recipit, datis sex obsidibus, Regem Francorum ipsis quadraginta aureorum millia persoluturum. Sic Helvetii ære francico corrupti, exercitum reduxerunt, perfidique, Maximiliano fucum, ut dicitur, fecerunt.

1514. *Pax inter Ludovicum XII. Regem Franciæ & Henricum VIII. Regem Angliæ.* Mense Augusto 1514. pax inter Franciæ ac Angliæ Reges sancitur, adjuncto ad eam firmandam affinitatis vinculo: duxitque Rex Ludovicus post obitum Annæ Britannicæ, Mariam, Henrici Angliæ Regis sororem, Carolo Archiduci antea desponsam. Cumque intemperantiùs novæ nuptæ amplexibus indulsisset, quærendis liberis, febri corripitur, & accedente diarrhœâ, Calendis

lendis Januarii 1515. è vivis raptus est. Estque in locum ejus, surrogatus gener ac consanguineus ipsius Franciscus Valesius, ejus nominis primus, annos circiter viginti natus. Mox Carolus Archidux, Belgii Princeps, mittit Henricum Comitem Nassavium ac Michaëlem Croviacum, qui suo nomine Francisco imperium congratulentur. Ij humanissimè excepti, fœdus instaurant, ac pro Artesia, Flandria & Carolesio Regi clientelam profitentur; promissis Principi Carolo Renatæ, Regis Ludovici defuncti filiæ, nondum septennis, nuptiis, posteà tamen Ferrariensi Principi nuptui datæ. Ut verò Carolus Princeps has nuptias ipse suo assensu firmaret, cum Nassavio in Belgium missi Dux Vendomæ, Stephanus Poncætus Antistes Parisiensis, cum Antistite Jenlii, qui Carolum Hagæ Comitis coram salutavêre, cum eo, ut in dictas nuptias consentiret, egêre. Idque fœdus summoperè ambiebat Carolus, ne ubi mors avi Ferdinandi contingeret, Franci perturbarent adeuntem possessionem Regnorum Hispaniæ. Eodem tempore Nassavius Claudiam Challonicam, Joannis Challonii Aurantii Principis filiam in uxorem duxit; unde in posteros Orangiæ Principatus.

1515

Mors Ludovici Regis cui succedit Franciscus I.

Carolus Archidux Francisco imperium congratulatur.

Comes Nassavius ducit in uxorem Claudiam Challonicam.

Anno 1516. Ferdinandus Arragoniæ, Castellæ, ac Neapolis Rex, multis militiæ laboribus confectus, undecimo Cal. Febr. Madriti animam egit: ac supremis tabulis Principem Carolum, è filia Joanna nepotem natu maximum, hæredem ex asse scripsit. Fuit Ferdinandus Majestatis Hispanicæ auctor & conditor; vir singulari prudentiâ, ac fœderum concinnator egregius. Judæos Hispaniâ expulit; Regnum Granatense, Mauris aperto Marte profligatis, recuperavit. Regnum Neapolitanum ac Navarræ, Hispaniæ asseruit: ejusque ductu ac felicibus auspiciis novus ad Occidentem orbis retectus est.

Obitus Ferdinandi Castellæ Regis, ejusque laudes.

Ferdinandi obitu, Carolus Archidux in amplissimum Hispaniæ regnum vocatus est. Verùm antequàm in Hispaniam transmitteret, nihil antiquius illi visum, quàm omnium vicinorum Principum amicitiam conciliare. Quapropter fœdus cum Francisco Galliarum Rege junxit. Mox cum Carolo Gelro inducias pepigit. Deindè cum Henrico VIII. Angliæ Rege pacem constituit. Prætereà Proceres Mercanos, apud Eburones, beneficiis sibi devinxit, ne veterum controversiarum memores, res novas molirentur. Paulò post ictum quoque fœdus inter Carolum Principem, Erardum Marcanum, Leodiensium Antistitem & Joannem Cliviæ ac Juliæ Ducem. Postremò per Delegatos cum Gelro

Carolus navigaturus in Hispaniam vicinorum Principum amicitiam ambit.

 transfigit

transfigit in has leges: „ ut Gelrus Carolo Principi ejusque hæredi„bus Frisiam cederet, omnemque exercitum totâ regione educe„ret. Carolus vicissim Gelro centum coronatorum millia persol„veret; videlicet illicò viginti quinque millia, reliqua quinquennio „proximo æquis pensionibus. De civitate Groningana judicaret
1517. „Rex Galliæ, intraque semestre de ea pronuntiaret.

Cæsar Maximilianus venit in Belgium. His peractis, Cæsar Maximilianus anno Christi 1517. postremùm Belgas visurus, in Brabantiam venit, ac nepotem arctè complexus, omnibusque benè precatus, in Germaniam reversus est, Belgis cum veris lachrymis, ac Cæsare dignis muneribus prosequentibus. *Carolus Princeps navigat in Hispaniam.* Princeps verò Carolus, mense Julio in Hispaniam navigaturus, Middelburgum proficiscitur, idoneam tempestatem opperiens, quæ eum secundis flatibus transveheret. Et verò sub Idus Sextiles, qui fuit duodecimus Augusti, prosperum nactus ventum, navim cum suis conscendit, adeoque felici est usus navigatione, ut octo dierum spatio è Zelandia Villaviciosam apud Astures pervenerit, unico è tota classe desiderato navigio, quod igne fortuito correptum, Oceano in medio conflagravit. Mox in Hispaniam interiorem profectus, ineundis regnis rebusque constituendis se dedit.

Hæresis Lutheriana. Haud multò post exarsit in Germania, auctore Martino Luthero, dira hæresis, quæ nedum Germaniam totam turbis agitavit, sed omnem Europam pervagata, infinita excitavit malorum incendia, Hic enim cunctas ferè hæreticorum blasphemias, jam diu ab Ecclesia proscriptas congerens, novam in Saxonia hæresim condidit. Ejus insaniam ad meliorem mentem revocare Leo Pontifex frustrà conatus, hominem accersiri causamque dicere jubet. Verùm Saxoniæ Ducis ope, atque literis illo ereptus periculo fuit, & Gaëtano Cardinali in Germania commoranti, causa excutienda commissa. Tandem in impiæ sententiæ tenacem hominem, Leo Pontifex anathematis fulmen contorsit.

1518. *Inauguratio Caroli Principis in Regem Hispaniarum.* Septimo Idus Feb. 1518. Princeps Carolus Valledoleti in templo Divi Pauli, magna cum pompa in Regem Hispaniarum inauguratur, ac cum matre Joanna coronâ regiâ redimitur, deducente eum fratre Ferdinando, sorore Eleonorâ, ac omnium ferè Principum Christianorum Legatis. Perstrepebat gaudio tota civitas, triduoque hastiludia indicta, in quibus Rex Carolus magna cum laude cum Zanzellæ Domino concurrit.

Cæsar in comitiis commendat Electoribus Carolum nepotem suum. Cæsar intereà de Imperii successore sollicitus, Augustæ Vindelicorum comitia habebat; atque Carolum nepotem suum Sep-

temviris

temviris enixè commendavit, sciens Franciscum Francorum Regem omnem lapidem moturum, ut ad sacrum hoc fastigium promoveretur. Solutis comitiis, iter in Austriam adornans, mense Junio 1518. lentâ febri corripitur, Welsamque delatus, febrem venatione discutere conabatur. Dùmque quodam die à venatione domum reversus, importunam sitim esu melopeponum pellere studet, sumptoque insuper dubiæ virtutis pharmaco, febris, quæ erat dialiptica, fit continua: & accedente mox alvi profluvio, cum sustinere tot adversa senile corpusculum haud posset, totus in divina incubuit, ac victimâ pastus Sacro-Sanctâ, animam emisit pridie Idus Ianuarii anno à nato Christo 1519. vitæ anno sexagesimo. Triennio ante obitum, urnam fatalem sibi construi jussit, cum funebri supellectile, quem apparatum, apud se clanculum habuit ubicumque locorum esset. Ac morti jam vicinus, testamento cavit, ut exanimum corpus, rudi linteo involutum sarcophago imponeretur, naribus, ore, auribusque vivâ calce oppletis, ut corpus putredini natum, eâ exedente materie, citiùs absumeretur. Hoc balsamo corpus condiri voluit.

1519. Ejus morbus & obitus.

Nemo porrò est qui nesciat ab serenissimis Austriæ Ducibus Divum Maximilianum esse progenitum: quæ præcelsa domus per plurimas ætatum successiones, integerrimos, justissimos optimosque omninò Principes produxit; penes quos Imperium Rom. ab anno 1273. huc usque felicissimè stetit & floruit. Ab iis Principibus Maximilianus genus paternum duxit, nimirum à Frederico III. Imperatore. Matrem habuit Eleonoram Augustam, Eduardi Lusitaniæ Regis filiam. Specie fuit augustissimâ & dignâ imperio formâ, decorâ cæsarie, ore probo, atque totius corporis venustissimo habitu. Pubertatis annos egressus, tantum de se adultæ virtutis specimen præbuit, ut Carolus, Dux Burgundionum & Belgarum Princeps, dictus Audax, nihil prius habuerit, quam ut unicam sibi filiam & hæredem Mariam illi conjugem desponderet: eam post patris Caroli obitum Gandavi in uxorem duxit mense Julio 1477.; dotaleque regnum, quod aliis ultrò dotis nomine cedere solet, ei ferro & armis petendum fuit, & pro genialibus gaudiis cruenta Martis prælia conserenda; ut classica ejus hymenæum canerent, & loco nuptialis pompæ, fulgentes ære acies, Ordinesque militares ducerentur; nec priùs sponsum, quàm victorem inclytum ageret, fusis in Morinis, ac victis ingentibus Francorum copiis. Nato illi filio Philippo anno 1478. continuò civiles ortæ seditiones sunt, Flandris auctoribus, quorum operâ factum est, ut

Summarium rerum gestarum per Cæsarem Maximilianum ejusque laudes.

charissi-

charissimum illi pignus, nescio quo obtentu, custodiendum & asservandum, eriperetur. Fuit hoc fati vis, ut per intestina quoque bella clarior & celebrior fieret. Exinde tristior illum casus afflixit, Mariâ conjuge inter venandum ex equo lapsâ, & paulò post fato functâ, cùm paulò ante Franciscus, atque Georgius filii diem suum obiissent, & Margareta filia Carolo VIII. Ludovici Regis Franciæ filio desponsata, in Galliam jam abducta esset. Sed ne omnium bellorum seriem retexere videar, rivulos tantummodò aliquos ab ipso fonte ducere, mihi in animo est. Menapios, populos bellicosissimos, atque Gallorum Regum fœdere & auxilio innixos, sæpiùs in Brabantiæ, Hollandiæque fines irrumpentes, repressit, ac tandem imperio parere assuefecit. Frisios, gentem ferocissimam, quæ olim toties Romanorum arma fatigavit, post longa tandem bella; non solùm fregit & profligavit; sed ita confecit, ut imperio ejus subiici, beatissimam se existimaverit. A morte Matthiæ Corvini, Hungarorum Regis, qui magnam Austriæ partem, ejusque metropolim Viennam occupaverat, non solùm avitum Principatum recuperavit, sed & Albam regalem, aliasque in Pannonia urbes expugnavit. Turcarum tyrannum, innumerabilibus copiis Carniolam, Corhinthiam, Stiriam ferro, atque igne vastantem, incredibili virtute fudit, fugavitque.

Philippum Principem Palatinum Rheni, Septemvirum, qui ingentium præmiorum profusione finitimas gentes undique exciverat, atque florentissimum Bohemorum exercitum conflaverat, commisso acerrimo prælio, ipse ductando exercitu, instruendo acies, ac pro primis signis pugnando, profligavit, & ad pœnitentiam compulit. Venetos, qui se Dominos terrâ, marique jactabant contudit, & in notos Adriæ sinus cohibuit. Helvetios bello aggressus, eò, unde toties Romanæ aquilæ, quondam rerum Dominæ, repressæ, fugatæque fuerant, victrices Imperii aquilas intulit, eisque pacis & perpetui fœderis leges dixit. Mediolanum Gallis ereptum, Sfortiæ Duci restituit. Ludovicum Francorum Regem, Henrico Anglorum Regi, illius regno & populis excidium intentanti, conciliavit. Primus Germaniæ veterem rei militaris disciplinam restituit, omnesque boni & perfecti Imperatoris numeros absolvit. Viros eruditos, & ipse eruditissimus, intimè coluit. Legatis ab ultimis Britannis, è Pannoniis, & penitissima Schythia missis, sivè latinè, sivè gallicè, hispanicè, vel italicè agerent, sine interprete respondebat. In historiarum monumentis nihil inerat, veluti gentium commotiones, oppidorum obsessiones

obſeſſiones, bella, nullum denique illuſtrius facinus, quod non in numerato haberet. Ne multa, ab ipſis penè cunabulis arma tractavit, bella geſſit, incertos pugnarum caſus, obſidionum ærumnas, ſudorem, pulveremque caſtrorum ingenti animo, incredibili labore, mirâ conſtantiâ toleravit. Virilem ætatem illuſtribus factis adornavit. Senium optimis munivit conſiliis. Cæterum adverſa complura paſſus eſt; fortunam utramque expertus, utramque tamen pari animi magnitudine ſub jugum miſit: nam nec periculis ullis ſuccubuit, nec ullâ felicitate intumuit. Hoc felici curſu Divus Maximilianus Auguſtus ad conſtitutam omnibus metam decurrit.

Habuit autem uxores tres. Primùm Mariam, Caroli bellicoſiſſimi Burgundionum Ducis filiam, corporis formâ elegantiſſimam, cujus in omni vita nunquam ſine ſuſpirio & lachrymis meminit. Ex hac genuit Philippum Primogenitum, Caſtellæ, Legionis & Granatæ Regem. Qui ubi adolevit, uxorem duxit Joannam Aragonum Regis filiam, ex eaque Carolum V. Imperatorem Rom. & Ferdinandum Auſtriæ Archiducem, cum quatuor filiabus progenuit, Leonora, Iſabella, Maria & Catharina, Regibus Luſitaniæ, Daciæ, Hungariæ, ac Saxonum Duci deſponſatis. Genuit & Maximilianus ex hac Maria filiam Margaretam, eleganti formâ fœminam, primùm Regi Franciæ Carolo, tum Aragonum Joanni, dehinc Philiberto Sabaudiæ Duci deſponſatam. Genuit quoque Franciſcum & Georgium filios, qui in pueritia mortui ſunt. Alteram uxorem accepit Annam, Franciſci Ducis Britanniæ filiam, quam Carolus VIII. Galliæ Rex ſurripuit, remiſsâ ejus filiâ Margaretâ, quam priùs ſponſam aliquot annis in Francia habuerat. Tertiam duxit uxorem Mariam Blancam, Galeacii Ducis Mediolanenſis filiam, cum qua annis ſedecim tranquilliſſimè vixit; ſed ſine ſobole.



CAROLUS IMPERATOR,

Ejus nominis V. dictus Maximus.



FErunt Bonnasum in virtutibus Constantini prædicandis, cùm sensisset & orationis suæ flumen, virtutum objecta multitudine, intercisum hærere; & mentis aciem, splendore undique incurrente, perstrictam hebescere: ejus provectam & maturam ætatem, tamquam scopulum, declinasse, & in infantiæ colligendis pannis cunisque explicandis prudenter constitisse. Si panni & cunæ Constantini poterant Oratoris longè disertissimi exhaurire flumen: nullius certè copia tam larga, tam felix est, quæ, cùm virtutes Caroli Cæsaris sacratissimi attrectaverit, non aut circumventa numero, desperato exitu, stupeat, aut opprimatur magnitudine. Si quis igitur à me exspectet, ut res à Divo Carolo gestas recenseam & minutè colligam, fateri non erubesco rem esse negotii spississimi nec virium mearum. Quamobrem pauca de plurimis in conspectû dabo.

Cometes cælo fulgere visus ante natalem Caroli V. diem.

Hujus Herois splendorem & futuram amplitudinem, priusquàm hanc vitæ lucem aspiceret, cœleste ostentum prænunciavit. Similiter, antequàm nasceretur Alexander is, quem totus non capiebat orbis, Cometes Macedonum regno præfulsit, Regisque magni natalibus gratulatus est. Talis fuit Cometa, qui amico Romanis sidere affulsit, postquàm Julius Cæsar conjuratorum manu in Senatu confossus est; quem cùm primò intuitus esset Augustus, sibi fortunatissimum, fautoremque dignitatis suæ salutavit. Denique anno ducentesimo trigesimo octavo supra millesimum portentosæ magnitudinis Cometes, inusitatæ faustitatis indicium fuit: nam eo anno, sideris planè coævus, vitam auspicatus est Eduardus primus Anglorum Rex, idemque sibi fortunatus & regnis. Quem sanè Cometem, inquit Polidorus Virgilius, publicis acclamationibus salutavit, creditumque vulgò præsagio commonstrari futuram Principis, atque Imperii felicitatem. Hæc adducere placuit, ut cognoscat vulgus, non omnia nova sidera quæ in æetherea cœli regione generantur, funesta esse & portendere tristes rerum eventus, regnorum interitus, Regum Principumque mortes & publica mundi fata. Contrà, peritorum Astrologiæ constans est opinio: si Cometa in medio cœli convexo, aut Solis aut Martis radiis irrigetur, non clades mortesque Principum virorum, sed Regnorum incrementa portendere.

In lucem editus Gandavi.

Primam hujus lucis usuram Carolus Gandavi aspexit anno seculari quingentesimo supra millesimum, die vigesimâ quartâ Februarii,

rii, qui Divo Matthiæ sacer erat. Superbiat Arpinum oppidum, quod Urbi Romanæ summum Imperatorem Marium dederit: plus est, Gandavum Carolum Orbi toti dedisse Imperatorem, cui temporum consensus, summum rei militaris Principatum, invidiâ ipsâ conquiescente, detulit.

Genus duxit à patre Philippo, invictissimi Cæsaris Maximilani filio, Hispaniarum Rege potentissimo, ipse quoque Rex: ab avo & atavis Cæsaribus, Cæsar: ex matre Joanna Regina, ac ipsis quoque parentibus & atavis usque maternis Regibus atque Reginis, & Rex & Princeps prodiit in hanc lucem potentissimus. Filium ipse reliquit Regem, filiam Reginam, ac Generum quoque Regem: Fratrem Imperatorem, atque Sorores omnes vidit Reginas. Ab avo paterno Romanum Imperium; ab avia Maria illustrissimum Burgundiæ Ducatum, acquisivit: à patre Regnum Hispaniarum, à matre Arragoniæ, Siciliæ, & tandem Neapolitanum adeptus est. Et quod vix ulli divinitùs contigisse credo, hic Rex unus, mox viginti octo Regnorum amplissimorum felicissimus fit moderator atque Dominus Potentissimus. Quæ certè omnia, non maximam tantùm ostendunt Imperatoris hujus augustissimi potentiam, sed summam etiam Majestatem, atque divinam planè tot Regum, tot Imperatorum, tot Regnorum, tot atque tantarum virium conjunctionem abundè declarant. *Ejus Parentes.*

Dies, quo lustralibus undis tinctus est, Martio insequente, exquisitissimâ pompâ, muneribusque puero oblatis, celebratus à septem susceptoribus. Donorum primum pater Philippus obtulit, Ducatum scilicet Lutzenburgensem: alterum Carolus Croviacus, Chimaiæ Princeps, argenteam galeam aureo phœnice insignitam, atque affabrè elaboratam: tertium Bergensis Dynasta, aureum ensem: quartum Margareta, Caroli pugnacis, Burgundiæ Ducis vidua, poculum aureum gemmis, ingentis pretii, oppletum: quintum Margareta Maximiliani Imperatoris filia, Philippi Hispaniarum Regis Soror, infantis amita, pateram auream margaritis & unionibus refertam: sextum Gandaviensium Civitas, navim argenteam, cum omni instrumento & apparatu, qui ad rem nauticam requiritur: septimum Antistites vetus & novum testamentum inauratum, cum hac epigraphe: *Scrutamini Scripturas*. In his explanandis, non pauci commentationibus sese acerrimè exercuerunt, varièque interpretati sunt. Ad primum munus quod attinet, non aberrârunt, qui id explicârunt de dignitate Cæsarea, quæ postmodùm illi obtigit; nimirùm, quòd ex domo Lutzenburgica pro- *Dona die lustrico oblata.*

git; Vascones perdomuit; Pannoniam vastavit; multa in Hispania bella confecit. *Carolus* dictus *Calvus*, postquàm in Imperatorem inauguratus fuit, cum Normannis & Saxonibus variè conflixit, summâ sæpiùs infimâve, vix unquam fortunâ mediâ usus. *Carolus* cognomento *Crassus*, è Caroli Magni progenie, universam Germaniæ, Galliæ & Italiæ monarchiam obtinuit, Turcam Italiâ exegit; Normannos in Gallia sæpiùs afflixit & profligavit. *Carolus Quartus* præter bellicam gloriam, quam plurimis victoriis est consecutus, Sacrum Rom. Imperium pulcherrimis constitutionibus, quas auream vocant Bullam, corroboravit. *Carolus Dux Burgundiæ* potentissimus, tantùm bellicâ virtute excelluit, ut indè vulgò cognomen Audacis, sive ut aliis placet, Bellatoris invenerit. Si igitur nomen ipsum, ominis vim quandam obtinet, quid non exspectandum à virtute Caroli Principis, animique sublimitate, cùm decessorum suorum indolem ad naturæ speciem repræsentet, omninò augurari fas est, habiturum eumRempub. Christianam non solùm Ducem egregiè strenuum, verùm etiam felicem.

Quum autem fundamentum ominis reliquæ vitæ cùm privatæ, tùm publicæ, sit institutio & educatio puerilis. Hinc enim petuntur rudimenta illa ad laudem & gloriam disposita, nempe quid honestum, quid turpe, quid justum, quid injustum, quid expetendum, quid fugiendum sit, quid Deo, quid civibus, quid legibus, quid ipsi denique Reipub. debeas. Hinc Maximilianus Rom. Imperator, Principis Caroli avus, nihil priùs habebat, quàm ut primam sui nepotis ætatem certis legibus pudoris, verecundiæ, modestiæ, atque ipsius religionis astringeret, certò sibi persuadens, talem nepotem suum in regnando futurum, qualis ejus educatio & institutio præcederet. Quare summâ ope requisivit, cuinam eum instituendum traderet. Erat illis temporibus vir doctus & probus Adrianus Florentius, gente Ultrajectinus, postmodùm summus Pontifex, cujus vita probata, ac inculpati mores cùm illius commendarent doctrinam, facilè Maximiliano fuit persuasum, qui hunc nepoti suo, puero septenni, doctorem accersiérit: ut ex ejus viri præceptis, atque institutis, veluti ex fonte quodam, flueret illa regia disciplina, quæ mentem, linguam ac rationem futuri Regis, ad Reipub. gubernationem cum summa laude dirigeret. Sic Maximilianus non aliquem externum, aut alienigenam, aut ignotæ virtutis hominem, nepoti suo præceptorem delegerat, sed Belgam, eundemque spectatæ doctrinæ, ac integerrimæ vitæ virum. Ita catus & prudens Imperator, non in externa

Ejus educatio & institutio.

& peregrina institutione adolescere mentem nepotis sui voluit, sed in Belgica, atque domestica. Nec injuriâ: Ut enim semina, si in peregrinum mandentur solum, vim nativam amittunt, sæpeque in diversum genus abeunt; sic puerorum ingenia, institutione degenerant à patria virtute, ut ex Belga fiat Francus, ex Germano Hispanus, ex Polono Italus. Hoc ergò munere Florentius non minùs difficili, quàm operoso suscepto; duos in scopos institutionis capita direxit. Alter erat Pietatis: ut nimirùm prima Principis cogitatio circa Deum, ac divina laboraret: cùm principium Sapientiæ sit timor Domini, unde prompta sapienter regnandi facultas promanat. Hoc salutare de Religione præceptum, illustrissimus Princeps in tenellum pectus tam altè demisit, ut toto vitæ curriculo nunquam evelli potuerit, testis mihi locuples est Guilielmus Zenoccarus, qui lib. 5. de vita Caroli, hæc scripto consignavit, quæ ego totidem verbis admetior: Quotidie tres horæ quadrantes, genu flexo, orabat, ac tùm nemini in cubiculum patebat ingressus: post patebat iis, quibus jus ingrediendi erat: ac tùm horarias Ecclesiasticorum preces apud se legebat; post ad Reipub. negotia se componebat. Non enim suis viribus fidebat, sed totus à Dei Opt. Max. gratiâ & auxilio pendebat, quem sibi precibus tam assiduis & prolixis quotidie conciliare studebat. In singulas bellorum expeditiones, novas sibi preces componebat, & suâ manu conscribebat, quæ prolixitate ferè æquarent septem psalmos Davidicos, easque prius examinandas dabat suis Confessariis, & ab iis approbatas, quotidie, etiam in acie, recitabat: Undè multi dicere Solebant: Carolum sæpiùs cum Deo, quàm cum hominibus loqui. O admirabilem Pietatis præstantiam! O ter & ampliùs felicia illa regna, in quibus reges pietate exculti, imperia moderantur.

Alter scopus erat bonarum artium. Verùm cum Imperio destinatus non habeat longa, varios audiendi atque lectitandi auctores, tempora, neque etiam omnes Principi literæ conveniant; ideò Florentius, postquam Princeps lubricum illud ætatis spatium, in literis iis, quibus puerilis ætas imbui ad humanitatem solet, collocasset, tùm egregia historicorum exempla, Ethica & Politica ex Livio, Plutarcho, Cicerone, Seneca, excerpta, tradidit, quibus omnia continebantur, quæ ad rectam regnorum administrationem desiderantur, cùm pacis, tùm belli temporibus. Sed Principi horum obrepsit fastidium, certè præproperè, & cujus illum posteà non semel pœnituit, longè nobilius ducens

inter

inter lituos & classica, inter tubas & tympana; inter faces & globos, Mavortiosque strepitus ætatem traducere, hancque illi mentem injecisse ferunt Chevriæ Dominum, adolescentiæ ejus moderatorem. Ergò primùm cum Alexandro equos conscendere & domare; Cyro venari, feras cubilibus excutere, ludicris hastis decertare, rudibus digladiari, ad palum stipitemvè equestri decursione certare, aliavè istiusmodi exercere, studia Principis fuêre. *Exercitia ejus in adolescentia.*

Dumque modo tali primis adolesceret annis, & ad pubertatem jam pervenisset, Cæsar Maximilianus ejus avus manu illum misit; & exinde anno quinto & decimo supra millesimum quingentesimum, Principatui Belgico est initiatus, tantâ omnium Ordinum gratulatione, ut sese non caperet intra præcordiorum sinus exundantis lætitiæ magnitudo. *1515 Principatui Belgico initiatur.*

Cùm anno Salutis 1518. pax inter Principes Christianos coiisset; Selimus Turcorum Sultanus, everso Mamalucorum Imperio & omni Syriâ, atque Ægypto subactis, arma in Europam versurus videbatur: itaque actum de conscribendo communi Principum Christianorum consensu contra Turcos exercitu. Convenerat uti Maximilianus Imperator conflatis copiis ex Polonis Hungarisque equitibus, & Germanico peditatu, per Bulgaros in Thraciam penetraret: Rex Christianissimus Francos, Venetos, Helvetios duceret Brundusium, atque indè in Albaniam solveret, invasurus Græciam: Reges Hispaniæ, Angliæ & Portugalliæ suas classes Chartagine novâ conjungerent, ac ducentis navibus Constantinopolim versus navigantes, Hellespontum aggrederentur: postremò Pontifex centum triremibus Anconâ solveret, seque classi ad Hellespontum adjungeret. Verùm ingentem illam molem, diversis surrecturam machinis, illicò disturbat Maximiliani obitus, qui habitis Augustæ comitiis, cum in Austriam rediret, in itinere apud Welsam, Norici agri oppidum, pridie Idus Ianuarii, anno supra sesqui millesimum decimo nono vivere desiit. Ejus obitus continuò ingentes procellas in Europa concivit: siquidem primò belli Turcici consilia difflantur; tùm Luthero disseminandæ, atque stabiliendæ hæreseos opportunitas datur; postremò Carolo Hispaniæ, atque Francisco Galliæ Regibus dissentiendi fomes obiicitur. Hic fomes Imperium, follis ambitio. Mortuo igitur Maximiliano, orta est contentio inter Carolum Regem Catholicum & Franciscum Regem Franciæ, candidatos Imperii. Intereà venerant Moguntiam Legati Caroli: Matthæus Episcopus Gur *1518 Apparatus belli in Turcam.* *1519. Obitus Maximiliani Cæsaris.* *Carolus & Franciscus I. Competitores Imperii.* *Legati Caroli ad Electores Imperii.*

censis

censis Cardinalis; Fredericus Comes Palatinus, Dux Bavariæ, Casimirus Marchio Brandeburgensis, Henricus Comes Nassavius.

Rationes & argumenta quibus eum commendabant.

Hi nomine Regis Caroli, his rationibus spem conceptam Imperii alebant: eum indole egregiâ esse, & religionem, ac justitiam summo studio colere, naturâ verò à crudelitate & ab obscœnis libidinibus abhorrere: Et jam specimen dedisse industriæ, fortitudinis & fœlicitatis suæ in occupandis Hispaniæ regnis. Ad hæc pollicebantur potentiam, quâ cæteris Principibus antecelleret, eamque futuram esse præsidio Germaniæ, & universo nomini Christiano. Admonebant insuper S. I. Electores, à Maximiliano Imperatore, nepotem ipsis commendatum esse, cujus memoria ipsis, propter excellentem ejus virtutem & sapientiam, gratissima esset. Tantam autem in Maximiliano gravitatem fuisse, tantum amorem patriæ, & communis salutis, ut nisi probasset ingenium nepotis, & iudicasset profuturam Orbi terrarum electionem ipsius, non fuerit eum commendaturus Electoribus. Hæc cùm Legati Caroli Regis Septemviris significassent, posteà Moguntiæ eventum electionis exspectabant.

Legati Francisci Regis eorumque rationes quibus nitebantur ut Franciscus Imperator designaretur.

Erant & Confluentiæ Gallici Legati, privatim ingentibus promissis, animos non Electorum tantùm, sed etiam aliorum Principum & Civitatum, conciliare Regi Francisco conabantur: adducebantque, nihil contra leges facturos Electores, Si Francorum Regem designarent Imperatorem, quod Francorum Reges, à Germanica stirpe orti sunt. Addebant, tantam olim fuisse conjunctionem utriusque gentis Gallicæ & Germanicæ, non ut distractæ fuerint in duo regna, sed velut unum regnum sub eodem Rege Francorum, socia arma gesserint: domi verò iisdem legibus, eodem jure gubernatæ sint, eamque conjunctionem primùm gloriosam fuisse Germanico nomini: deinde etiam salutarem universæ Europæ, ac præcipuè Ecclesiæ. Nam Imperii decus initio partum utriusque nationis virtute, posteà Germanos, quasi usucapione retentum, possedisse. Quantum verò profluerit conjunctio Galliæ & Germaniæ initio, indè æstimari posse, quod cùm Italiam alibi Saraceni popularentur, alibi verò longobardi non contenti finibus suis, Romam ipsam, arcem & caput Christiani nominis in Europa, in Barbaricam servitutem redigere conarentur; diu quassatæ Italiæ, Galliæ & Germaniæ conjunctio, optatam pacem attulerit, quæ duravit annos ferè centum, quoad familia Pipini & Caroli Imperium tenuit: Addebant ad hæc Saracenos ex Hispania in Galliam effusos, fuisse repressos, Germaniam liberatam terrore Hannorum. Possidere Regem

Fran-

Franciſcum magnam Italiæ partem, & habere ſtudia reliquorum Italorum ſibi addicta: neque aliam oſtendi poſſe expeditam rationem belli adverſus Turcicam nationem gerendi, quàm ſi communibus opibus Italiæ, Galliæ & Germaniæ res ſuſcipiatur. Præterea, quod claſſem ità inſtructam habeat Gallia, ut ſi Veneta adjuncta fuerit, non dubium ſit, mari toto, quæ velint litora, quas oras, inſulas, portus, tutò petere & oppugnare poſſent. Recordarentur quantas res geſſiſſet, dum recuperaret Inſubriam: quantâ felicitate maximas hoſtium copias profligaſſet; quoties toto triennio dimicaſſet acie. In his rebus conſpici potuerit ejus virtus, magnitudo animi atque conſilii, laborum tolerantia, atque diligentia in rebus omnibus providendis, quæ ad Imperatoris curam pertinent, tanta fuerit, ut peritiſſimorum confeſſione, nemo ei Ducum, anteferendus ſit. At nihil eſſe, quod Germaniæ Principes, accerſito Rege Galliæ metuant veteri ſuæ libertati, cùm & Rex ſuâ voluntate, leges & inſtituta majorum, libenter obſervet: & Electoribus promiſſurus ſit, ut conditiones ferant, quas eum in accipiendo Imperio, ſervare velint. Deindè promittebatur, Regem non collocaturum eſſe Gallica præſidia in Germania, ſed Germanicos exercitus ſuo ſtipendio conducturum eſſe, quibus de Conſilio Principum, Duces Germani, quorum virtus & fides probata eſſet, præficerentur. Demùm ſpondebatur, quod Rex etiam Gallicis ditionibus donaturus eſſet Germaniæ Principes: ſicut olim ſub Carolo Magno, aliqui Principes tenuiſſent amplos Principatus in utroque regno. Hæc ferè ſumma fuit Gallicæ orationis. Recitatis Legatorum literis, breviter reſponderunt Electores, gratam ſibi eſſe benevolentiam Regum ergà nomen Germanicum: ſed de electione ſe Deo adjuvante, optima fide facturos eſſe id, quod poſtularent leges, inſtituta Majorum, & religio jurisjurandi cui obſtricti eſſent. Cum igitur conſtituto die ad deliberandum Electores in Curiam Francofordiæ conveniſſent: Moguntinus orationem habuit in hanc propemodum ſententiam.

Electores reſpondent Regum Oratoribus.

„ Non dubito equidem, Principem orbi terrarum divinitùs dari: „ tamen cùm noſtra ſuffragatio requiratur, primò oro Deum Opt. „ Max. ut mentes noſtras gubernet. Deindè cenſeo nobis quoque „ diligentiam & fidem præſtandam eſſe, ut quantum à nobis pro- „ videri poteſt, maximè idoneum eligamus, qua in re primùm ha- „ benda eſt ratio legum noſtrarum & jurisjurandi. Et quoniam hic „ conventus inſtitutus eſt, non ut ſuffragia feramus, ſed ut liberè „ colloquamur, cùm de univerſa Republica, tùm de electione: di-

Oratio Electoris Moguntini habita in conventu Electorum.

„cam quid mihi maximè videatur è Republica esse; vosque ut idem „faciatis, adhortor. Deindè collatis opinionibus, exclusis privatis „affectibus, ut decet Principes, quorum sapientiæ & virtuti res „omnium maxima concredita est, unam sententiam eligemus, quæ „censebitur utilissima universæ Reipublicæ Christianæ. Existimo „vos omnes de tribus sententiis disputare: An *Rex Galliæ* sit ad „Imperium accersendus; aut *Carolus* Rex Hispaniæ: an verò satius „sit aliquem eligere ex cæteris Germaniæ Principibus, qui virtute „& potentiâ aliis antecellere videatur. De his omnibus exponam „breviter meam opinionem. De Gallo, arbitror nos impediri nostris „legibus & jurejurando. Est enim disertè constitutum, ne extero, „sed Germano Principi Imperium commendemus, ne hoc tantum „decus ad exteras nationes transferatur: & non modò Germania „veniat in servitutem, sed etiam in Italia, aut statu Ecclesiæ mutatio „sequatur. Nec verò dubium est, Regem Galliæ esse peregri-„num Principem, & eò appetere hoc fastigium, ut ad suos trans-„ferat, sicut idem majores ipsius sæpè armis ad se retrahere conati „sunt. Neque sine acerrimis dimicationibus *Carolus Crassus* & „*Othones* possessionem Imperii in Germania retinuerunt. Quod „autem aliqui referant vetustam originem Francorum Regum ad „Germanos, hæc leviora sunt, quàm ut Principes, tantâ sapientiâ „& gravitate præditos, movere debeant. Constitutio deposcit ta-„lem eligi, qui verè sit hæres alicujus ditionis, quæ huic nostro „Imperio paret, alioqui si illæ veteres fabulæ Gallis patrocinantur, „perindè poterunt à Turcis Trojam repetere, atque à nobis Impe-„rium, quia perhibent se ab Hectoris filio ortos. Cùm igitur con-„stet, excludi Gallicum Regem constitutione publicâ, quam ju-„rati in electione sequimur, nihil opus est longiore dissertatione. „Quanquam etiam si Natio nihil impediret, dissuaderem equidem „hanc electionem. Primùm enim in Germaniam adducendus erit „Gallus. Veniet inimicus Carolo, quod ne cui dubium sit, jam „bellum denuntiatum est: antiqua fœdera Burgundionum & Gal-„lorum rescissa: bellum etiam Neapoli inferre decrevit. Itaque „cum detrectabunt imperium Gallorum Austriaci & Belgæ, & „occupabunt alii aliorum Principum studia, videbitis arsuram „civili bello universam Germaniam.

An Gallus sit ad Imperium evehendus?

„Porrò cùm multa nobis prospicienda sunt, tùm hoc in primis, „ne nostra electio civile bellum in Germania accendat. Iam verò „si Gallum eligerimus, oportebit nos suffragia nostra tueri. Ubi si „incidet discordia cum Austriacis, non arma geremus ad oppri-

„mendam

„ mendam domum Austriæ? Nec nos vetus necessitudo, nec sanguinis conjunctio, nec merita & nobilitas domûs Austriacæ; deniquè non *Maximiliani* manes à tanto scelere deterrebunt? Deindè oppressis Austriacis, an putatis libertatem cæteris Principibus in tuto fore? ut Mediolanum non reddet unquam Germanis, ita, ubi poterit Gallorum potentiam augebit. Nihil me magnifica ejus promissa movent, Non pacta, non leges plus valent, quàm iracundia, superbia, ambitio victoris. Scimus Gallum in patria, quam amare debebat, quosdam jam Principatus rapuisse. Est omninò Gallus excelso animo præditus, sed nimis cupidus Monarchiæ. Nos autem nisi Aristocratiam Principum in Germania omni consilio, omnibusque viribus, ac nervis tuebimur, malè consulemus universæ posteritati. Minùs etiam movent me, illa gloriosa promissa de bello Turcis inferendo. Equidem agnosco conjunctionem Germaniæ, Italiæ & Galliæ magnum ac salutare præsidium Europæ esse; Sed Gallus nihil gerere adversus Turcas, aut volet, aut poterit, nisi priùs domitis Austriacis & Belgis, & recuperatâ Neapoli. Has ad res armare Gallum, hoc est, ad crudele bellum in ipso Imperio excitandum, nostra autoritas nequaquam debet. Quare ut finiam hanc disputationem, primùm lege & juramento impediri nos censeo, ne Regem Galliæ *Franciscum* ad Imperii fastigium evehamus: Deindè etiam, si eligere eum liceret, censeo id non esse è Republica, sed futurum exitiale Germaniæ, & fortassis universæ Europæ: idcircò profiteor me suffragio meo nequaquam accersere Gallum ad Imperium. Restāt duæ deliberationis partes, *An Carolus*
„ an *Carolus* sit eligendus, aut alius quispiam Germanicus Princeps. *sit eligendus.*
„ Hæc deliberatio multò mihi difficilior est. Nam de *Carolo*, opinor plerosque vestrum, propter multas graves causas dubitare. Primùm Hispania longè dissita est à Germania, quod ut libertati nostræ tutius videtur; ita si Carolum detinebunt Hispaniæ, interea sine præsidio, & sine custode publicæ tranquillitatis erit Germania: Et vel Turcici belli causa, vel propter domesticos Principum tumultus, necessitas publica flagitat, ut velut in statione adsit Imperator. Quid? si etiam subitò de Imperio, aut de religione exarserit aliqua seditio? equidem perhorresco, cogitans quantum tunc habitura sit periculi hæc natio, absente Imperatore. Fortassis & Hispani difficulter nobis restituent Imperii decus, postquam semel in hanc possessionem venerint, præsertim cùm aditum ad Italiam eis patefaciat. Et cùm suo sanguine recuperabunt Mediolanum, non sine certamine inde nobis cessuri sunt. Videretur

An aliquis è Germania Principibus eligendus.

„ igitur tutius eligere aliquem, prudentiâ, justitiâ, fortitudine & „ fide præstantem virum, ex nostris Principibus, ut sæpè majores „ nostri fecerunt, qui plerumque virtutem in electione magis spe- „ ctasse, quàm potentiam videntur. Agnosco id quidem, sed tunc po- „ puli Germaniæ minùs erant contumaces. Nunc autem quid fieret, „ si electo Imperatore infirmo, nec Belgæ, nec Austriaci parerent? „ Et ut futurum non dubito, si bellum inter duos Reges, Galliæ „ & Hispaniæ, in Belgio, aut Italia orietur: an Imperator, velut „ otiosus spectator, sineret duas exteras nationes diripere bonam „ Imperii partem? Quid? quod ipsi Principes Germaniæ, ut nunc „ sunt mores, spreto Imperatore, alii se cum Austriacis, alii cum „ Gallis conjungent. Minus periculi fuit, cum regnaret *Fredericus* „ Tertius: & tamen dedecori nobis fuit, tunc *Carolum Burgundum* „ circumferre signa per bonam Germaniæ partem: Philippum Ma- „ riam impunè grassari in Italia: Alibi etiam circumsederi Impera- „ torem in ipsa Austria: Postremò ab Hungaris pelli Austriâ & eiici „ ex suis laribus, cùm tamen ea ætate haberet conjunctos Princi- „ pes, avum meum Marchionem Albertum, & Albertum Saxo- „ niæ Ducem, fortes & sapientes viros. Quid nunc fieret, cum „ exteri Reges haberent alii alios Principes stipendiis obnoxios? „ Et quàm multæ causæ incidere possunt, vel Principibus, vel Civi- „ tatibus detrectandæ obedientiæ? Videntur etiam de religione im-

Lutheri impia de rebus fidei dogmata.

„ pendere horribiles motus: sunt enim semina jam sparsa de Indul- „ gentiis, de potestate Pontificia, de auctoritate Ecclesiasticarum „ traditionum: quæ tametsi ad huc sanabilia existimantur, tamē pau- „ lò post, magnam mutationem universæ Ecclesiæ afferent; nullum „ enim doctrinæ genus majore applausu exceptum est, quàm hoc: „ & quotidie nova dogmata invehuntur, irritantur ingenia ferocis- „ simarum gentium in Germania: nec poterit sine Synodo tranquilli- „ tas Ecclesiæ restitui. Quæ autem erit infirmi Imperatoris autori- „ tas, vel in petenda Synodo, vel in defendenda, præsertim si cæteri „ Reges aversabuntur.

„ Nihil jam de bellis Turcicis dicam, etsi nostrum est, non modò „ de defendendis finibus nostris, sed etiam de liberanda Græcia, „ cogitare: quam ad rem opus est multarum nationum copiis & vi- „ ribus, quas contrahere Imperator, si parum habeat autoritatis, „ non poterit. Hæc, atque multa alia animum meum adducunt, „ ut in hac electione potentiæ rationem habendam esse judicem; nisi „ Imperatorem habere velimus, qui titulum & umbram Imperii, „ sine autoritate, sine viribus gerat. Itaque antefero *Carolum Ar-*

„ *chiducem*

„ chiducem *Austriæ* cæteris Germaniæ Principibus, & incommoda, „ quæ de illius electione proferri possunt, leviora judico omnibus, „ quæ alterius cujusquam electionem secutura essent. Primùm origine, lingua & moribus verè est Germanus. Possidet in Germania ditiones plurimas, quæ parent nostro Imperio, & quarum „ aliquæ pepererunt Imperatores. Ergò de origine *Caroli* nulla dis„ putatione opus est. Et si quis scrupulus est, ne transferatur Impe„ rium ad exteros, habemus solennem formulam jurisjurandi, juxtà „ quam fidem dabit Carolus, se non labefacturum, aut mutaturum „ jura electionis nostræ, & Imperii statum. Cùm igitur tempora fla„ gitent potentem Imperatorem: Censeo *Carolum Austriacum* eve„ hẽdum esse ad Imperii fastigium. Quod ipsum tamen non facerem „ nisi indoles ejus nobis nota & probata esset. Omnium maximarum „ virtutum, præsertim in Principe, fons est amor religionis Christia„ næ. Hæc virtus in primis eminet in Carolo. A sævitia eum abhor„ rere naturâ, multis certissimis indiciis comperi. In controversiis „ dijudicandis, in coërcendis improbis, justus est. Ingenii vis, pru„ dentia, ac diligentia, jam conspici potuerunt. In tyrocinio Regni „ Hispanici, magnos motus compescuit, multa graviter & sapienter „ cõstituit. Magna laus in juvene & hæc est, quod pudicitiam amat; „ quod nullis libidinibus obnoxius est. Quare religionis, justitiæ „ & pudicitiæ custodem fore, credibile est. Postremò, si de ingenio „ cõjectura facienda est ex natura majorum (quia quædam similitu„ do propagari solet) meminimus quanta vis animi, prudentia, justi„ tia, fortitudo, continentia in *Maximiliano* fuerit. In patre *Philippo* „ dexteritas, & industria singularis fuit: non dubito autem quin „ majorum naturam *Carolus* referat. Nec ætas est aspernanda, quæ „ jam matura est rebus gerendis: nec enim quærendus est senex „ Imperator, ut cum biduum, aut triduum imperarit, posteà de „ electione novi tumultus oriantur. Accedit & illud, quod *Carolus* „ utetur consiliariis avi, & leget in Senatum Principes Germanicos, „ sine quorum consilio, nihil de maximis rebus decernet. Exposui „ causas, quare *Carolum* eligendum esse statuam: ac meo judicio „ ità multæ gravesque sunt, ut hanc electionem sperem Germaniæ, „ ac toti Europæ salutarem fore. Quod autem initio disputabam, „ quantum foret incommodi, si Imperator perpetuò abesset extra „ Germaniam, moveor equidem hac difficultate: sed de ea re in for„ mula constituendi & regendi Imperii, cum Carolo agendum erit. „ Cumque habeat amplissimos in Germania & in Belgio Principatus, „ tribuet hoc necessitati earum gentium, tribuet patriæ, ut sæpè in

Carolum Archiducem Austriæ præfert cæteris.

„ Germaniam veniat. Non ad otiosa spectacula se accersi intelligit, „ cùm ad Imperium vocatur: res magnæ ei gerendæ erunt. Galli „ depellendi ex Italia: Turcæ arcendi à cervicibus Austriæ: liberandæ & vicinæ regiones, Ecclisia emendanda & constituenda. „ Hanc maximarum rerum curam, ut suscipiat, ipsa eum Heroïca „ natura & virtus exuscitabit. Hæc non sinet eum domi languescere „ otio & voluptate. Et facilis aditus est in Germaniam ex Italia, „ quæ ei multis de causis sæpè adeunda erit: sicut *Carolus Magnus*, „ *Othones*, *Henrici* crebrò in Italiam venerunt: aliàs, ut Ecclesiasticos tumultus sedarent: aliàs, ut depellerent Barbaros: aliàs, ut „ civitatum seditiones opprimerent. An existimatis eum non venturum esse, ut Austriæ, quæ verè ei patria est, opem ferat? cum vel „ in Pannoniis, vel in ipsa Austria Turcicas legiones vagari audiet? „ Ille verò magno animo accurret, ut & patriæ, & toti orbi Christiano, opem ferat. Quare de absentia, cùm cogito quâ mente „ præditus sit, quæ eum pericula exuscitatura sint, etiam minùs sum „ solicitus. Fata etiam his temporibus promittunt Imperatorem, „ qui Majores magnitudine potentiæ superaturus sit. Et addunt alteram laudem, multò gratiorem: futurum, ut bonitate & clementiâ præter cæteros Reges excellat, nec alium nisi Carolum, vaticinor. Quare opto, ut Deus Imperium ipsi committat, eumque „ gubernet, ad salutem orbis terrarum. Dixi, quæ in præsentia de „ electione colligere potui. Sed quia communis est hæc deliberatio „ nostri amplissimi Senatûs, & vos pro vestra Sapientia, plura etiam „ de Republica cogitasse existimo: quæso, ut singuli suas sententias „ exponant, ut deindè eligamus eam, quam omnes collatis opinionibus, maximè è Republica esse censebunt.

Hæc cùm dixisset *Moguntinus*, qui Princeps erat publici conventus, congressi reliqui Electores, ac pauca collocuti, *Trevirum* jubent dicere, quia is in privatis congressibus aliquoties oppugnaverat Caroli electionem. Sic igitur exorsus est.

Oratio Electoris Trevirensis. „ Audivi attentè eloquentissimum Principem Moguntinum, qui „ cum diligentissimè collegerit omnia, quæ nobis in hac deliberatione prospicienda sunt: tamen ad extremum hoc censet, utilissimum esse orbi terrarum, ut peregrinum Imperatorem accersamus. „ Id si fatale est, frustrà repugnamus. Sed illud miror, cur ipse Hispanum anteferat Gallo: Qua in re, primùm mihi deploranda est „ Germaniæ conditio. Nihil nobis externis præsidiis, nihil peregrinis Ducibus opus esset, si majorum suorum virtutum nostræ ætatis Principes imitari vellent. Verùm omitto querelam. Si omninò *Propendet in Gallum.*

„ perc-

„ peregrinus Imperator habendus eſt, cauſæ ſunt plurimæ, quare „ Rex Gallicus anteponendus ſit omnibus. Rex Hiſpanicus longiùs „ à nobis abeſt: & natio ipſa dominationis cupida & bellicoſa, poſteà „ ſibi Imperium extorqueri non ſinet. Et ſi hoc ſatis eſt cauſæ, cur „ Carolum eligimus, quia tenet quaſdam ditiones ad Imperium per- „ tinentes: Valeat idem in Gallo, qui Mediolanum, & regnum „ Arelatenſe, veterem noſtrorum Imperatorum ſedem, in poteſtate „ ſua habet. Denique prorsùs ita ſentio, quod ad electionem attinet, „ non minùs accerſi peregrinum Imperatorem electo Hiſpanico, „ quàm Gallico Rege: etiamſi ſubtili aliquâ interpretatione jam in- „ feritur Hiſpanus Germaniæ. Quærendum igitur eſt, utrum ſit „ utilius. Ego cùm animo revolvo auream illam ætatem noſtri Im- „ perii, cùm eſſent conjunctæ Germania & Gallia: ac reputo quan- „ tum ea conjunctio ad tranquillitatem univerſæ Europæ contulerit: „ mirabiliter afficior, noſque beatos ducerem, ſi eum ſtatū reſtitue- „ re poſſemus: divinitùs autem nunc oblata eſt occaſio ejus rei effici- „ endæ. Quare nihil dubito, vos omni ſtudio adhortari, ut occaſione „ utamini. Idem optare ſcio Romanum Pontificem, Venetos, Italiæ „ Principes, ac civitates omnes. Gallica gens, ut eſt verè cognata „ Germanis, ita opinionibus, ac moribus, liberalitate, clementiâ, „ pietate, literarum culturâ, Germanis ſimillima eſt. Vicinia verò „ quàm eſt opprtuna ad defenſionē utriuſque regionis, ſubitus ſi quis „ tumultus inciderit. Nec ad Italiæ pacem tuendam reperiri utilius „ conſilium poteſt, conjunctione harum duarum gentium, quarum „ utraque exercitus ingentes equitū ac peditum conficere, & Gallia „ ſuppeditare belli nervos, videlicet ingentem vim pecuniæ poteſt. „ Et quia non ſolùm Germaniæ, ſed toti nomini Chriſtiano, in hac „ electione conſulere debemus quærendum eſt præſidium adverſus „ Turcica arma. Cùm enim teneant jam pacatam Aſiam, nihil du- „ bium eſt, rurſus in Europa bellum molituros eſſe. Invadent Pan- „ noniam & Italiam: in tali diſcrimine quid erit optatius, quàm Im- „ peratorem habere inſtructum copiis ac viribus Germaniæ & Gal- „ liæ? At contra, ut de ingeniis, ac natura gentis Hiſpanicæ nihil „ dicam, cogitate, quàm procul diſſita ſit: certè in ſubitis tumul- „ tibus, non poterit nobis, vel Italiæ vel Pannoniæ opitulari. Patria „ eſt Caroli Auſtria, ne hanc quidem Hiſpani tuebuntur, & ut vo- „ lent, non poterunt. Non enim niſi exiguas copias domo mittunt, „ ejuſque rei cauſa eſt, quod navigationibus Hiſpania exhauriatur; „ nec cœli noſtri gravitatem ſatis ferre poſſunt. Eſt et illud commo- „ di, ſi cum Gallis militemus, veſtro ductu omnia gerentur: vos in

„ gloriæ ſocietatem admittent Galli. At ubi cum Hiſpanis militabitis, illi vos tamquam mancipia regent: ipſi laboribus, ac victoriis veſtris fruentur; præripient honores, præerunt Provinciis.
„ Sed gentium collationem omitto, de ipſa electione dicam. Tenet „ hoc tempore Gallus Mediolanum, qui ſi erit Imperator, ne cauſa „ quidem belli in Italia futura eſt. Nam quod Gallus exiſtimatur „ Neapolim petiturus, veſtra eum auctoritas facilè ad alias res utiliores avertet, ſi habebitis obligatum beneficio veſtro. A Belgis „ etiam abſtinebit, ſi quieſcant ipſi, ut facient certè, conterriti Germaniæ conſenſu, præſertim ſi non fuerint irritati. Et quia Inſubriam tenet pacatam & hoc tempore optimè inſtructus eſt omnibus rebus ad bellum neceſſariis: unam hanc laudem, unum hoc „ decus petit, ut à noſtris cervicibus depellat Turcas: ut Selimum „ ingentibus ſucceſſibus ferocientem ac minitantem Italiæ exitium, „ omnibus viribus adoriatur. Quare nihil dubito polliceri, „ electionem Galli allaturam eſſe Germaniæ tranquillitatem, Pannoniæ, atque Italiæ ſalutem. At contra, ſi eligerimus Hiſpanum, „ illud certū eſt, Italiæ horribilem vaſtitatem denuntiari. Futurum „ etiam, ut Turcæ opprimant Pannonias. De ipſorum Regum ingeniis pauca dicam. Etſi enim exiſtimo indolem in *Carolo* ad juſtitiam & bonitatem eſſe dignam iſto genere: & audio modeſtum „ ingenium eſſe, tamen ſi quis exiſtimet in adoleſcente conſpici „ poſſe eas virtutes omnes, quæ in ſummo Principe orbis terrarum, „ ac Duce præſtantiſſimo, requiruntur, errat. Hac in re non indolem „ in *Francisco*, ſed ſpectatam jam induſtriam prædicare poſſumus. „ Nemo enim Regum Francorum aliquot ſæculis, res geſſit majores, & quidem exiguo tempore. Nec defuit ei fortuna. Nemo „ enim profligavit ullâ memoriâ, inde uſque à Julio, majores, aut „ firmiores Helveticorum exercitus. In his negotiis, cùm fortuna „ penè indulgens in eum fuerit, ſperandum eſt, & in poſterum ejus „ conſiliis Deum affuturum in Imperii pace tuenda, & in defenſione „ totius Reipub. Chriſtianæ. Quid igitur anteferemus adoleſcentem, cujus indoles nondum ſatis explorata eſt, huic Regi? cujus „ ſapientia, virtus & felicitas in toga & in armis cognita eſt. Præterea nullis verbis dici poteſt, quantum periculum ſit, Imperatorem abeſſe extra Germaniam, & ita abeſſe, ut non ſtatim cùm „ opus eſt, accurrere poſſit. Quid fiet, ſi vel Turcæ ſubitò irruptionem fecerint in Germaniam, vel ſeditiones aliquæ oriantur „ inter Principes? ut in ſævis tempeſtatibus navis ſine gubernatore, „ tali tempore ſervari non poteſt. Accedit aliud incommodum, non

„ aſpiciet res Germanicas è propinquo, leviùs afficietur noſtris re-
„ bus: nullos habebit ſecum Principes Germaniæ, qui cum eo liberè
„ de Republica loqui poſſint. Sedebit circumfuſus ab Hiſpanis,
„ quorum de multis rebus judicia & voluntates à Germanis diſcre-
„ pant. Mittet edicta in Germaniam, nec cauſis, nec temporibus
„ congruentia, quæ tranquillitatem perturbatura ſunt. Sed de hac
„ re plura dicere, ominis causâ, nolo. Si igitur eſt habenda poten-
„ tiæ ratio in electione, ut ego quoque arbitror: & fatale eſt horum
„ Regum alterum eligi, ego Gallum antefero, & nequaquam cen-
„ ſeo Hiſpanum eligendum eſſe. Et ſi lex impedit, ne Gallus ac-
„ cerſatur, magis etiam impediat, ne Hiſpanus eligatur, cum ejus
„ electio, quantùm proſpici humanitùs poteſt, minimè ſalutaris futu-
„ ra Germaniæ videatur. Cæterùm, non adeò videtur extincta eſſe
„ virtus in familiis veſtris, nemo ut reperiri poſſit, hoc faſtigió dig-
„ nus. Tres ſunt familiæ, Bavarica, Saxonica, & Marchica, quæ
„ quadam mediocritate potentiæ autoritatem in Germania tueri
„ poſſunt: & ſunt in his aliquot Principes, qui ingenio & virtute ſu-
„ ſtinere magnitudinem hujus dignitatis queunt.

„ Ex his ſi quem elegerimus, conſentientibus ſuffragiis, eumque
„ nos defenſuros eſſe oſtendemus, ut æquum eſt, omnes Principes
„ & populi continebuntur in officio. Ut igitur habeat autoritatem,
„ virtute opus eſt: Ut accedant vires, exteris omnibus formidabiles,
„ unâ re opus eſt, videlicet Electorum conſenſu. Omittamus igitur
„ Hiſpanum, & virtute cum cæteris certemus. Non quæramus alios,
„ qui nobis imperent. Nihil enim indignius eſt natis heroïco genere,
„ quàm aliis concedere Imperii gloriam, & ſervitutem accerſere.
„ Quoties in Germania mediocres Principes contraxerunt regios
„ exercitus & res præclaras geſſerunt? fuit recens Dux Saxoniæ Al-
„ bertus, qui ſuis ſumptibus magna ex parte bellum in Belgio geſſit.
„ Quid? ante hunc quantos exercitus ſæpè conflavit Marchio Alber-
„ tus? Quare non dubito, poſſe iniri rationem, electo Germanico
„ Principe, ne ei vires, copiæ, arma deſint ad tuendam autoritatem
„ domi, & apud exteros. Expoſui meæ opinionis cauſas, non ut
„ poſtulat magnitudo negotii, ſed ut in præſentia potui, maxime-
„ que cupio audire, quid judicent cæteri Electores, qui diu Impe-
„ rii conſiliis interfuerunt: Qui Germaniæ ſtatum & vires: qui om-
„ nium Principum ingenia & facultates norunt: denique qui longum
„ in adminiſtratione Imperii uſum habent: quorum cum audiero
„ ſententias, de tota re diligentiùs diſputare potero.

Cùm dicere deſiiſſet Trevir, taciti aliquandiu ſederunt Princi-

 pes,

pes, tanquam defixis animis in cogitatione utriusque orationis. Exaggeratâ enim magnitudine periculorum in utraque parte, quorundam animos nonnihil commoverat Trevir, ut ad illud decurrerent, ut omissis Regibus, quærerent aliquem ex Germanicis Principibus. Sed hunc quærentes, animis magis angebantur. Jubent igitur tandem Fridericum Saxoniæ Ducem, natu maximum, Sententiam suam expromere: Qui pauca præfatus de lege, dixit: „Interpretationem Treviri, subtiliorem esse, quàm quâ uti ipsos „deceat. Additque haud dubitandum esse, quin Lex impediat „*Galli* electionem. Planum & illud esse, *Carolum* verè Germani„cum esse Principem, & in Germania domicilium habere. Et opus „esse his turbulentis temporibus Principe, qui autoritatem virtute „& potentiâ tueri possit. Ideò se non dubitare, quin omnibus ante„ferendus sit *Carolus Archidux Austriæ*: Sed tamen priùs conditio„nes quasdam ei ferendas esse, ut in tuto sit Germaniæ libertas, & „ut pericula, de quibus disputatum est, quantum provideri potest, „caveantur. Eadem sententia dicta est à cæteris Electoribus. Trevir cùm videret omnium animos ad Carolum inclinare, agnoscere se, inquit, Germaniæ fatum, & impendentem Imperii mutationem; tamen affirmat se, publicæ concordiæ causâ, suum suffragium cùm illis conjuncturum esse.

Sententia Friderici Saxoniæ Ducis.

Inclinant omnes Electores in Carolum Austriacum.

Hâc acerrimâ contentione in multam noctem productâ, tandem ità discedunt, ut postridie conveniant de conditionibus deliberaturi, quas *Caroli* Legatis propositturi erant, qui Moguntiæ subsistebant, rei eventum expectantes. Fuit igitur de conditionibus posteà per aliquot dies non minus contentionis: quæ præscriptæ, & Moguntiam ad Legatos missæ, cum essent receptæ, dies dicitur eundi in suffragium solenni more. Itaque Sacro publicè facto, ingressi in Sacrarium interius templi Divi Bartholomæi, suffragia ferunt hoc ordine: Cœtus Electorum reliquus interrogat Moguntinum, quem eligat Regem Romanorum & futurum Imperatorem: Is respondet, se eligere *Carolum Archiducem Austriæ* Deindè & Moguntinus reliquos interrogat. Hoc modo omnium consentientibus suffragiis, *Carolus* electus est Imperator. Deindè suffragia relata sunt in literas & corroborata singulorum sigillis. Posteà accersitâ nobilitate, ac multitudine universâ, publicè facta est renunciatio, omnibus acclamantibus cum plausu, & vota facientibus, ut auspicia essent fausta & fœlicia.

Præscribuntur Carolo conditiones.

Itur in suffragia.

Sic *Carolus* absens, anno ætatis suæ decimo nono, ad summam Romani Imperii Majestatem, constantissimo totius orbis consensu fuit

Carolus renuntiatur Imperator.

fuit evectus eâ pene ætate, qua Alexander Magnus capeſſivit Imperium: in qua vires corporis propemodum maturuerant, & ingenii vigor, induſtria, ſagacitas, & mores ſe proferunt, ut judicari, qualis ſit naturâ, facilè poſſit. Quo nihil Reipublicæ Chriſtianæ auguſtius, neque optabilius contingere poterat, in ea maximè rerum omnium perturbatione, quâ Imperium hoc alii non modò largitionibus variiſque artificiis, ſed etiam propoſitis minis, ac terroribus conſcriptoque exercitu, affectabant: non ut augerent, ſed minuerent vires Germaniæ: non ut Imperii fines proferrent, ſed ſuos alienis viribus firmarent: non ut his præſidiis opem Reipub. adferrent, ſed iis ad impetrandam Imperii ſucceſſionem, contra ipſam Rempublicam abuterentur. *Carolo* itaque ritè electo & renunciato, Electores ſuos Legatos cum literis ad eum mittunt: cujus Legationis princeps erat *Fridericus* Palatinus Rheni. Intereà electionis nuncii magnis itineribus in Hiſpaniam contendunt, è quibus unus eximiâ celeritate cæteros antevertens, nono die, ex eo quo Francofordiâ profectus eſt, Barcinonam pervenit: cumque lætum exoptatumque nuncium illuc attuliſſet, à Rege, quem in cubiculo manè ad huc quieſcentem invenit, magno auri pondere donatus eſt. Nec *Fridericus* Palatinus longam in itinere moram duxit: nam pridie Calend. Decembris 1519. eodem pervenit; Cumque ad urbem Barcinonam accederet, Rex cognito ejus adventu, ad tria fermè milliaria obuiam ei proceſſit. Legatis benignè & comiter exceptis, inque oppidum introductis, literæ Regi ab Electoribus ſcriptæ, traduntur. In his primùm erat commemoratio benevolentiæ Principum ergà *Carolum*. Cùm autem Imperia fato regantur, narrabant divinitus hanc electionem gubernatam eſſe, ut ſuffragiorum concordiam, & univerſæ Germaniæ conſententia vota oſtenderent. Etſi ipſi etiam judicio ſuo de familiâ, deque ipſius virtute, neminem putarint ipſi anteponendum fuiſſe. Huic orationi, graviter ſcriptæ, adjecta erat petitio: ut Imperium ſine recuſatione acciperet, & conſtitutis in Hiſpania rebus, maturet iter in Germaniam. Acceptis & lectis literis, etſi videbat quanta rerum moles ſibi imponebatur: tamen & Deo obtemperandum, & patriam non deſtituendam eſſe, cenſebat. Reſpondit autem Legatis per Mercurinum Gattinarium Valentiæ & Sartiranæ Comitem, omnium Regnorum, ac Dominiorum ſuorum ſupremum Cancellarium, in hunc ferè modum: „Jure lætatur Rex Carolus, „cùm benevolentiâ, tùm verò etiam graviſſimo judicio ſummi Se„natûs Germaniæ Principum, qui tam dubio tempore, Imperii „guberna-

Literæ Electorum ad Carolum.

Reſponſum Caroli.

„gubernationem ipsi uni,tutò commendari censuerunt. Quid enim „aut gratius ei accidere potest? quàm quod ab universa Patria se ve„rè amari intelligit: aut honorificentius? quàm quod Sapientissimi „Principes tantam ipsi virtutem tribuant, & quasi divinantes, eam „spem de ipsius fide & fœlicitate conceperunt, neminem ut ad hoc „Imperii fastigium, quàm ipsum, evehere maluerint. Vicissim igi„tur & patriæ pietatem & cognatis Principibus benevolentiam per„petuam pollicetur. Deliberantem autem de Imperio accipiendo, „diversæ curæ diu exercuerunt. Etsi enim magni animi est, non de„terreri mole rerum & magnitudine periculorum, quæ videntur „impendere intuenti nunc Italiam, quæ à Gallis tenetur: nunc „Turcas denunciantes bellum Pannoniis, tamen cùm verè sit divi„na res gubernatio, nec nisi aspirante Deo, fœlix esse possit, cun„ctanter & religiosè Imperia accipienda sunt. Hæc etiam Hispania, „etsi vires suas, quæ non sunt exiguæ, ad societatem rerum gerenda„rum offert: tamen ipsum Regem domi, velut in specula regni, assi„duum esse mallet. Sed ex adverso durum videbatur, patriæ, opem „ab ipso imploranti, deesse. Movit etiam animum gentilium decus, „atque honestum esse judicat, avi & proavi exempla imitari. Et „cum avus collapsas res rursus erexerit, cumque huic familiæ, po„titæ hoc fastigio, tantæ accesserint opes; arbitratur divinitùs hanc „familiam ad Imperii defensionem vocari. Postremò etiam Princi„pum Electorum votis & judicio permovetur, ut rem omnium dif„ficillimam, Imperii gubernationem, suscipere minùs recuset. Et „hanc voluntatem suam, Dux *Frederice*, à te exponi Electoribus, „& perferri in totam Germaniam, postulat. Principio verò, quod „Regum sapientissimus Salomon unum optabat, id ipse quoque „optat, cùm humana sapientia non sit par tantæ moli, ut Deus „pectus & consilia ipsius in toga, & in sago regat: ac perficiat, ut „Ecclesiæ & toti generi humano, hæc ipsius gubernatio sit salutaris. „Meminit Rex *Carolus*, ex hac ipsa Hispania duos Principes ad „Imperium vocatos esse, *Trajanum* & *Theodosium*: quorum alter „optimus appellatus est: alter non solum bonitate & armis Trajano „par fuit, sed etiam hâc laude excelluit, quod verè Deum coluit, „ac perfecit, ut Evangelium latiùs propagaretur: & concordiam „Ecclesiæ, diremptis dissidiis, piè constituit. Hi duo Principes ex „Hispania evocati, cum fuerint Salutares orbi terrarum, lætatur „omine: & horum exempla sibi proponet, studebitque laudatissi„mis Imperatoribus annumerari. Summa virtus majorum fuit in „utraque familia, Austriaca & Hispanica: Horum similitudo in

„Regis

„ Regis *Caroli* indole jam præclarè elucet. Quare ſpes eſt ejus gu-
„ bernationem fauſtam, fœlicem & ſalutarem fore orbi terrarum.
„ Tu verò Dux *Frederice* ito; & Principibus Electoribus gratias agi-
„ to quorũ cognovit eximiam ergà ſe benevolentiam eſſe, ac volun-
„ tates eorum confirmato: Et Imperatorem *Carolum* petere dicito,
„ ut ipſi tanquam cuſtodes publicæ pacis, ſuâ fide, concordiâ, vir-
„ tute, Germaniæ tranquillitatem tueantur, donec Imperator ipſe
„ in Germaniam veniet; qui quidem adventum maturare quam-
„ primùm decrevit.

Ut igitur ſolicitis Electoribus voluntas *Caroli* Imperatoris ſignificaretur, *Fredericus* Palatinus, ampliſſimis muneribus excultus, ſtatim dimiſſus eſt. Cæſar autem initio veris anni 1520. ex Hiſpania ſolvens, trajecit in Angliam, ubi ab Rege *Henrico* octavo, non ſolùm comiter, pro ipſorum neceſſitudine & hoſpitii jure: ſed etiam ſplendidiſſimo apparatu exceptus eſt. Cumque fœdera inter duos Reges confirmata eſſent, Anglus pollicitus eſt, ſe *Caroli* coronationi, honoris ipſius causâ, interfuturum eſſe. Poſt dies paucos indè venit in Belgium, ubi magnâ frequentiâ omnium Ordinum, fauſtis eum ominibus excepit. Gratulantur reditum eò majore veneratione, quia jam virum cernebant Principem, qui in Hiſpaniam, ante biennium, admodum adoleſcens profectus fuerat: optant læta & fœlicia Imperii auſpicia. Commoratur autem Cæſar aliquantiſper in Belgio, tùm ut civitatum ſuarum ſtatum cognoſcat: tùm ut Angli adventum expectet. Sed hunc *Franciſcus* Rex Galliæ facilè perpulit, ne *Carolum* comitaretur: ac ſibi Anglum novis pactionibus adjunxit, quæ deindè magnas rerum converſiones attulerunt. Tandem igitur Aquiſgranum venit Rex *Carolus*, florem ſecum Burgundicæ & Belgicæ nobilitatis trahens. Et quamvis in oppido & vicinia graſſabatur lues peſtilens, tamen ne novi exempli auctor eſſet, mutare locum coronationis noluit. Advenienti obviam proceſſerunt Electores, & ferè omnes Germaniæ Principes. Aderat & cœtus Sacerdotum, Caroli Magni monimenta gerens. Poſtero die, qui fuit vigeſimus primus menſis Octobris 1520. coronatus eſt in Æde majori Aquiſgrani, veteri ritu. Moguntinus & Colonienſis indutum trabeâ ad aram adduxerunt: Dux Palatinus orbis figuram præferebat: Dux Saxoniæ enſem: Marchio Brandeburgenſis ſceptrum: Trevirenſis verò, more à majoribus accepto, Regem unxit. Ad aram jusjurandum prælectum eſt: deindè corona à Moguntino & Colonienſi impoſita; poſtea tradita, ſceptrum & enſis. His peractis, regium convi-

1520. Cæſar ex Hiſpania ſolvens trajicit in Angliam, indè in Belgium.

Franciſcus Rex avertit Anglum à Carolo.

Carolus coronatur Aquiſgrani.

Regium epulum.

vium apparatur, in quo Electorum distributa sunt ministeria. Astat Moguntinus codicillos & sigillum manu gestans: Marchio Brandeburgensis sceptrum: Regis Bohemici Legatus Pincernæ munere fungitur: Palatinus Dapiferi. Interim in foro Dux Saxoniæ avenam equitibus distribuit. Assatur & taurus integer, refertus altilibus omnis generis, unde primum coronato Regi Romanorum apponitur ferculum.

Post coronationem Cæsar cum Principibus Coloniam profectus est, ut de futuris comitiis colloquerentur, in quo de more veteri post coronationem lex de pace communi renovatur, & de summa Reipublicæ deliberatur. Decretum est igitur, ut ad Calendas Januarias indiceretur conventus Wormatiæ. His actis Cæsar in Belgium rediit; & cæteri Principes in suas ditiones discesserunt.

Turba in Hispania.

Imperatore in Germania coronato, Hispania rebellium armis turbata, in bellum civile exarsit. Displicebat Proceribus impotentius Belgarum in Hispanos Imperium. Querebantur Belgas aliquot Regem adolescentem, quasi præstigiis fascinatum, sua in potestate habere; Hispanos sibi subiicere, leges, ac Regni statuta evertere, Belgis publica privataque omnia tradi, se excludi, nec impetrari quid posse, nisi nutu beneficioque Belgarum, quos prece pretioque sibi devinciant. Quæ, gravioraque intonantes, intentam in res novas plebem, suas in partes trahunt: & mox etiam minorum gentium Nobiles, Consiliarios, Assessores, Præfectos, ac cives ad idem audendum inducunt: Quin etiam civitates Regni Castellæ ferè universas sibi dicto audientes reperêre. Seditiosæ multitudini Duces se præbuerant Joannes Padilla, Joannes item Branius, Petrus Gironius, aliique perplures. Sed consurgentibus cum regiis copiis Friderico Henrico, Medinæ Rio secco Duce, Castellæ Ammiralio, ac Ignico Velasco Castellæ Comestabile, seditiosorum copiæ ad Villalaram, fusæ fugatæque sunt. Padiglia ac Branius capti, asinis ad ludibrium impositi, per castra circumducuntur, ac paulò post à carnifice cæsi, corpora quadratim dissecta sunt. Ab Hispanici tumultûs fama *Franciscus* Galliæ Rex excitus, neque occasionem repetendi Navarræ Regnum amittendam ratus, mittit Andream Asparrum Fuxium cum sex millibus Vasconum & Cataphractis ducentis, qui in Navarram irrumperent. Belli momentum una Pampelo erat: nam *Ferdinandus* occupato Regno, omnes arces diruerat, servatâ dumtaxat primariâ, ne rebellandi facultas voluntati accederet. Tandem Asparrus Pampelonem obsidet. *Ignatius Loyola*, nobilis Cantaber arcem tutabatur, erigebatque popugnantium animos

Rex Galliæ armatâ manu in Navarra regnum irrumpit.

Ignatius Loyola Pampelonæ arcis præfectus.

animos, donec altero crure graviter ſaucius, ad deditionem agitur. Hicque eſt *Ignatius* Societatis JESU auctor & conditor. Capta Pampelone, promotiſque ad Iberum uſque amnem copiis, Longronnium obſidione cingit. Velaſcus commodum ad Villalaram rebelles profligaverat; undè victorem exercitum in Aſparrum ducens, eumque in Navarræ finibus aſſecutus, pedites primo impetu in fugam agit. Nec melior equitum cataphractorum fuit conditio. Periêre è Francis circiter quatuor millia ſeptingenti. Ipſe Aſparrus in manus hoſtium venit, tot ictibus galeâ exceptis, ut viſu orbatus ſit. Pompelo ſtatim Velaſcum admiſit, regnumque univerſum ſub ditionem Hiſpanicam recidit, atque ita priſtina tranquillitas perturbatæ Hiſpaniæ reſtituta eſt.

Dum hæc geruntur in Hiſpania, appetebat tempus habendi conventus Wormatiæ, ubi Principes tantâ frequentiâ, quantâ nunquam anteà convenêre. In eo conventu huiuſmodi fermè acta ſunt: Quia nullâ re, niſi conſilio domeſticaque concordiâ vaſtiſſimæ Turcarum potentiæ, qui quaſi ſignis poſitis, reliquiis proſtratæ Europæ inſultare videntur, cæteriſque Imperii malis reſiſti poterit: Nec Imperator perpetuum à florentiſſimis regnis Hiſpaniarum abeſſe poterit: actum de creando in omnibus Statibus Imperii concilio, penes quod ſumma rerum, perpaucis regalibus juribus demptis, Cæſare extra Germaniam exiſtente, foret. Antiquæ quoque Leges pacis propè abolitæ, novarum adjutorio fulcitæ, quibus perpurgaretur aliquando Germanica natio, non ſolùm graſſatorum crudelitati, ſed etiam monopoliorum fœneratorumque inexplebili rapacitati obnoxia. Actum inſuper, ut via præſtruatur hoſtibus, ne ulteriùs manus temerarias Sacro Romano Imperio iniiciant, ut fixa ſtataque erigantur tribunalia Cæſarea, ubi pari conditione privatis, atque Principibus æquabile jus dicatur, juſtitiamque expeditam collitigantes (ne immortalibus litibus conterantur) obtineant. Et cùm ſtatus Reipub. rebus judicatis maximè contineantur, ut decreta perceleriter executioni demandentur, ne opus ſit ad intempeſtivas execrationes diraque anathemata Pontificum, veluti ſubſidiarias ſuppetias confugere. Conſultatum ad hæc de moneta, ſic per univerſum Imperium cudenda, ne ſemper in enorme contrahentium diſpendium incertâ æſtimatione fluctuet, atque vacillet, avaroſque fœneratores ad lucrum nefandum invitet. Ut gula, veſtiumque non neceſſarii ſumptus in ordinem redigantur. Tubâ etiam ſigno publicè in foro dato, edicto Imperiali, ſub exilii, (cujus nulla ſperanda abolitio)

1521. Comitia Wormatiæ.

pœna

pœna prohibitum, ne pedestris equestrisque Germaniæ juventus, corruptissimo more, se contra publicam autoritatem, pro scrupulo argenti, elici pateretur, mancipiorumque more, ab hostibus contra patriam conduci fineret: cum hoc de industria, dataque operâ, quemadmodùm sæpè compertum, fiat, ut quasi ad lanienam ducti, invicem committantur, mutuoque in viscera ferro ruant. Deliberatum præterea, quo potissimùm tempore, quibus, quantisque copiis, quo ordine expeditio Italica suscipienda, recuperandis his, quæ Imperio, dolo magis, atque fraude, quàm vi, apertoque Marte, adempta. Multa alia insuper ad constituendam Rempub., vulneraque ejus persananda providentissimè consulta, quæ hîc non est narrandi locus.

Lutherus venit Wormatiam

Dum adhuc tenerent Comitia, mense Aprili Martinus Lutherus sub tessera securitatis, Wormatiam venit centum equitibus comitantibus, ac coram omnibus recitat causas, cur à Pontificis censurâ discedendum judicaret. Sed initis & protractis, super id negotium, disputationibus, cùm ille pertinax in errore persisteret, dimissus mense Maio, Cæsareo edicto proscribitur; ac pridie quam abiret Cæsar, libri ejus, tanquam novatoris, pollutorisque veterum sacrorum rituum, ne animi hominum pestilentissimis erroribus depravarentur, & à Pontificum institutis avocarentur, ante Palatium, post tubicinum concentum, incenso publicè rogo, recitatisque Cæsaris decretis, exusti sunt. Mandat insuper Cæsar, ne quis Martini Lutheri scripta, à summo Pontifice auctoritate suâ Apostolicâ damnata, tam Latino, quàm Alemmanico, seu alio quovis idiomate ab eo hactenus composita, vel inposterum componenda, utpotè ab obstinato scismatico & pervicacissimo hæretico provenientia, emere, vendere, tenere, legere, describere, imprimere, aut describi, vel imprimi facere, asserere, sustentare, prædicare, defendere, præsumat. Præterea præcepit, nequis calcographus, & librorum impressor, aut alius quivis, libros ullos, seu aliam quamcumque scripturam, in quibus de Sacris literis, aut fide Catholica aliquid vel minimum tractatur, non habito priùs consensu Ordinarii loci, aut ejus ad hoc Substituti, imprimat.

Proscribitur, ipsiusque libri publicè exuruntur.

Robertus Marcanus Cæsari bellum indicit & qua de causa.

Imperatori agenti Wormatiæ, Robertus Marcanus, Sedani dynasta, frater Erardi à Marca, Cardinalis Leodiensis appellatus & impulsus à Francisco Rege Francorum, ingenti audaciâ Imperatori bellum indicit. Id bellum ex hoc fonte prorupit: Marcanus cum Aimeriæ regulo, Cæsaris cliente, lite certabat pro Hierga oppido: judicio Procerum, Marcanus litis victor discesserat.

Aimeria-

Aimeriacus victus, Carolum Imperatorem appellabat. Marcanus ad Franciscum Galliarum Regem perfugit. Ruptâ hac ratione inter Reges pace, Cæsar coácto valido exercitu sub duobus Præfectis, Henrico videlicet Nassavio, & Francisco, Nobili à Sickingen, Roberto, Ducatum Lucemburgensem hostilibus armis & incursionibus infestanti, occurrit: castrisque dicti Roberti munitissimis perruptis, ac Longina, Florivilla, Sossino, & Esdeno, partim vi, partim deditione captis, soloque æquatis: præterea Bullione, Ducatûs titulo celebri, Juris Episcopi Leodiensis, capto; Maserias ad Mosæ ripam, in limitibus Franciæ, simul & Lucemburgiæ oppidum, obsidione quinque fermè hebdomadarum, æmulatione supradictorum, ejus expeditionis Præfectorum, frustrà cinxit. Intereà spatium Regi Francisco fuerat, conscribendi exercitûs, erantque in eo quinquaginta militum millia; postquam Mosonium vi recepisset, Hannonum, ac Atrebatum agris depopulationes, ac vastationes inferebat: Borbonius cum acie, quam agebat, Hesdinum cum arce occupârat, Rentiacum cum aliquot aliis castellis deditione receperat. Ab alia parte Marcanus Brabantos & Namurcæos è finibus Leodiensium affligebat & vastabat: contrà Cæsariani Tornacum, ad Scaldim flumen positum, Gallicarum tùm partium longâ obsidione fatigatum, suam in potestatem redigunt.

In Italia calamitosior fortuna rem Francicam in certam perniciem vocabat. Pepigerat *Rex Franciscus* primum cum *Leone* X. Summo Pontifice fœdus, quo regnum Neapolitanum inter se partiebantur, quo etiam de auferendis à Carolo Cæsare utriusque Siciliæ Regnis, deque protectionibus Potentatuum, ac civitatum Italiæ inter se dividendis, imperioque Italico penitùs usurpando, seu veriùs evertendo, agebatur. Verùm non multò post, cum Leo Pontifex Gallorum amplitudinem perhorresceret, ac de ipsorum fide hæsitaret, à Francico fœdere discessit, novumque cum Cæsare percussit, quo conveniebant, ut Gallum ex Insubribus communi sumptu expellerent; Franciscum Sfortiam in paternum solium & statum, à Rege Gallo detentum, reducerent: Parma Placentiaque Romanæ Ecclesiæ restituerentur. Hoc itaque fœdere freti, copias conjungunt: ac Parma Placentiaque Ecclesiæ restitutis, ipsoque Francisco Sfortia in avito Solio restituto, Galli non sine magna strage, virtute illustrium Ducum, videlicet Prosperi Columnæ, Marchionisque Piscariæ, ac aliorum ab Italia omninò expulsi sunt. Huius victoriæ læto nuntio accepto, ægrotare Pontifex cœpit, qui priusquam cænaret obriguit, sensimque oborta

Fœdus pactum inter Leonem X. Pontificem & Franciscum I.

Pontifex renuntiat fœderi.

Galli Italiâ exacti.

 est

Obitus Leonis Pontificis. est febris lenta & levis principio, sed quæ demum ità vehementer incubuit, ut penè priùs quam mori dignosceretur, turbata mente, animam emiserit, Calendis Decembris, anno à Virginis partu 1521. non sine suspicione hausti veneni. Suffectus est in ejus locum *Adrianus Florentius*, natus Ultrajecti, patre ingenuæ plebis viro, sed
1522. adeò paupere, ut præclaræ indolis filium, suo sumptu bonis literis
Leoni suffectus est Adrianus Florentius. & artibus imbuere nequaquam posset. Sed Lovanium Adrianus profectus, & in Collegium Porcense coöptatus, tantâ contentione literis incubuit, pari integritatis & continentiæ laude, ut brevi tempore cæteris doctrinâ anteiret. Ob id *Margareta* Cæsaris Maximiliani filia, eum parœciali sacerdotio in Hollandia præfecit: ac
Ejus primordia & progressus. mox secundâ tantæ virtutis opinione moti Lovanienses, eum Decanum legunt, qui subinde Cancellarius (qui omnium Collegiorum jura moderatur) electus etiam fuit. Deindè *Maximilianus* Cæsar nepoti *Carolo*, literarum & virtutis præceptorem dedit. Non multò post idem Maximilianus ad Ferdinandum Catholicum in Hispaniam amplâ legatione honestatum Adrianum misit. A quo benignè exceptus, eam prudentiæ, pietatis, atque sapientiæ laudem promeruit, ut brevi tempore Episcopus Dertusensis fuerit designatus. Post Ferdinandi mortem, rogante Maximiliano, Cardinalis titulo Pammachii SS. Joannis, & Pauli, à Leone Decimo creatur. Maximiliano mortuo, Carolus in Germaniam contendens, Adrianum totius Hispaniæ gubernatorem constituit: Qui post pacatas populares in Hispania seditiones, sumptumque de auctoribus Padilla & Branio supplicium, & partam contra Gallos, recuperatâ Pampelone, victoriam, Leone X. mortuo, Pompeii Columnæ, & Julii Medicis operâ, post multas contentiones, novem & triginta Cardinalium suffragiis, in Vaticano palatio, anno Salutis 1522. quinto Idus Ianuarii summus Pontifex absens creatus, annum unum, menses octo, & dies tres, insigni pietate Ecclesiam Dei gubernavit. Nihil Cæsari fortunatius, nihil optabilius accidere potuit, quàm post ejectum Mediolano Gallum, firmatis in Italia rebus, eum dari Pontificem, qui nullâ privatâ caritate incensus, solius publicæ tranquillitatis, ad quam naturâ suâ propensus erat, rationem haberet, & res Cæsaris, ut benè meriti de se alumni, ac munificentissimi Principis, constanter foveret? Id certè hominum mentes ad Cæsarem ità inclinavit, ut mox irrito conatu tentata à Lautreco, regii exercitus Prætore, Parmâ & Papiâ, secuta dein Helvetiorum ad Bicocam internecione, Laude-Pompeiâ à Piscario captâ & Genuâ ab Alfonso Vastio,

Piscarii

Piſcarii patruele, expugnatâ & direptâ, Senatus Venetus amicitiæ Francicæ renuntiaverit: & fœdus cum Cæſare, Pontifice, Franciſco Sfortia contra Gallos percuſſerit. Ad hæc vulnera acceſſit Caroli Borbonii, Franciæ Comeſtabilis defectio, ad quam eum perpulit Juſtitiæ denegatio, in his, quæ ſibi juſtè deberi contendebat: manifeſtaque anhelatio & ambitio ſui Statûs ac dominii jure, aut injuriè occupandi, motâ eidem totius ſtatus lite: non quidem in ordinario tribunali, ſed extra ordinem, coram ſuſpectis judicibus, ex particulari delegatione dictis: ut nuſquam pateret aditus ad judices ſuſpicione carentes, obtinendos. Impulerunt & illum vexationes multæ, quæ in ejus caput, dignitatem & ſtatum moliebantur, quæ à legitimo patrono ac Domino poſſeſſionis clientelaris longè abeſſe omninò debuiſſent: quùm non minùs Patronus clientem ab oppreſſionibus ſervare teneatur, quàm cliens juſta facere clientelaria: & ex quibus cauſis cliens clientelari jure excidit, ex eiſdem Patronus perdit dominium. Eſt enim is contractus ultrò citròque obligatorius. Quamobrem Dux Borbonius, ut tam iniquæ ſubjectionis jugum excuteret: ne quod jure in eum tentari non poterat, violenter in eum exequi contingeret, à Cæſare præſidium petiit. Non poterat Cæſar, qui & illi ſanguine junctus erat, oppreſſo non ſuccurrere: minuſque ipſum Ducem, omnibus ſuis bonis & facultatibus, indebitè, ut aſſerebat, exutum, ad ſe, tanquam tutum perfugium, convolantem, non recipere, protegere & fovere, maximè ubi de matrimonio per eum cum Sorore Cæſaris contrahendo ſermo habebatur: Cui proptereà Cæſar vices ſuas in Italia committendas cenſuit. Quo augurio fretus, & vicit, & exercitum Gallicum non ſolùm à Mediolanenſi Statu, ſed etiam ab univerſa Italia ejecit, non ſine maximâ ipſorum Gallorum ſtrage, omniumque tormentorum amiſſione. Quâ victoriâ obtentâ, cùm Francorum Rex novos belli motus pararet, ad Italiam denuò turbandam: nec interim exercitum conveniret ſolvere, hoſtique tam facilè adoriendi materiam præbere: Duxque Borbonius, ſub cujus auſpiciis, Deo favente, victoria obtenta fuerat, ad occupati ſtatus ſui recuperationem tendens, ac vendicans ſibi jus in Comitatum Provinciæ, petiiſſet à Cæſare illius exercitûs partem ad id ſibi concedi, non potuit Cæſar id honeſtè denegare. Septembri medio, anno 1524. fanum S. Lucii, Fontarabiam inter & Bajonam medium occupat. Mox Orangio Duce Bajonam ſummo impetu aggreditur, ſed repulſus, Fontarabiam cingit, eaque expugnatâ, erat Borbonio animus Lugdunum aggredi,

1523. Defectio Caroli Borbonii.

1524. Borbonii militaria facinora.

gredi, urbem situ commodam, atque in faucibus patrimonii sui: quippe Forisienses, Belliiocenses, Bojos, Arvernos & Marchiam, uno soli tractu conjunctos, possederat. Verùm hortatu Piscarii Galliam Narbonensem cum exercitu ingressus, Tolonium veterem Massiliensium Coloniam, & Aquas Sextias capita tùm ad Massiliam copias admovet, situ validam, portuque commodam ad excipiendos Hispanos in Italiam atque Siciliam commeantes. Cum totos quadraginta dies civitatem munitissimam frustrà oppugnasset solutâ obsidione, exercitum in Italiam reduxit; ut Regem Franciscum per aliam viam breviorem in Italiam cum valido exercitu properantem, si fas esset, prævenire posset, priusquam iterum Mediolanensem Ducatum invaderet.

1524. Decurrente autumno, atque adeò hyeme imminente, Rex Franciscus copias transmittit in Italiam sub Octobris finem. Arrisit primo fortuna venienti: nam Franciscus Sfortia subitò Mediolanum deseruit, quod mox Francisco patuit. Cæsariani firmo præsidio Ticinum misso, & Antonio Læva Præfecto imposito, cum reliquo exercitu Laudem recesserant, inspecturi, quam in partem procella detonaret. Et Rex inter duas magni momenti curas, consilii incertus, hærebat: altera obsidere & capere Ticinum, quo si potiretur, Dominum se esse Insubrium, sibi persuadebat: altera insequi & profligare hostilem exercitum, aut ex Insubribus pellere. Istud omninò facilius erat: nam exercitus Cæsareus, Francico multùm inferior, terrore perculsus, & labore fessus, haud ægrè vinci, aut pelli poterat; atque eo victo, tùm Ticinum, tùm aliæ Urbes ad victoris arbitrium concessuræ erant. Verùm scævum consilium præpolluit, Ticinumque sub initium hyemis, exercitu cinctum, omnique machinarum genere oppugnatum. Postquam crebrâ tormentorum verberatione murus erat dirutus; impressio instituitur: Verùm cum labes non esset satis ampla, & obsessi ponè murum, cæcum vallum & agerem erexissent; Franci magna clade multati, repulsi sunt. Vi exclusâ, Rex ad artem convertitur. Existimabat certam perniciem Urbi se illaturum, si Ticinum amnem, murum civitatis alluentem, ab alveo deduceret, quoniam is locus munitionem nullam obiiceret; In eum finem immensam fossorum vim ad conficiendum opus admovet. At labor tantus irritus fuit: nam cum eâ tempestate cœlum maximè esset pluvium, quantùm plures homines toto die enixis operibus contendissent, tantum unâ nocte, amnis intumescens, evertebat. Quocircà incœptum opus omissum est: & fames inediaque in subsidium

Ticinum à Gallo obsessum.

subsidium appellata. Ea inter effluente Novembri, productis jam noctibus & frigidioribus, Germani milites, ex quibus constabat Ticinense præsidium, stipendium proterviùs flagitabant. Sed cùm pecunia admodùm rara, aut nulla esset, huic periculo industriâ Antonii de Læva occursum est, qui vasa sua aurea, atque argentea, torques & annulos ad conficiendam pecuniam, liberaliter impendit, cusis nummis, hâc inditâ epigraphe: *Cæsariani Papiæ obsessi* 1524. Sicque tumultus præfocatus. Et quamvis obsidium ex voto Regis non procederet, tamen tanta erat animi ejus vastitas, ut ad invadendum regnum Neapolitanum animum applicaret: ergò Albaniæ Ducem cum decem militum millibus Neapolim mittit: hac Ducis profectione augebatur Lanoii animus, cogitabatque de repetenda cum copiis Neapoli: verùm Piscarius apprimè gnarus, Neapolim non propugnari fortiùs quàm in Insubribus; Regemvè divisis ac imminutis copiis vinci posse, eum re- 1524.
tinuit. Interea Borbonius 24. Ianuarii 1524. cum milite ex Germania adventabat; adducens quingentos cataphractos, & sex peditum millia *Ferdinandi* Austriaci sumptibus, scripta; quibus Piscaria junxit septemdecim bellatorum millia, finguntque Marinianum se petere, ut ab obsidione Regem abstraherent; & mox ad castellum Sancti Angeli conversi, oppidum Laudem inter Ticinum medium, verberatum tormentis, ad deditionem adigunt. Inde ad Francorum castra Cæsareus admovetur exercitus, constituuntque Duces Urbi commeatum immittere, & prœlium, si occasio foret, conserere. Eo consilio, nocte, quæ Divi Mathiæ diem festum præcessit, postquàm ab alia Castrorum parte Francos continuis velitationibus fatigassent, universum exercitum quadrifariam dispertiunt, ac ad Mirabelli septum deducunt. Primum agmen agebat Marchio Vastius: alterum Pescaria ex meris Hispanis; tertium Borbonius; quartum Lanoius, jubentque milites linteatos super arma incedere, ut se in caligine noctis internoscerent. Itaque silentio ad septum castrorum progessi, sexaginta valli ulnas deiicunt. Deindè inter fulmineos bombardarum globos septo decurso, primo diluculo ad castra regia penetrant. Rex impetu raptus, prodit è castris, & in hostem ruit. Cæsarianorum primum, alterumque agmen, Regem adoriuntur, & catapultariis, quorum tria millia locaverant inter equites, effundentibus pilas, stragem horribilem cædemque dedêre. Rex cum equitatu invectus; Helvetiis & Germanis ad latera strenuè pugnantibus, primo congressu equitatum Cæsareum fundit: & jam libabat

victoriam, cum agmina extrema Borbonius & Lanoïus inducunt in prælium. Dubio Marte aliquantisper pugnatur. Interea Læva milites Ticino in Alensonium educit, ille ratus omnia profligata, cum quadringentis equitibus fugam capessit, & prætervectus Helvetios, affirmat Francos omni loco victos & depulsos, qui ut se cladi subducerent, ad Mediolanensem viam, deflexerunt. Intereà totum pugnæ pondus in Regem, proximosque Germanos incumbit, & ij quidem magnâ fortitudine animi in objecta tela irruentes, ad unum cæsi sunt. Rex strenuè pugnans, equo suffosso & femur saucius, non sine vitæ discrimine, pugnabat in geminos, Jacobum Avilam & Joannem Urbiette, cum agnitus à Pomperantio, qui Borbonio comes hæserat, periculo liberatur. Cumque is acclamaret, uti Borbonio se dederet, Rex irâ succensus respondit, se proditori haudquaquam se dediturum; ac tandem commodùm advenienti Lanoïo, Rex illi se permisit. Pugnatum est à crepusculo matutino, usque ad horam quartam pomeridianam. In ipsa acie cæsa circiter decem millia Francorum: ex Cæsareanis circiter septingenti. Capti sunt præter Regem, Henricus Navarræ Rex, Franciscus Borbonius Comes S. Pauli, Ludovicus Nivernensis, Mommerantius, Chabotus, Brio, Florangius, Lorgius, Rochapotius, Barbesius Vidamus Caruntensis, Mompesatius, Langæus, pluresque alii tanto numero, ut præter Alensonii turmam nullus propè Nobilis fugâ servari potuerit. Theodorus Trivulcius, qui per id tempus obsidebat Mediolani arcem, audito cladis nuntio, cum copiis statim revolavit in Franciam; totusque Principatus in victoris potestatem concessit.

Rex Franciscus captus.

Parta est hæc victoria Sexto Cal. Martii, ipso Cæsaris natali die, eòque illustrior, quod triginta & sex Cæsareanorum millia, profligaverint & prostraverint centena Galli exercitûs millia. Rex à Carolo Lanoïo, Prorege Neapolitano, Marchionibus Piscaria & Vastio summâ reverentiâ & humanitate exceptus, in arcem Pisleonensem ductus, Alerconi Tribuno commissus est, donec decerneret Cæsar quonam in loco tutò asservaretur. Intereà Rex adversitatem hanc ferebat altissimo animo & ad calamitatis sensum impenetrabili.

Anabaptistarum in Germania tumultus.

Eodem hoc anno, Germania horrendis rusticorum Anabaptistarum turbis, perniciosoque tumultu vehementer concutiebatur. Qui omnia libera & communia esse dictitantes, non solùm profana, sed Ecclesiastica etiam bona præcipites invadebant, & pluribus, remotisque regionibus, præsertim Italiæ hostile impressionem minabantur. Sed Cæsar Germanorum Principum auxiliis adjutus, vesanum

vesanum eorum furorem repressit, cæsis centum & quinquaginta hominum millibus. Numerus annorum Domini, quando captus est Francorum Rex, & de hac rusticorum colluvie, hujus versiculi literis numeralibus expressus colligitur:

CaptVs erat gaLLVs, CoëVnt CVM rVre Cohortes. 1525.

Primam cladis famam Cæsar Toleti accepit: Tum postridie gratias Deo acturus, omnium Ordinum solemnem supplicationem edicit, tantaque moderati animi signa dedit, ut nec tormenta explodi; nec modulato æris campani strepitu festivum carmen edi, nec publicæ lætitiæ compitales ignes accendi, voluerit: tantùm Deo ac Cœlitibus gratulationem ad sacras ædes decrevit.

Intereà instructa erat classis Cæsarea quindecim triremium, quâ Rex Neapolim vehendus erat cum Prorege Neapolitano classis Præfecto. Quumque è portu Delphino solvissent; iterque Neapolim versus tenerent; Rex, ne ejus liberatio in consultationibus habendis cum Cæsare, ob longinquam navigationem locorumque distantiam diutiùs differretur, rogavit Proregem, ut cœptum iter mitteret, seque ad Cæsarem transveheret. Annuit Prorex eâ lege, ut Rex ipse in potestatem Proregis traderet sex ex triremibus Gallicis, quibus tutiùs in Hispaniam, unà cum quindecim triremibus Cæsareis vehi posset. His ita constitutis, subsistit Prorex cum classe Cæsarea in portu Tino, ubi adventantibus sex Gallicis triremibus, illisque milite hispano instructis, inconsulto etiam ac inscio Cæsare, in Hispaniam transfretat, ibique in arcem Madrilianam ductus est; nullâque ratione Rex impetrare potuit, in Cæsaris conspectum ut admitteretur, quamquam ut Regem decebat splendidè & luculenter haberetur; Verùm quùm de Regis ægritudine Cæsar certior factus esset, & Medici, qui ejus curam habebant, assererent morbi causam ex sola animi tristitia oriri: nullumque melius antidotum præstari posse, quàm si contrario eventu aliqua inopinatæ lætitiæ causa Regi offerretur, idque Cæsarem præstare posse contendebant, si suâ præsentiâ Regem consolaretur. Et licet nonnulli Cæsarem ab ea visitatione avertere conarentur, asserentes non convenire Cæsareæ dignitati, Regem captivum invisere, ni illum statim in libertatem assereret: idque etiam adducentes, magnorum Principum ac Regum conventum raro fructuosum fuisse, quùm indè majora odia soleant concitari. Elegit tamen optimus Cæsar humaniorem ac mitiorem partem, opusque pium amplexus est, invisit ægrotum Regem, hortatus est, ut de nulla alia re, quàm de salute sollicitus esset:

Rex Franciscus vehitur in Hispaniam.

In morbum incidit.

Cæsar invisit ægrotum.

esset: reliqua negotia, quæ inter eos agenda essent, in salutis tempus reservaret, eo enim convalescente, cuncta rectè componi posse. Dum Rex in Italia adhuc detineretur, obtulerat suâ sponte, ac scripto, suâ manu consignato, referendas commiserat Hugoni de Montecateno, has pacis conditiones: „ Si Cæsar sororem suam „primogenitam eidem Regi matrimonio copularet, Burgundiæque „ patrimonium in dotem constitueret, obtulit suis sumptibus uni- „ versam Italiam ditioni Cæsareæ subjicere: Venetos, Florentinos, „ reliquosque omnes Italiæ Principatus debellare, ac ad ipsius Cæsa- „ ris obedientiam cogere. Jus Ducatûs Mediolani, ad opus Cæsaris, „ ac suorum hæredum & successorum cedere & renunciare: simul „ & jus regni Neapolitani, ac civitatum Tornaci & Atrebati nec non „ superioritatis Flandriæ & Artesiæ: Se associaturum Cæsarem in „ Italiam, ad coronam Imperii de more sumendam, suamque classem „ ad id Cæsari præstiturum: Sique Cæsar bellum suscepturus esset, „ aut pro fide aut pro Imperio, se dimidiam impensæ exhibiturum, „ approbationem statuum Franciæ, & Parlamenti offerendo. Quibus nomine Cæsaris responsum est „ Non esse ejus mentis patrimonium „ Burgundiæ, sibi justè debitum, pro alia quavis re, dimittendum, „ sed potiùs idem tuendum, & nullatenus pro dote sororis conceden- „ dum: matrimonium propositum cum ipso Rege non contrahen- „ dum, ni priùs Borbonius Dux, cui Cæsar illam spoponderat, ad id „ præstaret assensum: nolle Cæsarem in Italia novos suscitare motus, „ sed illam potiùs quietam servare; ad idque dum tempus coronatio- „ nis se offerret, oblatam classem non recusaturum, cum oblatis „ præsidiis. In reliquis oblatis, quùm ea omnia per Cæsarem possi- „ derentur, nullumque in his ad Regem jus pertineret: dixit Cæsar, „ se fore contentum, ut restituto Burgundiæ patrimonio, eo modo, „ quo Carolus Dux, ejus proavus possidebat, remitterentur hinc „ inde omnes querelæ & actiones, quæ prætendi possent in terris, „ ac dominiis hinc inde possessis: ut omnibus querimoniis radicitùs „ extirpatis, firma & perpetua pax inter eos stabiliri posset. Fecit tum Rex periculum, an pecuniâ absolvi posset, ac à restitutione Burgundiæ excusari. At respondit Cæsar, se nil velle pro illius redemptione, nisi quod suum erat, & undè tot bella orta fuerant, ut inde hæc malorum radix penitùs extirparetur.

Pacis conditiones à Rege Francisco Cæsari proposita.

Responsum Cæsaris.

Rex sororem suam & Legatos arcessit, ut honestis pactionibus libertatem sibi apud Cæsarem procurent.

Cùm verò Rex convaluisset, Legatos suos, sororemque suam Margaretam, Alensonii viduam, Cæsarem oratum accivit ut honestis pactionibus, quas obtulerat, contentus, cum libertate donaret. Verùm, cùm Legati & Soror resilirent ab ipsius Regis oblatis

oblatis conditionibus, easque restringerent, maximè quod jam fervercnt molitiones fœderum cum Pontifice, ac Italiæ Principibus, & his artibus putarent cogendum Cæsarem ad libertatem Regi condonandam. Cæsar rei indignitate percitus, cui hæc, quæ in Italia agebantur consilia, non erant incognita, renuit restrictas illas conditiones, novasque obtulit, priores suas mitigando: super quibus etiam ab ipso Rege responsum fuit, aliquid de novo addendo ex primis conditionibus retractatis. Tandem post multas contentiones, Regis soror & Legati re infectâ ad Regem revertuntur. Detegitur interim molitio quædam, quâ Rex, Sororis, ac suorum consilio fugâ elabi adornârat. Capiuntur aliqui factionis conscii, qui sine libero commeatu in Hispaniam venerant, fatentur molitionem; acceduntque alia indicia, quibus rei veritas magis comprobatur: Censet Cæsar id dissimulandum; ipsum tamen Regem diligentiùs custodiendum, observandumve sanxit. Hinc Regis soror suspicans rem detectam, expeditis, per equos dispositos, cæteris factionis auctoribus, obtentoque pro se & comitatu ad suos revertendi commeatu, properatò se in viam dedit. Iis ità stantibus, de pace tàdem conventum est. „ Porrò conditionum ea summa erat: ut „Rex Franciscus Burgundiæ Ducatum, quæque ad eum pertinent, „ restitueret, ac in perpetuum utriusque Sexus hæredibus cederet. „ Similiter renuntiaret omni juri, quod in aliquod Regnum, Pro- „ vinciam, ditionemve à Cæsare hoc tempore possessam, sibi ven- „ dicat; præsertim verò in regnum Neapolitanum, Siciliæ, Medio- „ lanense, urbem ditionemque Genuensem, ac Astensem. Cæsar „ contrà Regi, ejusque successoribus in perpetuum cederet jus, „ quod sibi arrogat in eas ditiones, quas hoc tempore Rex possidet; „ iis dumtaxat, quæ his legibus exprimuntur, exceptis. Rex Francis- „ cus Leonoram Cæsaris sororem natu maximam, viduam Emma- „ nuelis Lusitaniæ Regis, in uxorem duceret, ac cum ea dotis no- „ mine, semel ducenta millia aureorum solatorum acciperet, cum „ pensione annua, quam causâ mortis dicti Regis Emmanuelis, ei „ Lusitani solvunt: Itemque Comitatum Masconensem, Auxerræ, „ ac Barræ ad Sequanam. Maria memoratæ Leonoræ, ac Regis „ Emmanuelis filia, Francisco Delfino nuberet, eaque anno ætatis „ duodecimo in Franciam mitteretur. Ad hæc Rex operam daret, „ ut Henricus Albrechtus, titulo Regis Navarræ, pro se posteris- „ que suis in perpetuum cederet. Carolum Egmondanum Gelrum „ induceret, ut contentus Gelriæ possessione, quâ nunc fruitur, „ post mortem Gelriam Zutphaniamque Cæsari ejusque successoris- „ bus

Rex molitur fugam.

Leges pacis.

„bus possidendam relinqueret: Quod si Carolus, aut Gelriæ Or-
„dines recusarint, eis opem auxiliumvè non præstaret. Prætereà
„Cæsar supremo jure possideret Flandriam & Artesiam, clientelari,
„atque provocationis ad Senatum Parisiensem jure prorsus abolito.
„Insuper conventum est, ut Rex his, aliisque pactis adimplendis,
„Franciscum Delfinum,& Henricum Aureliæ Ducem regias pro-
„les, obsides daret, ac interposito Sacramento, Cæsari promitteret,
„si dictis conditionibus stare non potuerit, in ejus potestatem, ac-
„ceptis obsidibus, se rediturum. Acta hæc Madriti pridie Idus
1526. „Januarii annò supra Sesquimillesimum vigesimo quinto.

Conditionibus ultrò citroque chirographo, ac Sacramento confirmatis, Cæsar & Rex diù sæpeque publicè collocuti, eâdemque rhedâ vecti, sponsam Leonoram officiosè invisunt. Tandem Rex Franciscus decimo quinto Calend. Aprilis 1526. cum Prorege Lanoïo, & Alercone custodiæ præfecto, Fontarabiam venit: mater ejus Ludovica cum Francisco Delfino, ac Aureliæ Duce Bajonam. Hique progressi ad flumen nomine Tolosam, quod Hispaniam à Francia dirimit, in ripa consistunt. Stabat in amnis medio navis, jactis ancoris fixa & immota. Hanc Rex, Scapha advectus, cum Lanoïo, Alarcone, ac octo viris nobilibus ingreditur. Idem ab altera ripa cum regiis liberis, totidemque viris Odetus facit Foxœus, tradens Lanoïo Delfinum, ac Aurelianensem; eodemque momento Rex è navi in scapham alteram, indeque in Francicum exiliens littus, in equum turcicum insiliens; mira celeritate Fanum Sancti Joannis Lusii, mox Bajonam venit, ingenti matris, omniumque Procerum, qui frequentes convenerant, gaudio. Dein, quùm præstitutum restituendæ Burgundiæ tempus & aliis elapsum esset; Cæsar ad Regem Legatos mittit Proregem Lanoïum, ac Alerconem, ut Madritianum fœdus ratum vellet. Respondit Rex, id pertinere ad regni comitia, quibus auditis, perfecturum se, quæ ea jussissent. Jamque Connacum Comitia regni convenerant, unoque consensu triumOrdinum viri responderant in hanc sententiam: „Fœdera & conventiones insolitas, quæ maximũ

Rex eum facendis Madritiani non implere, mittit Cæsar Legatos, qui eum interpellunt.

Responsum Regis.

„in se promittentis damnum continent, cum potentiore initas, jure
„vi extortas censeri, atque ideò minimè servandas. Insuper Regem
„ipsum, inter consecrationis ceremonias jurejurando obstrictum, ne
„regni partem divelleret, alienaretque: Ideoque si quid contra jus-
„jurandum pollicitus fuerit, nequaquam observandum. Jure prætereà
„cautũ esse, non licere civitatem, aut provinciam, invitis repug-
„nantibusque subditis, in quempiam transferre: non igitur absque
„eorum consensu, ad hujusmodi alienationem devenire potuisse.

„Illud quoque adjiciebant, aperti juris esse, nullam datæ fidei rationem habendam, ubi vel mortis, aut perpetuæ servitutis, vel carceris periculum impenderet: idque potissimùm si vi, ac metu extorta fuerit promissio. Denique, nullo modo fieri posse, ut Burgundiæ Ducatus, sicuti conventum fuerat, alienaretur, aut in Cæsarem transiret. Siquidem Ducatus ille, per Joannem Francorum Regem, cum Normanniæ Ducatu sic annexus & coagmentatus fuerat, ut dividi nullo pacto, aut separari possit. Cùm itaque eisdem gubernetur legibus, quibus & universum Galliæ regnum, cui annectitur, illudque procul dubio, aut in fœminas, aut qui ab eis descendissent, lege Salicâ transire prohibeatur, eodem jure, nec Ducatus ipse transferri potuisset. Tandem Rex Proregem Lanoïum rogavit, sic apud Cæsarem ageret, ut ea, quæ minimè præstari poterant, tollerentur, quorum in locum conveniens pro redemptione pecuniarum summa subrogaretur, componereturque jamdudum optata pax, ac concordia, liberique sui obsides, sibi restituerentur. Ea Connaci Rex Legatis respondit, eosque ad Cæsarem dimisit: qui cùm ad Cæsarem ea retulissent, reposuit: Nil impossibile à Rege exigere velle: si non posset, aut nollet pacta conventa servare, saltem eam fidei partem servaret, quæ in ejus solo arbitrio posita esset, ut scilicet in pristinam rediret captivitatem, sic obsides recuperari posse: Ad capita verò supra prolata, respondebat ea à re, de qua agitur, alienissima maximeque dissentanea, quùm planum sit, non hic agi de alienatione patrimonii regni, sed de restitutione indebitè occupatorum, in qua nec Procerum, nec Subditorum consensus exigitur, nec etiam Parlamentorum auctoritas, quorum jusjurandum ad rectam justitiæ administrationem dirigitur, sicque nullæ essent eorum partes nisi in condemnando Rege, juxta obligationis formam. Cæterùm molestissimè ferens se delusum esse, Borbonium in Italiam properare; Lanoïum in regnum Neapolitanum proficisci, Hugonem Moncadam ad Pontificem tendere, classem verò Barcilonæ extemplò instrui jubet.

Reponit Cæsar.

Dum hæc gerebantur, Pontifex Clemens Septimus, Franciscus Francorum Rex, Andreas Gritti Venetiarum Dux, nec non Franciscus Sfortia Mediolani Dux, fœdus precusserunt, quod universale sanctissimumque appellavêre. Quàm Sanctum id fuerit, ex conditionibus facilè elici poterit; & quidem si universalis quietis ratio habita sit, cur tam iniquæ & abominabiles conditiones Carolo Cæsari præscriptæ, cujùs sine unius Principis accessione, pax tranquil-

Fœdus ictum inter Clementem Pontificem, Frãciscum Regem, Venetorum Ducem, & Franciscũ Sfortiam.

1526. tranquillitasque induci non potest. Jussus est liberos Francisci Regis obsides restituere: Jussus Mediolani Ducatum, Duci Mediolanensi liberum, cæterosque Italiæ Principatus & Dominia, sicuti erant ante proximum bellum præteritum, relinquere. Jussus Italiæ ingressu abstinere, in eamque solùm familiam inducere, quæ scilicet Pontifici Maximo, & Venetis apta conveniensque videretur. Et hæc omnia, priusquàm in tam sanctam & religiosam conventionem admitteretur. Et ni indictis protinùs conditionibus nomen det, conventum, ut conscribatur exercitus duorum millium & quingentorum equitum cataphractorum, & trium millium levis armaturæ: peditum verò triginta millium, hisque copiis exercitum Cæsareum, aut omninò delendum, aut ita labefactandum, ut ræliquiæ in civitatem aliquam redactæ, inde castra metari non possent. Interim etiam Rex Gallus exercitum paratum haberet citra montes, duorum millium cataphractorum, cum sufficienti peditum numero, ad distrahendas & occupandas tùm terrâ, tùm mari Cæsaris vires: validâ etiam classe congestâ, ne novas copias in Italiam transmittere posset. Ad hæc regnum Neapolitanum cum eodem exercitu invadendum & occupandum, ni hisce conditionibus Cæsar annuat. Acta hæc Gogmaci die vigesimo secundo Maij anno millesimo, quingentesimo, vigesimo sexto.

Ecce quàm decens locus Cæsari ad ingrediendum fœdus fuerit relictus. Ecce qualiter Cæsareæ dignitati sacroque Ramano Imperio consulutùr: ecce quàm bene res ad universalem pacem disponatur. Certè non paci, aut universali tranquillitati, sed acerbissimis odiis & sævissimo bello, materia & fomentum hoc fœdus subjiciebat. Sed Cæsar justitiâ fretus, unus suum omnibus his caput objecit, ostenditque plus sibi spei in innocentia sua positum esse, quàm illis virium in tot equitum peditumque copiis, atque armatis triremibus. Hæc fœderis arcana capita, non ita potuerunt celari, quin Cæsar parati incendii fumum facilè persentisceret: ideoque, ut omnem à se culpam averteret, misit ad *Clementem* Pontificem Maximum scriptum apologeticum, cujus epitome talis est.

Apologia Cæsaris ad Clementem Pontificem.

„ ERamus, *Beatissime Pater, Domine Reverendissime*, in magna mentis „ anxietate, ac communem totius populi Christiani calamitatem nobiscum tacitè deplorabamus, ob ea, quæ à *Sanctitate Vestra* „ contra nos, statumque nostrum & Sacri Romani Imperii dignitatem moliri audiebamus: ut felicitas, potestas, & amplitudo „ regnorum, ac principatuum, nobis à Deo Opt. Max. collatorum „ minue-

,, minueretur, & si fas esset, penitùs supprimeretur. Hæc tamen ,, nunquam *Sanctitati Vestræ* ascribenda censuimus: Nec etiam ,, contrarium affirmantibus, fidem dedimus: neque ideò minùs ,, æquo animo pacis vocem semper audivimus, *Vestramq́; Sanctitatem* ,, ad illam proponendam & amplectendam, monuimus & incitavimus: nec unquam inter Christianos, nisi provocati coactique ,, bellum gessimus, neque tentavimus. Testis est operum nostrorum Deus, verus scrutator cordium: Testis erit *Sanctitas Vestra*, si ,, Præteritorum rationem, ac memoriam habeat. Testes sunt ,, ejusdem *S. V* Ministri, sæpiùs ad pacis, ac induciarum media ,, proponenda transmissi, qui apertè experti sunt, nos etiam rebus ,, nostris secundissimis, quascumque honestas pacis aut induciarum conditiones amplecti paratos: quibus & honoris nostri, & ,, fœderatorum justa, æqua, ac secura ratio haberetur: Testantur deniquè hæc multiplicia mandata nostra ad Urbem missa, ,, variæque legationes ad id pro tempore dispositæ & destinatæ, ut ,, nihil à nobis de his, quæ ad pacem attinent, ullo unquam tempore prætermissum arbitremur. Imò omnem conatum omneque ,, studium adhibuimus, ut Italiam pacatam, ac quietam redderemus; ut Sedem Apostolicam in suo decore, velut illius protector & vindex, stabiliremus, ac servaremus, utque pacatâ ,, Christianâ Repub. communia Principum Christianorum arma, ,, in perfidos Christianæ Religionis hostes converterentur. Indicavit nobis *S. V.* Piscariæ Marchionem exitialem in statum nostrum ,, fraudem machinari. Verùm cùm in *V. S.* literis non distinctè exprimantur qualia fuerint ea, quæ Marchio Piscariæ in nostri status detrimentum molitur, sed sub verborum quodam involucro, ,, res tam nefanda tegi videatur; Comprobanda res erit per ipsius ,, Marchionis literas, quæ penes nos servantur, ac per aliorum ,, quorundam, adhuc viventium testimonia, qui hujusce facinoris ,, conscii participesque fuere: Quibus apertissimè detegitur ipsum ,, Marchionem non ita projecti honoris, ac conscientiæ fuisse, ut ,, quicquam in status nostri perniciem struere cuperet: Sed potius ,, aliter finxisse, quàm in animo haberet, ut aliorum in nos, ac ,, statum nostrum molientium factiones, veris indiciis, ac argumentis detegeret, hincque faciliùs, nobis præmonitis, opprimi ,, possent. Sicque finxit se parùm æquo in nos esse animo, ut inde ,, liberiùs in molientium partes vocaretur, omnemque rei seriem ,, funditùs percipere posset. Hicque Marchio ad eam tragediam ,, vocatus, simulatâ fide, in eam conspirationem, cum cæteris

 illius

,,illius auctoribus, convenit, atque consensit, perlustratisque
,,omnibus ad tantum facinus patrandum dispositis, atque paratis,
,,cùm in his *S. V.* principalis esset auctoritas, audivissetque Mar-
,,chio, nuntium ad id per *S. V.* transmissum cum mandatis fiducia-
,,riis offerentem regni nostri Neapolitani investituram & possessio-
,,nem, si is in *S. V.* & fœderatorum partes cum copiis nostri exerci-
,,tûs sibi addictis, transiret atque transfugeret; ut inde communi-
,,bus fœderatorum copiis semel nostrum exercitum prorsùs de-
,,lerent: Nosque non solùm à Ducatu Mediolani, sed etiam à reg-
,,no Neapolitano, ac ab omni Imperio Italico excluderent; & inde
,,*S. V.* nos etiam ab omni imperiali dignitate deponeret. Finxit
,,Marchio sibi placere conditionem, si id cum honore, & sine labe
,,crimînis lęsę Majestatis exequi liceret: Et ut super ea re peritiores
,,consuleret, petiit quindecim dierum dilationem, quibus illi erat
,,in animo, nobis rei seriem perscribere, pro ut & fecit. Nec ideò ab
,,hoc clandestino commercio abstinuit; quin etiam ad hanc fictio-
,,nem specie veri fuscandam, habuit ex Urbe consilium peritorum,
,,quo eidem Marchioni persuadebatur, eundem licitè posse, ac
,,sine honoris, seu præstitæ fidelitatis læsione, aut crimine Maje-
,,statis, in partes *V. S.*, tanquam clientelaris prædii Dominum,
,,transire, ab eaque, beneficiariâ lege regnum adipisci, ubi po-
,,tissimè *S. V.* jussus accederet. Si hæc igitur *Pater Sancte*, vera sunt,
,,prout narrat Marchio, qui usque ad ultimum vitæ spiritum, in
,,ea sententia semper perstitit: Si sunt illa agitata consilia, quæ
,,*V. S.* audivisse fatetur: Videat recto judicii oculo, si hæc tanto
,,Pastore digna censentur: Inspiciat, qualis fructus inde colligi
,,possit; quàm gravis in vulgus offensio, quàntusque tumultus
,,ex his in universa Repub. Christiana nasceretur. At, quod *V. S.*
,,extollit hoc officium à se nobis præstitum ad quietem & stabili-
,,tatem rerum nostrarum. Nolumus inficiari id beneficium à *S. V.*
,,præstitum, eo tamen tempore; quo idem Marchio totius rei se-
,,riem apertè differuerat. Cur autem *S. V.* re jam detectâ, id nobis
,,nuntiandum censuerit, id ejus judicio, & conscientiæ commen-
,,damus. Et cum ab occupatione Status nostri Mediolani, ar-
,,cisque obsessione, præcipua fœderis sumatur occasio, operæ
,,prætium est, ut à capite rationem reddamus. Res igitur sic se
,,habet: Postquàm *Franciscus Sfortia*, hujus nominis primus, &
,,moderni Francisci avus paternus, Ducatum Mediolanensem
,,nactus est, seu veriùs occupavit, isque non descenderet à linea
,,Vice-Comitum Mediolanensium, sed ex persona uxoris, inca-

,,pacis

,, pacis fundi clientelaris, jus dicti Ducatus sibi vendicaret: nun-
,, quam tamen is, neque filius ejus primogenitus Galeacius Maria
,, Sfortia; nec ex ipso primogenito nepos Joannes Galeacius Sfor-
,, tia; ipsius Ducatus Mediolanensis investituram à Sacro Rom. 1520.
,, Imperio obtinere potuerunt. Successit his Ludovicus Sfortia,
,, moderni Francisci pater, qui affinitate cum Divo Maximiliano
,, Cæsare, avo nostro contractâ, primus ex Sforcianis investitu-
,, ram obtinuit pro se & filiis, ac descendentibus suis ordine succes-
,, sivo, gradu primogenituræ servato. Quo Ludovico, primo in-
,, vestito, adhuc vivente, insurrexit adversus eum Ludovicus
,, Dux Aurelianensis, indè Francorum Rex hujus nominis XII.
,, prætendens, quod si ex fœminea linea quispiam in eo Ducatu
,, rectè succederet, ipse præferendus foret, qui ex Valentina Phi-
,, lippi Mariæ Vice-comitis, veri Ducis filia, genus ducebat: pacto
,, etiam in contractu matrimonii adjecto, ut deficientibus mascu-
,, lis, Valentina succederet: quod vacante Imperio à Sede Aposto-
,, lica approbatum dicitur: Ipsa autem familia Sforciata ab illegiti-
,, ma posteriore genita originem traheret. Ortum est hinc bellum
,, inter Ludovicum Ducem Aurelianensem, & dictum Ludovi-
,, cum Sfortiam, qui Gallorum viribus & potentiâ non solum Du-
,, catu pulsus fuit, verùm etiam captivus in Galliam abductus est,
,, ubi tandem diem suum clausit extremum. Hinc Ludovicus Rex
,, intelligens se non esse tutum in Ducatu Mediolani, nisi à Sacro
,, Imperio investituram obtineret, inito fœdere cum Divo Maxi-
,, miliano Cæsare, avo nostro, colendæ memoriæ, actoque de
,, matrimonio, seu sponsalibus contrahendis inter nos, & Claudiam
,, ipsius Regis Ludovici primogenitam, revocataque per Divum
,, Maximilianum investitura eidem Ludovico Sfortia & liberis
,, anteà concessâ, investituram dicti Ducatus obtinuit pro se &
,, dicta Claudia ejus filia, casu quo nobiscum nuberet. Eâ lege
,, adjectâ, de expresso ipsius Ludovici suorumque Oratorum con-
,, sensu: Quod si sine culpa nostra, dictum matrimonium, inter
,, nos & Claudiam, quovis modo effectum non haberet, prout non
,, habuit, redderetur ipsa investitura dicto Regi, & Claudiæ filiæ
,, concessâ, inefficax nulliusque momenti: Verùm omne jus dicti
,, Ducatus Mediolanensis, ex ipsa investitura concessum, in nos
,, rectâ viâ transiret. Concessâ ex tunc, illis consentientibus in eum
,, casum, nova investitura in nostri personam præsentem ad id, &
,, nostro nomine stipulante & acceptante, reliquaque ad id requi-
,, sita solemnia peragente Serenissimo, felicis memoriæ, Philippo
,, Castellæ

„Castellæ Rege patre nostro. Quam investituram solemni formâ „conceptam, & per ipsum Divum Maximilianum tunc expedi-„tam, hactenùs penes nos asservamus. Et licet eo fœdere per „Regem Ludovicum violato, dictaque Claudia ejus filia nupta „Francisco moderno Françorum Regi, sicque conditione purifi-„catâ, investitura nobis conditionaliter concessa, validum robur „& effectum obtineret, ut jus dicti Ducatûs Mediolanensis in nos „translatum censeretur: ipse tamen Divus Cæsar Maximilianus, „tùm quia publicam potiùs quàm privatam utilitatem curabat: „tùm quia putabat jus nobis ex investitura prædicta quæsitum sal-„vum esse, nullumque præjudicium nobis tunc posse afferri, qui „in pupillari ætate constituti, sub illius tutela regebamur. Quo tu-„telæ officio fretus, jus illud liquidum, quod nobis competebat, „nec tacitè, nec expresse remittere poterat: novam eidem Gal-„lorum Regi Ludovico, pro se, & dictis Claudia filia, & Fran-„cisco genero investituram concessit, certis conditionibus nequa-„quàm observatis astrictam, neque à nobis, qui jus potissimùm „prætendere poteramus, approbatam. Qua de re, ipse Divus Cæ-„sar Maximilianus, violati fœderis vindictam prosequens, depulso „è Mediolani Ducatu dicto Ludovico Francorum Rege, sub co-„lore prioris investituræ, Ludovico Sfortia concessæ, & ut præ-„mittitur revocatæ, nobis in ætate pupillari & sub illius tutela „degentibus, Maximilianum Sfortiam, ejusdem Ducis Ludovi-„ci filium primogenitum, ad ipsum Ducatum Mediolani admisit „& induxit. At is possessor effectus, immemor beneficii in eum „collati, plura cum Gallis hostibus, in Sacri Imperii dedecus & „detrimentum molitus est: Indeque inito, ac percusso cum his „fœdere, prodidit idem arcem & statum, ac ad hostes transivit „cessitque Ducatui. Ex cujus capitali fraude, si quod jus in eo-„dem Ducatu habuisset, ad Sacrum Imperium devolvebatur. „Cùm autem Dux Franciscus gravi morbo correptus esset, Phi-„sicique de illius salute desperarent: placuit *V.S.* nos per Legatum „suum hortari, quatenus pro Italiæ quiete, ac ad submovendum „cujusvis suspicionis scrupulum, in casum mortis dicti illustris „Francisci Sfortiæ, Ducatum Mediolanensem nequaquàm in „nostra potestate retineremus, aut Serenissimo Fratri nostro „charissimo Ferdinando, Archiduci Austriæ concederemus: Sed „ipsum Ducatum tali personæ traderemus, de qua Principes Ita-„liæ nullum metum, nulliusque suspicionis objectum habere pos-„sent. Ad cumque effectum *V.S.* alterum duorum nobis proponi „jussit:

„ juſſit: aut Ducem Borbonium, aut Georgium de Auſtria Cæſa-
„ ris *Maximilliani* filium naturalem. Annuimus petitioni, licet ad
„ id nullo jure aſtringeremur: imò, ùt omnem prorſùs ſuſpicio-
„ nem tolleremus, quæ ad turbandam Italiæ tranquillitatem ten-
„ dere videretur, nominavimus in eum caſum illuſtrem Borbonii
„ Ducem, quem *V. S.* primò propoſuerat, in eum quidem inveſti-
„ turam conferre parati, non pro commodo, aut augmento noſtro,
„ ſed pro tollenda ea ſuſpicionis rubigine, quâ *V. S.* ac Principum
„ Italiæ animi angebantur: proque ipſius Italiæ quiete, quæ nobis
„ ſemper cordi fuit. Quid igitur cupiditatis nobis aſcribi poteſt?
„ Si Ducatum Mediolani & Statum tanti momenti, per nos recu-
„ peratum, quem licitè retinere poteramus, tot titulis, totque ju-
„ ribus fulti, ſemel illuſtri Franciſco Sfortiæ; iterum, ſi per illius
„ mortem ad nos devolveretur, ad *V. S.* nutum alteri concedere
„ non gravamur, pro quo, ſi Julius Cæſar reviviſcens, noſtram
„ perſonam indueret, aut hi, qui nobis cupiditatem affingunt,
„ forſan etiam jusjurandum violandum cenſerent. Nos tamen
„ ſponte noſtrâ, jus noſtrum tam liquidum abrogare & à nobis
„ auferri conſenſimus, excluſo etiam proprio Fratre, qui jure me-
„ rito cæteris anteponendus videbatur. Sed nunc ſubmovenda
„ reſtat cauſa illa gemitûs & doloris, quâ *V. S.* ac tota Italia tan-
„ tùm affligitur, occupationis ſcilicet ipſius Ducatus per noſtros
„ belli Duces, cum obſidione arcis, in qua Dux erat. Poſtquàm
„ Marchio Piſcariæ in intimam conjuratorum conſpirationem pe-
„ netraſſet, nobiſque fidem dediſſet ipſum Ducem Franciſcum,
„ hujuſce facinoris reum, ut ſe, Statumque à noſtra obedientia
„ ſubtraheret: inſtabat propterea cum cæteris Ducibus, ut ad has
„ molitiones repellendas, nevè majora indè incommoda ſequeren-
„ tur, ipſis licentiam daremus, ut Ducatum Mediolani in tuto col-
„ locarent, ni penitùs ab Italia excludi vellemus. Mandavimus eiſ-
„ dem, ne quid novi tentarent, niſi in tribus caſibus: Si Dux Fran-
„ ciſcus moreretur: Si Galli cum Helvetiis Italiam invaderent: vel
„ ſi factionum executio tentaretur, & hi priùs arma moverent. Ve-
„ rùm cum Hieronimus Moronus, primarius Ducis Franciſci Con-
„ ſiliarius, ac ejuſdem factionis, ut fertur, anteſignanus, crebris
„ literis monuiſſet Marchionem Piſcariæ, ut res ſuas diſponeret,
„ affirmando reliquos factionis ſocios jam paratos eſſe, ut intra
„ octo, vel decem dierum ſpatium infeſtis armis noſtros invadant.
„ Idem Marchio, re cùm cæteris Ducibus noſtris, in deliberatio-
„ nem vocatâ, captoque Morono, ac coäcto exercitu noſtro, Me-

H h „diolanum

„diolanum progreditur, Ducemque Franciscum interpellat, ut „pro securitate nostra,nostrique exercitus,arces & castra dicti Du- „catus, in manus Ducum nostrorum reponeret, idque Præfectis „illorum exequendum imperaret. Annuit Dux, duabus dumta- „xat arcibus, quas ipse muniverat, Mediolani scilicet, in qua ipse „recludebatur, & Cremona exceptis; has enim duas sibi recepe- „rat, donec de nostra voluntate certus fieret: Offerens interim „illas nostro nomine tenere, ac obsides dare, quod ex ipsis arcibus „exercitui nostro nullum damnum inferretur. Non placuit hæc „securitas Ducibus nostris: interpellant denuò, ac iterum, atque „iterum, requirunt sub pœna rebellionis, ac læsæ Majestatis cri- „minis confessi & convicti, ut arcem Mediolanensem in potesta- „tem nostram traderet, suique copiam faceret & adversus ea, de „quibus culpabatur, defensiones, si quas habebat, proponeret, „duosque rei conscios, quos penes se in arce habebat, dimitteret, „interrogandos ad ampliorem rerum gestarum dilucidationem. „At cum Dux his non annueret, nostri arcem circumvallant, & „interim de gestis nos admonent, approbationem à nobis expo- „stulant, instantque, ut eidem Duci rescribamus, mandemusque, „ut arcem nobis, aut nostris tradat. Verùm cùm res hæc præter „mentem nostram tentata esset, nunquam voluimus nec illorum „gesta approbare, nec Duci (ut petebatur) mandare, ut arcem „dimitteret. Semper enim censuimus, eam Ducis accusationem „debito juris ordine tractandam & terminandam. Hinc non tanta „causa doloris *Vestra Sanctitati* parata videtur, si Dominus clien- „tem ingratum & læsæ Majestatis reum, puniendum censeat: ni „forsan, quod in mentem nostram cadere non potuisset, id ge- „mendum dolendumque putet, quod eidem hanc foveam, in „quam incidit, sub specie charitatis paraverit, ipsumque in hoc „discrimen induerit. Quin potiùs ingemiscere deberet *S. V.* quod „sine justa causa, sineque culpa nostra, tam ingens excitetur in- „cendium, quo non solùm turbatur universus Ecclesiæ Status sed „tota offenditur Christiana religio. Nunc quod ad fœdus, sub „colore universalis pacis initum, attinet; testatur *S. V.* si ad „æquitatem & humanitatem nos referre voluerimus, illius arma „nobis non adversa, verùm ad res gloriosas profutura: Sin autem „in occupanda Italia, & aliis partibus Christianitatis perturbandis, „nos non tam naturæ, quàm cupiditati & consiliis nostrorum „obsequi perseveraverimus, *V. S.* libertati Italiæ, quâ illius sedis „tutela continetur, non defuturam, sed justa & sancta arma motu-

„ram

,, ram non tam ad offensionem, quàm defensionem. Habet *V. S.*
,, ex illis justificationibus, quas superiùs, adversus ea, quæ in nos
,, objecta fuerant, retulimus, nostram & æquitatem & humani-
,, tatem, simulque admixtam justitiam. Habet nos ab occupatione
,, Italiæ, & Christianitatis perturbatione, ab omnique cupiditate
,, alienum esse, nilque unquàm injustum, nil Italicæ libertati
,, contrarium per nos tentatum, imò nec cogitatum fuisse. Nos
,, enim ut omnis à nobis absit suspicio, si *V. S.* ejusque fœderati ar-
,, ma deponant, erimus pariter ad ipsorum armorum depositionem
,, promptissimi. Si igitur *S. V.* consulere intendat publicæ quieti,
,, reponat gladium Petri in vaginam, idque efficiat, ut etiam sui
,, fœderati arma deponant: hoc enim iacto fundamento, poterit
,, faciliùs *V. S.* eam superficiem pacis universalis exædificare, &
,, si animum adjicere velit, ut communibus Christianorum Prin-
,, cipum armis, hostes fidei ad ovile Christi adducantur: ut Luthe-
,, ranorum, aliorumque hæreticorum sectæ & errores compri-
,, mantur: deque his, quæ Romanæ Ecclesiæ, totiusque Reipub.
,, statum, salutem, conservationem & incrementum concernere
,, possunt, tractetur & conveniatur: veri Patris, ac Pastoris mu-
,, nus implebit, nosque comperiet devotissimum ac observan-
,, tissimum filium, illi ita obsequentem, ut nil injustum indebi-
,, tumvè petituri, aut desideraturi simus: quin potiùs justis aliorum
,, petitionibus satisfacturi: ac si expedierit, de proprio daturi &
,, dimissuri pro ipsius Reipub. Christianæ commodo, proque
,, Christianæ Religionis augmento. Pro quo etiam Imperium, reg-
,, na, dominia & quicquid nobis Deus & natura concessit, ac de-
,, nique vitam ipsam exposituri sumus. Quod si secùs quàm puta-
,, mus evenerit, protestamur coram Deo & hominibus, id nequa-
,, quàm nostræ culpæ ascribi posse, nil tamen prætermissuros de
,, his, quæ ad nostram necessariam defensionem videbuntur per-
,, tinere, quam totis viribus, atque conatibus prosequi cogemur,
,, omnibus viis, ac mediis, quibus & divino & humano jure nos
,, & nostra tueri licebit, & quibus honor & dignitas nobis salvi &
,, illæsi permaneant, & integrè conserventur. Obsecramus igitur
,, *V. Sanctitatem*, dignetur hæc Christianitatis incommoda & pe-
,, ricula, suâ moderatione sedare, ipsamque universalem pacem
,, dirigere, ac perpetuo fundamento stabilire. Datum in Civitate
,, nostra Granatæ, die 17. mensis Septembris 1526. Regnorum
,, nostrorum Rom. 8. aliorum verò omnium undecimo.

Exinde bellum communibus viribus geri cœptum; verùm non

Bellum Italicum. 1527. Cæsariani arcem Mediolani recipiunt. eos exitus, qui ſperabantur, ſortitum eſt: Nam Cæſareani non ſolùm arcem Mediolani receperunt, verùm etiam, fœderatos omnes procul ab urbe ſubmoverunt. Interim Pompeius Columna veritus periculum, quod rebus Cæſareanis & Columniæ domui à fæderatis copiis imminebat, privatæ dignitati, ac fidei, publicum decus antepoſuit, ne ſuccumbente fortaſſe Cæſare, omnes etiam Columniorum fortunæ peſſum irent. Ergò ſimulatâ podagræ moleſtiâ, in Tuſculanum ſe recipit, ubi copias ſedulus comparat, ſpecie defendendi Neapolitani regni, quùm reverà Pontificem ipſum adoriri meditaretur. Pontifex ampliore militum numero conſcripto, Columniis, ut copias extra Eccleſiaſticæ ditionis fines educant, edicit. Sed pactis callidè inducìis, & à Pontificè temerè exautoratis copiis, irruptione in Urbem ab hoſtibus factâ, Vaticanum Palatium, ac templum diripitur: Perterritus Clemens in, Hadriani arcem elabitur. Ubi cum nullus eſſet commeatus, triduò eum in poteſtatem redigere milites ſperabant. At Hugo Moncata, impii ſceleris pertæſus, in arcem, datis obſidibus, venit, & cum Pontifice, nequicquam reclamante Pompeio, pacem confecit, eâ inter alias conditione, ut Pompeio, & Columniis parceretur. At Pontifex poſt Hugonis diſceſſum, contra fœderis religionem, & obſidum fidem, duo millia Helvètiorum, & cohortes Italorum quatuor, quibus novas alias adjunxit, in Urbem introduxit. Cæſar ſex Hiſpanorum millia, & triginta onerarias naves in Italiam miſit, duce Carolo Lanoïo: Ferdinandum fratrem per literas precatus, ut Duce Georgio Fronſpergio tres Germanorum legiones Lanoii copiis adjungeret. His, ne Padum tranſirent Feltrius Urbini Dux & Joannes Medices, cum Pontificiis cohortibus occurrerunt. Quo prælio Medices tormenti glande vulneratus, oppetiit. Pontifex ea re motus, immiſſo in Columniorum oppida exercitu, cuncta vaſtari jubet, Sacris Columnios interdicit; & Pompeium Columnam Senatorio Ordine motum, hoſtem Reipublicæ pronuntiat. Pompeius ubi ſuorum oppida diris flagrare incendiis, & omnia cæde compleri audivit: Lanoium rogat, ut copias in hoſtilem agrum educat. At Clemens animum non remittens, Valdemontium Lotharingiæ reguli fratrem in Italiam accerſit, qui navibus confeſtim adnavigans, Salerno expugnata, Neapolim aggreſſus, Moncadam, qui Urbi pro Cæſare præerat, cum civium multitudine intra mœnia recedere coëgit. Sed Borbonii metu, & ærario exhauſto, tandem Idibus Martii 1527. pax rurſus inita, conſcriptæque renovati fœderis leges

Columnii in Urbem irrumpunt, fugit Pontifex in molem Adriani.

Pontifex Columnios Sacris interdicit, hoſteſque Reipub. pronuntiat.

ges, hâc formulâ: ,, Ut Pontifex pro stipendiis Cæsarianorum militum, sexaginta aureorum millia, solveret: Cæsari jus regni Neapolitani, ac Pompeio Columnæ veterem dignitatem restitueret: ,, Franco, Venetisque intra certum tempus admittendarum induciarum jus esset; quod si fecerint, Cæsar, Germanos milites in ,, Italia bellantes, dimitteret: sin minùs, Pontificis saltem, nec ,, Florentinorum fines intrare permitteret: Prorex Lanoïus legibus firmandis Romam veniret. His, chirographis & signis munitis, copiæ utrimque revocantur, loca capta restituuntur, Pontifexque copias omnes incautè dimittens, præproperè se exarmat; existimabat enim Borbonium auctoritate Lanoii motum, nihil jam ausurum. At longè secus res accidit. Nam cùm ea pecunia non suppeditaret duorum mensium stipendia, milites non modò Borbonii, sed ipsius etiam Lanoii improbantes pacem, ac prædæ spe accensi, tantâ celeritate, altis superatis fluminibus, rapiebantur, ut opinione citiùs, ad Vaticana mœnia advolârint. Inopinato hostium adventu Clemens exterritus, modò consilium à Patribus, modò à Ducibus implorat industriam, pallet, trepidat, postremò fugere, an manere tutius foret, anceps hæret. Interim Rentius Ceres, subitariâ militum & civium collectâ manu, infausto conatu Leoninam urbem, quam suburbium vocant, dùm sociorum auxilia adessent, defendere satagebat. Pontifex enim Feltrium, aut Guidonem Rangonum, quos pluribus beneficiis devinxerat, cadenti Urbi laturos suppetias rebatur. At pridie Nonas Maii impressione factâ, dùm in murum eniti Cæsariani contendunt, ab Helvetiorum prætoria cohorte fortiter repelluntur. Quo in tumultu Borbonius ipse, scalam vetusto muro admovens, per inguen dextri femoris glande trajectus, occubuit. Plures etiam, qui densato agmine prorumpere tentabant, emissis majore tormento pilis, discerpebantur. Tandem per ignobiles casas muro succedentes, Romanam plebem, quæ sub vexillis regionum convenerat undequaque interceptam, crudelissimè trucidârunt, adeoque sævitum est, ut nec templis, nec ipsis adytis latitantes, aut ad Sacrosanctam aram confugientes, vitam tuerentur. Audito ruentium strepitu, & miserabili cadentium ejulatu, Pontifex citato gradu in Adriani molem profugit. Sacro-Sancto & toto orbe venerabili templo, & suburbio cruentatis, & occupato Sixti ponte, septemque millibus hominum trucidatis, Germanorum legiones tres, Hispanorum sex millia & quatuor Italorum peditum millia, ac magna levis armaturæ manus, ex diversis nationibus collecta, quæ quadraginta

Leges pacis inter Pontificem & Cæsarianos.

Cæsariani Urbem adoriuntur.

Borbonius glande trajectus, occumbit.

Irrumpunt in Urbem, fit cædes & strages ingens.

Pontifex fugâ salutem quærit.

hominum millia conflabant, in Urbem irrumpunt: tùm arcem circumsident, ac perductis fossibus circumvallant, ubi Pontifex per integrum obsessus mensem, tandem cum Lanoïo, qui Senis erat, ac Aurantio, quem veterani, loco Borbonii, Ducem salutârant, Vallio, Moncada, ac Alarcone, qui Neapoli Romam venerant, his legibus, sexto Junii, transigit: „Pontifex in stipendium „Cæsarianorum militum, præfinitis temporibus, quadringenta millia aureorum nummûm persolvito, ac statim dena millia „præsentato. Cum tredecim Cardinalibus in mole Hadriani custo„ditor, donec prima pecuniæ pensio sit persoluta, tùm Neapolim, „aut Caietam proficiscitor, expectaturus Cæsaris decretum. Exindè Alarco cum tribus Germanorum, ac totidem Hispanorum signis arcem ingressus, Pontificem cum Patribus arctè custodit, cæteros omnes dimittit. Erant hæc Pontifici longè gravissima, quùm nulla omninò ratio repræsentandæ pecuniæ reperiretur: tandem, ut militibus faceret satis, omnia ornamenta sacra, argenteaque vasa conflari, ac pecuniam cudi jubet: Sed quùm tantæ multitudini non sufficeret, tres purpureos galeros venales exposuit, ut qui eam dignitatem ambirent, prolatâ vi auri, licitando assequerentur. Sed cùm nec ea pecunia, ex divendita Purpuræ dignitate collecta, sat esset: Pontifex re & consilio inops, obsides dare, quos milites optassent, coäctus fuit. Intereà Pompeius Columna Pontifici conciliatus, à divitibus cupediariis mutuam pecuniam impetravit, & Pontifex Cardinales sex, pretio in Senatum legit, ut ampliore stipendio, furentes Germanorum copias mitigaret. Obsides prætereà Cardinales quinque dedit, & sic post menses septem, à die quo captus fuerat, pace confectâ, *Clemens* mutato habitu, comitante Ludovico Gonzaga, Orbitum Tusciæ oppidum properavit.

Pontifex obsessus in mole Adriani.

Leges pacis.

Pontifex tres purpureos galeros venales exponit.

Primum cladis nuntium Cæsar accepit Hispali, dùm cum Isabellâ Regis Lusitaniæ filiâ nuptiale sacrum celebrat. Tum vetitis publici gaudii signis, scribit ad Principes Christianos, testaturque ex eo casu animi sui exulcerationem, ac inter cæteros scripsit ad Henricum VIII. Angliæ Regem, hâc propemodùm phrasi:

Nuptiæ Cæsaris cum Isabella Lusitana.

„REx *Serenissime, Avuncule ac Frater charissime.* Tametsi non dubitamus *Serenitati vestræ* obnuntiatam esse, calamitatem, „quæ Urbem Romam nuper afflixit: eandemque hunc casum „ad lancem trutinamque prudentiæ suæ, ac æquitatis appendisse: „nihilominùs operæ prætium nos facturos duximus, *Serenitatem*

Litteræ Cæsaris ad Henricum VIII. Angliæ Regem.

„*Vestram*

„*Vestram* hac de re penitiùs monere, ejusque prudens consilium „exquirere, ut quid in hoc rerum articulo nobis agendum sit, sug- „gerere non gravetur. Quæ nostra hactenus de Reipub. Christ- „næ salute, pace & tranquillitate fuerint consilia, adeò *Serenitati V.* „nota arbitramur, ut nullâ hominum malitiâ, fama honorvè no- „ster ulla ex parte lædi posse videatur. Semper enim ejus animi „fuimus, ut non fucatis verbis & à veritate alienis, ut à plerisque „fit, sed re ipsâ omnes actiones nostras, non apud paucos, eos- „que omnis recti judicii expertes, sed apud Deum ipsum Opt. „Maximum qui corda scrutatur, & apud universam Rempubli- „cam Christianam comprobaremus. Hinc enim (ne vetustiora „repetamus) dùm proprii commodi, atque etiam gloriæ obliti, „Reipublicæ quieti ex animo consulere optamus, Gallorum Re- „gem, quem (ut omnibus notum est) optimo jure captivum deti- „nebamus, postquam omni humanitate, atque benevolentiâ in „his nostris Hispaniarum regnis excepimus, tot eum beneficiis in- „super affecimus, ut, si suæ ipse felicitati non invidisset, in Tici- „nensi conflictu non modò non cecidisse, sed vicisse videri potuis- „set. Hostis erat, illi charissimam Sororem nostram natu maxi- „mam, & in tantorum regnorum successionis gradu secundam, „matrimonio collocavimus, ut ex hoste Sororius fieret. Cristianæ „tranquillitatis perturbator communi omnium judicio habebatur; „communis salutis gloriam illi impartiri voluimus. Multa à Præde- „cessoribus nostris violenter occupaverat, & præter jus fasque de- „tinuerat, jura in his nostra illi concessimus, solumque ab eo pe- „tivimus, quæ citrà honoris, & dignitatis nostræ diminutionem, „ac subditorum nostrorum perpetuam offensionem, omittere ne- „quivimus. Hisque beneficiis affectum, regiæ dignitati restitui- „mus, atque (multis licet dissuadentibus, qui minùs ejus fidei cre- „dendum asseverabant) illi in Galliam abeundi copiam fecimus: „maluimusque ejus fidem experiri, quàm ut ulla Christianæ Rei- „pub. mala (Si quæ forsan evenirent) quovis modo crimini nostro, „nostræve culpæ ascribi possent. Dumque intestinis seditionibus „pacatis, iter nostrum (uti conventum erat) ad Italiam paramus, „armaque nostra in sempiternos religionis nostræ hostes, commu- „nibus auspiciis convertenda, disponimus, quibus & Hungaria „defendi, & hostes submoveri potuissent: Ille sævissimum bellum „in nos parat, initoque cum Rom. Pontifice, aliisque Italiæ Prin- „cipibus fœdere offensivo, regnoque nostro Neapolitano hastæ „& sectioni subjecto, dùm alter vanis pollicitationibus, omnia

quæ

„ quæ nobis promiserat, se præstiturum asseverat: alter verò ad
„ Hungariæ defensionem nos invitat, nostra, ac Sacri Rom. Im-
„ perii dominia infestis armis invadunt. At ubi id à Pontifice, ani-
„ mo in nos offensiore, emanare audivimus, Hugonem de Mon-
„ cada, Oratorem nostrum, ad eum legavimus cum amplissimis
„ mandatis, ut omnibus mediis, quibus id fieri posset, ejus desi-
„ derium expleret. Ità, ut homine audito, nostroque animo per-
„ specto, nil aliud à nobis optasse, suis ipsemet verbis fateretur.
„ Dumque nil tanto Pastore indignum nobis pollicentes, ejus res-
„ ponsum præstolamur: Nuntius suæ Sanctitatis literas nobis le-
„ gendas dedit, in quibus nihil præter bella, seditiones, perniciosa
„ consilia, improperia, injuriæ, falsæ criminationes, aliaque hujus-
„ modi (à Pontificia dignitate aliena) tractantur, idque in nos op-
„ timè de Repub. Christiana meritos, & qui omni fide, religione,
„ & observantiâ Sanctam Sedem Apostolicam venerati, ejusque di-
„ tionem, ac dignitatem tutati sumus. Parmam enim & Placen-
„ tiam à Rom. Imperii feudo disjunctas, Sedi Romanæ, nullo urè
„ coacti, possidendas restituimus: importunasque Germaniæ, &
„ universi Rom. Imperii preces contra oppressiones, quas à Sede
„ Romana pati passim conquerebantur, obturatis auribus, pro
„ innata nostra ergà Apostolicam Sedem observantia, obaudivi-
„ mus. Quæ cum Summis Pontificibus Leoni X. & Adriano VI.
„ probè nota essent, ii suis viribus justæ nostræ causæ adesse non
„ negârunt. At, postquam Clemens ad Romani Pontificatus solium
„ evectus est, obliteratâ memoriâ omnium beneficiorum, quibus
„ non solùm Sedem Romanam, sed & ipsum speciatim affecimus, à
„ pessimis quibusdam consultoribus, eò se abduci sivit, ut cum Rege
„ Gallorum, aliisque Italiæ Principibus, novum contra nos fœdus
„ percusserit, idque eo consilio, ut exercitus nostros ex Italia
„ eiiciant & exterminent, Regnumque nostrum Neapolis (quod
„ inter se partiti sunt) vi invadant & occupent. Et licet æquissimas
„ conditiones Pontifici offerri jussimus, priusquam aliquid armis
„ tentaretur, eas tamen rejecit, certò sibi persuadens, se regnum
„ nostrum in suam potestatem vendicaturum. Quamobrem, ut in-
„ nocentiam nostram Deo, ac hominibus probaremus, Rom.
„ Pontificem, Sacrumque purpuratorum Patrum collegium, ro-
„ gavimus non solùm, verùm etiam obsecravimus, ut arma depo-
„ nerent, neque nos invitos, ad pernitiosum Reipub. Christianæ
„ bellum provocarent. Insuper hæc denunciavimus: Si eveniat
„ Italiæ agros vastari, urbes diripi, incendia vagari, cædes com-
„ mitti,

„ mitti, id Pontifici, ipsisque deberi, qui eam camarinam movent.
„ At preces & vota nostra non fuêre exaudita. Igitur dùm Pontifex
„ bellum & arma buccinat, ut ejus conatus infringeremus, eos-
„ que à subditorum nostrorum cervicibus submoveremus, scrip-
„ tum in Hispaniis exercitum, ad regni nostri Neapolitani tute-
„ lam trajecimus in Italiam, legionesque nostras in Ducatu Me-
„ diolanensi, ex novo Germanorum delectu supplevimus. Cum-
„ que Pontifex in dicto regno nostro, urbes aliquot expugnasset,
„ copiæ nostræ, ut laborantibus succurrerent, Romam viam ra-
„ puerunt. Quo audito, Pontifex cum Prorege nostro, octo men-
„ sium inducias pepigit: & licet conditiones essent admodùm ini-
„ quæ, rebusque nostris damnosæ, maluimns nihilominus eas ra-
„ tas habere, quam illatas injurias ulcisci. Verùm antequam ap-
„ probatio nostra ad Pontificem transmitti posset, exercitus noster
„ veritus, ne pactæ induciæ eundem sortirentur exitum, quem
„ habuerat fœdus, quod Moncada nostro nomine cum Pontifice
„ priùs inierat, viam rectà Romam tenuit, Ductoribus nequic-
„ quam renitentibus: ubi postquam cecidisset Borbonius, qui exer-
„ citui cum imperio præerat, milites efferatis animis, eam stra-
„ gem ediderunt, quam hostes in maius extollunt. Quamvis au-
„ tem fatalis hic casus, justo Dei judicio evenerit, qui injurias no-
„ bis illatas ultum ire decreverat; id tamen non absque ingenti
„ cordis dolore referre cogimur, maluissemusque non potiri victo-
„ riâ, quàm eo modo superiores discedere. Quoniam verò Deo
„ Opt. Max. ita visum fuit, cujus arcana inscrutabilia sunt, no-
„ strum est, mentem nostram ad ejus voluntatem fingere, atque
„ componere, actionesque nostras eò dirigere, ut simultatibus
„ tandem depositis, labenti Reipub. Christianæ subveniatur. Et
„ quia hanc *Serenitatis Vestræ* mentem quoque esse planè confidi-
„ mus, ideò eandem rogamus, atque obtestamur per eum, qui
„ est Rex Regum, ut hanc causam seriò suscipiat, pariterque sug-
„ gerat optima consilia, ad sedanda & persananda incommoda &
„ pericula, quibus Respub. Christiana undique laceratur & con-
„ cutitur. Pollicentes nos factis & operibus comprobaturos, nihil-
„ que omninò ex parte nostra omissuros, quod ad rem ipsam
„ rectè disponendam & peragendam facere videatur. *Serenitati*
„ *Vestræ* veram à Deo Opt. Max. felicitatem & omnis boni incre-
„ mentum ex animo optamus. Datum Vallisoleti, quarto Nonas
„ Augusti, anno reparatæ Salutis, supra sesqui millesimum, vi-
„ gesimo septimo.

Ad Cæsaris literas Rex Angliæ, fœderi jam aſcriptus, nullum reddidit reſponſum. Etenim Annæ Boleniæ fatuis amoribus ſtolidè irretitus, ſtatuerat *Catharinæ* conjugi, Cæſaris materteræ, repudium renunciare; hocque officio Pontificis animum demereri. Fœderis leges erant: „Ut Anglus ſingulis menſibus Angelotos „ſexagies mille perſolveret: Veneti in ſociale bellum decem hominum millia ſubminiſtrarent, Florentini quinque. Tum Foxæo Lautrechi Domino in omnes fœderatorum copias ſummum datum imperium: qui cum juſta manu in Italiam veniens, majoribus è Gallia, ac Helvetia ſubſequentibus copiis, pulſo Ludovico Lodronio, Boſium oppidum expugnat, Alexandriam ad deditionem adigit: tùm poſitis ad Ticinum caſtris, verberata tormentis arce, in Urbem, cæſo præſidio, irrumpit, direptaque, ferro & flammis vaſtat.

Fœdus pactum inter Pontificem, Francum, Anglum & Venetos.

Boſium expugnatum, Alexandria dedita, Ticinum direptum flammiſque vaſtatū.

1528. Graſſabantur adhuc Romæ Cæſariani milites, donec Lautrechi irruptione excitati, Ducum ſe imperiis ſubiicientes, Romam deſerunt. Obierat menſe Octobri Cajetæ Carolus Lanoïus Belga, Prorex Neapolitanus, illique ſuffectus eſt, Philibertus Challonius, Aurantii Princeps. Interim Lautrechius verſus Neapolitanum regnum exercitum ducit: Verùm Aurantius & Vaſtius copiis longè inferiores, Gallos morâ & cunctatione debellandos cenſebant, ob idque tripartito agmine Neapolim contendunt, ac decem peditum millia in Urbem inducunt. Nec multò poſt Lautrechius cum omnibus copiis, editis in collibus caſtrametatus, validis operibus munitionibuſque ſe circumſepſit, eo conſilio, ut longam obſidionem inſtitueret, famemque civitati inferret: atque eam in rem, accitus à Lautrecho Philippus Doria, Andreæ, Gallicæ claſſis præfecti, legatus, cum octo triremibus ad Neapolim venit, ut portum clauderet, atque omnem commeatus ſpem obſeſſis admiret. Inſuper Venetorum quoque triremes circiter viginti, propediem venturæ nuntiabantur. Quâ rerum famâ adducti Cæſariani Duces, priuſquam Venetæ triremes Siciliæ fretum tranſirent, cum Pilippo Doria confligere ſtatuerunt. Habebant Cæſariani ſex tantùm triremes, biremeſque duas; confiſique virtuti militum, & quatuor magnarum navium ſcaphis, quas ſclopetariis impleverant, concurrere roſtris, manuſque conſerere minimè dubitabant. Igitur è Pauſilipo ſolventes, ad inſulam Capreas contenderunt, atque indè diſcedentes in conſpectum hoſtium venerunt. Decretum erat, ut Philippus quinque roſtratis ſuis in Cæſarianos inveheretur; cum reliquis vero tribus Nicolaus

Neapolim aggrediuntur.

laus Lomellinus in altum evadens, reflexoque opportunè remigio, in puppes lateraque hostilium navium incurreret. Itaque Philippus se ad pugnam obtulit, neque Hugo Moncada, vel ob id eam detrectans, quod tres Lomellini triremes, concepto metu, aufugere crederet. Ubi appropinquatum est, cruento prœlio decertatum est: nam septingenti circiter veterani milites Hispani, præter totidem remiges & nautas Cæsarianæ classis, aut trucidati, aut demersi periêre: Et Philippus victor remiges & epibatas quingentos, atque unum omninò trierarchum desideravit. Obsessi, tametsi exuti classe, ac veteranorum militum longè fortissimos amisissent, nihil sese animis demiserunt, sed crebris eruptionibus hostem fatigabant. Intereà æstate jam à solstitio in autumnum inclinante, pestilens lues per universum Francicum exercitum grassari cœpit: ea à militibus facto initio, qui pomorum omnis generis, maturescente vindemiâ erant avidissimi; deindè in primores exercitus provecta, stragem immodicam edidit. Quapropter plerique Ducum, aut morbo tentati, aut mortis periculo perculsi, relictis castris, in proxima oppida secedebant. Nec ipse Lautrechus ab hac lue immunis fuit, qui postridie Augusti excessit è vita. Eo mortuo, Salussius Marchio, qui unus è tot Proceribus, perstabat à morbo integer, summam Imperii curam suscepit. Intereà Galli duces, asperrimis rerum omnium incommodis conflictati, ex communi omnium sententia, damnatis castris, ac muralibus tormentis, omnique graviore castrensis apparatus instrumento, sub auroram, militem in tria agmina divisum, castris educunt, ut Aversam se recipiant. Qua re cognitâ; Aurantius continuò cum expedita parte exercitus in eos erumpit, eosque assecutus, perrupto profligatoque novissimo agmine, pari sorte medium agmen ab eodem victore equitatu fusum, ac armis & sarcinis, militaribusque vexillis & tormentis exutum est. Sallusius verò & Rangonus expeditum nacti iter, cum primo agmine Aversam intacti pervenerunt. Quibus inter mœnia receptis, Cæsariani Duces tormenta ad Aversam pervehi jusserunt, quibus verberatus murus, ac ampla satis ad irrumpendum illatâ labe, Aversani metu instantis cladis perterriti, Salussium adeunt, orantque suppliciter, ne pertinaciâ suâ fidelem miserrimamque Urbem, in ultimum salutis discrimen adducere velit. Igitur Salussius eorum precibus fatigatus, per idoneum hominem ad arbitrium victoris indecoram deditionem fecit: sicque tertiùm Hispani virtute suâ Neapolitanum regnum compararunt. Afflictas Fœderatorum ad Neapolim res Andreæ

Pugna navalis inter Gallos & Cæsarianos.

Pestilens lues grassatur in exercitus Francorum.

Galli movent castra.

Aversa à Cæsarianis capta. Gallique deleti.

Defectio Andreæ Doriæ à Gallis ejusque querela.

Doriæ defectio, deindè in Insubribus prostravit. Ille gravissimè conquerebatur, quod Franciscus Rex, Philibertum Aurangium, ab se mari captum, & prægrandem pecuniam pro redemptione pollicentem, nullo pretio, post Madritianum fœdus, dimisisset; neque pro captivo ullam omninò pecuniam (prout jura militiæ postulabant) rependisset, eumque pro accepto munere aliam non reddere gratiam, quàm ut ipsum meritorum stipendiorum spe, & longâ expectatione frustraretur: Ad hæc, quod Genuam, patriam suam, Rex inclementiùs haberet; Savonam ejus Imperio subtraheret, ibidemque portum & emporium condere statuisset. Igitur repudiatâ Regis amicitiâ, remissoque ad eum torque conchyliato, quem honoris causâ ab Rege delatum, acceperat, Sacramento militari se absolvit, & ad Cæsarem se applicuit, cui in posterum inviolatâ fide adhæsit. Itaque deletis ad Aversam Gallis, cum duodecim triremibus Genuam est reversus, eo consilio, ut Gallos urbe depelleret, atque omni externo dominatu excluso, patriam intestinis malis diu afflictam & oppressam, in libertatem, suis auspiciis, assereret. Igitur noctu classem ad portum applicat, & rostratarum singularum scaphas militibus complet; jubetque, ut exploratum intra molem præcedant. Hi per notos sibi aditus urbem intrant, ac pulsis Gallorum excubiis, forum, ac ipsum Prætorium, depulsâ Helvetiorum cohorte, occupant: mox Theodorum Trivulcium, urbi præpositum, in arce obsident, qui honestâ pactione arce redditâ, humanissimè dimissus, ad Gallorum præsidia se recepit. Nec multò post, Doria Savonam in potestatem redegit: Noviumque item oppidum, & Vadum Castellum: atque uno victoriæ cursu Castelleti arcem, deserentibus Gallis, receptam funditùs evertit, ne ulla extaret arx, quæ reponendo servitutis jugo, vel civibus, vel externis Regibus occasionem afferre posset. Indè Senatus, Populusque Genuensis, legem rogavit, ut Andreæ Doriæ, vindici, atque auctori publicæ libertatis, statua è Lunensi marmore decerneretur.

Doria, pulsis Gallis Genuam in libertatem asserit.

Statua ei à Senatu Populoque decreta.

Intereà Franciscus Borbonius, cognomento Sancti Pauli regulus, novas copias è Gallia, in ditionem Mediolanensem adduxerat, seque Urbinati, Venetorum Præfecto, adjunxerat; ac speciem præbentes obsidendi Mediolani, tandem mense Octobri 1528. Ticinum aggrediuntur. Nec mora; Feltrius felici industriâ, traductis ultrà Ticinum majoribus tormentis, viquè illatâ, post dies aliquot cum multa cæde capiunt diripiuntque. Dein imminebant Mediolano. Verùm abjectâ Mediolani oppugnandi cogitatione,

Galli & Veneti reparato exercitu, Ticinum aggrediuntur.

tione, de recuperenda Genua deliberârunt. His constitutis apud Landrianum vicum, Sancti Pauli Comes ad iter se accingit, petitque Ticinum. At Antonius Leva, qui diligentissimè in eam excubabat curam, ut ex occasione hostibus noceret, præfectos omnes advocavit, instructisque militibus, paratos ad profectionem, de secunda vigilia adesse jussit. Nec mora, præmittit equitatum, duplicique instructâ acie, ad hostes contendit, quos expediendis impedimentis intentos, deprehendit. Sampaulinus cum oriente jam sole, hostium agmina conspexisset, obstupuit, gravique metu correptus est; In hac perturbatione, tumultuosissimè aciem instruere cogitur. Præbuit Levæ fortuna spatium parandæ victoriæ ab inopinato casu: nam cum majoris tormenti currus, perfractis rotæ axibus, media lutulenta in via concidisset, ad tormentum luto eruendum, milites plurimi, atque ipsi equites incumbebant: Cùm ecce Leva inexpectatus enitentem circa lutum militem adoritur. Sampaulinus quamquàm deprehensus, aut dejectus animo, pedites Germanos in pugnam educit, cùm extemplò Germani turpissimè terga vertunt. Germanos Galli pedites, & secundùm eos Italicæ etiam cohortes, secutæ sunt. Ipse Sampaulinus dum latam fossam, equi saltu, superare conatur, captus est. Eandem sortem tulit Claudius Rangonus, aliique. Antonius Leva omnibus tormentis, atque vexillis potitus est. Quâ clade territi Galli, universâ derelictâ Insubriâ, in Galliam reversi sunt; ac tot cladibus acceptis, res ad pacem spectare cœpit: ac primus quidem Pontifex *Clemens* Barcinonem profectus, fœdus cum Cæsare, seorsim ab aliis percussit, vigesimo nono Julii 1529. his conditionibus: „ Inter Pontificem & Cesarem pax perpetua esto. „ Cæsar Alexandrum Medicæum, traditâ ei in uxorem filiâ nothâ, „ Margaretâ Austriacâ, Florentiam reducito, ac in majorum au„ ctoritate constituito. Ut Apostolicæ Sedi, sine fraude Imperii, „ restituatur Cervia, Ravenna, Mutina, Rhegium, ac Ruber„ cia, Cæsar operam dato. Pontifex Cæsari diploma de justa Reg„ ni Neapolitani possessione concedito, candidique tantùm coloris „ equi tributum accipito. Pontifex, ac Cæsar in Italia ad collo„ quium prodeunto. Cæsar Francisci Sfortiæ rationem habeto, „ ejusque causam judicibus non suspectis committito.

Francorum clades.

Fœdus ictum inter Clementem Pontificem & Cæsarem.

Postquàm *Franciscus* Rex infeliciter bellum in Italia gessisset; seriò & ipse animum ad pacem applicabat, in eam curam totus incumbens, ut liberos quos obsides dederat, redimeret. Nec ab ea alienus Imperator erat, propter terrorem, quem *Solimannus* incu- 1529.

 tiebat,

tiebat, non Pannoniæ modò, sed paternis ejus Regnis; quandò certior fama vulgabatur, eum cum centum quadraginta hominum millibus egressum Pannoniæ finibus rectà od oppugnandum Viennam contendere: deinde percupiebat in Italia, de more Imperatorii diadematis coronam sibi imponi. Ita detersis superioribus odiis, Ludovica Allobrox Regis Francisci mater, & Margareta Maximiliani filia, Cæsaris amita, Septimo Julii 1529. ad Cameracum convenerunt. Aderant Legati ab Pontifice, Capuanus Archiepiscopus, & ab Rege Anglo, Antistes Londunensis, & Suffolciæ Dux. tandem post varias disceptationes, nonis Augusti in eas leges consensum est: „ Ut pax Madriliana, paucis immutatis, fixa „ & rata esset. Acquiesceret Cæsar juri, quod sibi, tempore fœ„deris Madriliani, ac anteà in Ducatum Burgundiæ, Comita„tum Auxerroi & vicina, competebat. Rex reditu annuo mille „ librarum Viennensium, quas in Salinas Ducatus sibi vindicabat, „ cederet. Margaretam Austriacam, ejusque successores, in per„petuum quoque omni tributo, quod in Salinas Comitatûs Bur„gundiæ, Rex sibi asserebat, liberaret. Rex pro redemptione „ suorum liberorum Cæsari vigesies centena aureorum millia puri „ puti auri persolveret: mille ducenta millia ante instantis Martii „ Calendas, quibus Rex liberos esset recepturus: ducenta nona„ ginta millia nomine Cæsaris, Regi Angliæ, redditis Cæsari syn„ graphis: & pro reliquis quingentis, ac decem millibus annona„ riâ pensione quotannis viginti qninque millia, ac quingentos „ donec sors solvatur, supra omnia bona Ducis Vendomi in Bel„ gio, & aliorum Gallorum. His conditionibus impletis, Cæsar, „ dato diplomate, Regem à fœderis Madriliani legibus liberum „ pronunciet. Rex die quinto decimo ante liberorum redditionem „ ex Italia copias omnes revocet: ditionem Hesdinam, cum op„ pido, arce, ac tormentis, Comitatui Atrebatensi, restitueret. „ Rex omni jure & prerogativâ, quam in Flandriam, Artesiam, „ Tornacum, Mortangam, Duacum, Insulas, ac Orchiacum „ sibi tribuere potest, cederet, eaque à provocatione ad Curiam „ Parisiensem in perpetuum eximeret. Contrà Cæsar juribus, „ & actionibus, quas in civitates ad Somonam amnem sitas, alle„ gare potest, renuntiaret. *Leonora* Cæsaris Soror Regi nuptura, „ cum Regis prolibus proficisceretur, dictis in dotem ducentis au„ reorum millibus; eâ lege ut, qui ex ipsa nasceretur puer, Bur„ gundiam patrimonii jure possideret; cui Rex centum aureorum „ millia adderet, nomine sex millium peditum, quæ Cæsari mis-

Pax Cameracensis.

surum

"missurum receperat. Rex Roberto Marcano suppetias nullas "ferat; Ducatumque Bullionium, à Cæsare Antistiti Leodiensium Everardo Marcano adjudicatum, relinqueret. Philiberto "Challonio, Aurantii Principatum restitueret. Carolus Egmundius Gelriæ Dux, Cæsari reconciliatus, hoc fœdere compre-"henderetur.

Itaque ad pacis confectæ nuntium, Gallicarum partium Duces Apuliæ urbes tradiderunt, ac pacem certis conditionibus fecerunt. Florentini fœdere Gallico illigati, libertatisque studiosi, Mædicæos, & Optimates contumeliosè urbe ejecerunt, antiquosque ritus divinarum humanarumque rerum, usque adeò insolenter perturbârunt, ut in florentissima dudum urbe, publica salus conconclamata videretur. Quam injuriam *Clemens* Pontifex Cæsaris auxilio, vindicaturus, acciverat sub finem Julii Philibertum Aurantium, Cæsaris exercitus Imperatorem, & cum eo de referendo Florentinis bello, consilia inierat: Mox Alphonsus Vastius cum Hispanorum cohortibus, & Ferdinandus Gonzaga cum equitatu in Hetruriam descenderunt: Germanorum quoque copiæ ex agro Mediolanensi Brixianoque, Cæsaris jussu deductæ, eò pervenerunt. Has copias in unum coactas, Vastius à citeriore Arni Fluminis parte, in suburbana ad conspectum Florentinorum perduxit, trans Arnum ab Aurantio obsidione, & minutis lentæ oppugnationis præliis, premerentur; omnisque pabulatum & lignatum exeundi facultas, adimiretur. *Seditio Florentinorum.*

Intereà Cæsar cùm jam septennium in Hispania exegisset, novem peditum millia, ac mille equites, navibus onerariis imponens, pridie Idus Aug. 1529. Genuam appulit. Ipse quoque Pontifex, cum universo cœtu Cardinalium, minorumque præsulum, Bononiam contendebat, ut Cæsarem opperiretur: Dum Genuæ subsistit Cæsar, audit Florentinorum Legatos, qui ab ejus æquitate ac clementia demissè postulârunt, ut civitati parcendum duceret; si quid fatali coacti bello, majestatem ejus læsisse videretur, paratam esse cuncta facere, quæ imperaret, modò eam vetere libertate frui pateretur. Ad ea respondit Cæsar: Florentinos iniquè, arroganterque fecisse, qui nullâ lacessiti injuriâ, Gallis hostibus suis adhæsissent, ictoque fœdere Hetrusca auxilia, oppugnandis ipsius Ducibus, Neapolim misissent. Quo inexpiabili delicto, superiorum Cæsarum concessas libertatis immunitates, ingratè, ac perfidiosè corrupissent: Hæc, tametsi uti maximè fœda, armis vindicanda essent, se tamen noxam, & Majestatis crimen pro sua clementia *Cæsar venit Genuam.* *Audit Florentinorum Legatos.*

clementia remissurum, si Sacrosanctum Pontificem, ac Medicæos, civesque de Florentina Repub. optimè meritos, (quos protervè ejecerant) conversis voluntatibus reciperent. Cum hoc Cæsaris responso Legati discesserunt.

Profectus Bononiam deprecante Pontifice Franciscum Sfortiā in gratiam recipit, inque hæreditatem paternam restituit.

Intereà Cæsar tertio Cal. Septembris Placentiam venit, ubi cùm duos circiter menses exegisset, Bononiam contendit, quo jam paulò ante Cal. Novemb. *Clemens* pervenerat: exceptus triumphali pompâ ac incredibili omnium lætitiâ. Tum Pontifex à Cæsare postulabat, ut Francisco Sfortiæ, deprecantis Italiæ precibus condonaret, si in Majestatem aliquid, ingrato infidelique animo lapsus, admisisset. Evocatur extemplò Bononiam Sfortia, procumbit ad pedes Cæsaris, salutem, Imperium, & spes denique omnes uni ejus fidei committit. Ergò Cæsar supplicem in gratiam recipit, & tabulis augustalibus ritè confectis, in Regnum paternæ hæreditatis restituit.

Veneti quoque pacem flagitant.

Veneti quoque per Oratores testabantur, non proferendi Imperii, sed tuendæ publicæ libertatis causâ, arma cœpisse. Proinde eas urbes, quas in Apulia, Galliaque togata possiderent, Cæsari, atque Pontifici statim esse redditturos.

Solymannus cum innumerabilibus copiis invadit Pannoniam

Hoc eodem anno Solimannus Turcarum Imperator, cum quadringentis hominum millibus in Pannoniam se effudit; ac cædibus & incendiis cuncta permiscens, Budam contendit. Ejus adventu Budenses perculsi, fermè omnes urbe profugerunt, pars Strigonium, pars Albam regalem, alii Possovium. Itaque vacuâ penè potitur urbe & arce. Inde castra movens, Viennam ducit, ac ex itinere Altaburgum expugnat: mox versus urbem, Quinque Ecclesias nuncupatam, copias prædatum dimisit, quæ Viennam prætervectæ, luctuosas ad Linxium usque excursiones fecerunt, succisis ubique vitibus, & frugiferis arboribus, ac impressis crudelitatis ingenitæ vestigiis. His Barbarorum præcursionibus, *Ferdinandus*, Caroli Cæsaris Frater, gravi angebatur curâ, ac implorabundus opem, singulos regulos, singulasque civitates adibat, qua
1530 in re aliquantò quàm pericula postulabant, segniores Germanos reperiebat. Tandem viginti circiter peditum & equitum millia Viennam confluxêre, quibus præstantissimi præerant Duces, quos inter eminebat Philippus Palatinus. Circiter Idus Septembres Solymannus Viennam quinis castris circumplexus, tantum per omnes campos tabernaculorum multitudinem erexit, ut octona suburbani agri millia passuum, occupare censeretur.

Viennam obsidet.

Cœterum cum tormentis muralibus destitutus esset, quibus muros quatere posset, atque, quæ advexerat curulia tormenta, campestribus potius prœliis

apta

apta quam diruendis mœnibus idonea essent. Actis tribus in locis cuniculis, mœnium fundamenta subruere jubebat, quorum operum sonitum, Germani tympanorum militarium instrumentis, & quò tenderent commotæ telluris pulsu, deprehendentes, paribus cuniculis occurrebant, ac difflabant. Ad hæc in locis, ubi hosti nulla objiciebatur munitio, murum introrsùs ingentium trabium tibicinibus fulciebant, ut casura extrorsùs mœnia, proruerent, uti accidit, cùm excitato ab hoste cuniculorum igne ad portam Carinthiam, magna pars muri tremefacta, extrà prolaberetur. Nec multò post, juxta templum Divæ Claræ, proruens murus, binis hiatibus editis, Turcæ magnâ audaciâ irruptionem faciunt: Sed Germanis vim masculè sustinentibus, multis eorum confossis, repulsi sunt. Triduo post, supremo conatu redintegrata est pugna, & cùm Barbari agminatim per ruinas in urbem irrumperent; Germani nonnulla majora tormenta, opprtunis locis disposita, in Turcas tam peritè, tantâque strage exploserunt, ut milites dum imperiis & minis parere renuerent, mallent turcico acinace interfici, quàm Christianorum tormentis sterni, ac discerpi. Atque eo modo insolentis Tyranni viginti factis impressionibus & desideratis suorum sexaginta millibus fracta est pertinacia: qui postridiè, qui fuit decimus sextus Octobris, & trigesimus dies obsidionis, Solymannus metuens infesta jumentis frigora, camelis præsertim, calidiore sub cœlo natis, castra movit, atque ad Belgradum iter cœpit, undè in Thraciam inglorius est reversus. *Solymannus obsidionem solvit.*

Discusso belli Turcici metu, Cæsar sexto Cal. Martias, anno partæ salutis trigesimo, supra Millesimum quingentesimum, qui erat natalis ejus, eique semper faustus, Imperii diademate à *Clemente* VII. summo Pontifice, insignitur, quo eodem die, & Aquisgrani decennio ante redimitus fuerat, non ferreâ, ut vulgus falsò autumat, & (& quod magis pudendum) passim in juris professorum commentariis reperitur: sed coronâ ex puro puto auro fabrè factâ, sic tamen, ut in eâ veterum laudabilis parcitas satis eluceat. Peractâ coronatione, plerosque clarissimos nobiles, contactis leviter ensem humeris, equestri dignitate decoravit. Tùm ipse Mantuam contendit: & Pontifex fine Martii, Romam regreditur. 1530. *Cæsar à Clemente Pontifice coronatur.*

Jam Franciscus Francorum Rex omnia parârat, quæ recipiendis liberis, ex lege fœderis Cameracensis erant necessaria. Quamobrem Anna Mommerancius, regiæ aulæ Præfectus, mense Januario hujus anni, cum auro ad Fanum Joannis Lusii venit. *Liberi Francisci Regis obsides restituuntur.*

Comestabilis verò Castellæ, cum regiis liberis Fontarabiam. Hìc aurifices Hispani tentandis, examinandisque singulis nummis, tres ferè trivêre menses: repertumque est, magnam nummorum partem cusam ex auro impuro, fraude Prati Cancellarii: discessionemque quadraginta millium aureorum factam, quam supplere novo auro oportuit. Tunc liberi regii restituti, eâdem omninò cæremoniâ, quâ obsides dati fuerant, unà cum sponsa *Leonora*, quam sub anni initium Rex thalami & regni consortem assumpsit: ac mense Martio ad Fanum S. Dionisii, regiâ coronâ donari, solemnesque Parisiis nuptias celebrari curavit.

Obsidium Florentinorũ *1530.* Intereà in mensem undecimum urbis Florentiæ obsidio trahebatur, & Aurantius, ut ærumnoso bello finem imponeret, æquas atque honestas conditiones Florentinis proposuerat. Verùm insana quorundam consilia, omnia recta salutariaque reiiciebant. Itaque Ferruccius Pisas profectus, ut commeatum in urbem importaret cum tribus peditum millibus, galeatorum verò equitum quingentis, Pisis egreditur. Aurantius de ejus consilio, itinereque, per speculatores, certior factus, scribit ad Fabritium Maramaldum, atque Vittellium, ut cöactâ validâ peditum manu, ad præcidendum Ferruccio iter, vestigiisque insistendo, maturarent. Præmittit etiam è castris Germanorum legionem, ipseque postridie cum universo levis armaturæ, & cataphractorum equitatu subsequitur. Noctu autem iter faciens, substitit aliquantisper inter Pistorium, & Gabinianum oppidum, ut equos, & milites modicâ quiete recrearet, atque interim nuntios opperiretur, qui de hostium itinere certiùs referrent. Eo modo quiescenti, nuntiatur Ferruccium S. Marcelli oppidum intrasse, ac diripuisse. Ducit Aurantius Gabinianum, hortaturque suos, ut compositis ordinibus, ad præoccupandum oppidum festinent, propellantque hostium equites. *Atrox pugna inter Cæsarianos & Florentinos in qua Aurantius cæsus.* Hic atrox atque cruenta editur pugna, in qua Aurantius, dùm non Ducis modò, sed equitis munus strenuè implet, geminâ trajectus glande, occubuit anno ætatis trigesimo nondum expleto. Ferruccìani tamen equites ad unum omnes profligati, deletique sunt: ac ipse Ferruccius, infestam Florentino nomini fortunam agnoscens, *Florentini de pace Legatos mittunt.* se dedidit. Exindè Florentini pavidi, ne urbs florentissima in periculum supremi casûs devocaretur, ad Ferdinandum Gonzagam (qui Aurantio cæso successerat) legatos mittunt, qui his conditionibus de compositione pepigerunt: „ Constituendæ atque ordinandæ Reipub. facultas, arbitrio Cæsaris permittitor; sic „ tamen, ut incolumi libertate, Florentini suis antiqui juris le-„ gibus,

„gibus, utantur. Civitas multæ nomine, octoginta aureorum „nummûm millia, ut stipendia militibus præberi possint, persol- „vito. Florentini his urbibus, & oppidis, atque arcibus, quas „præsidiis obtinent, confestim excedunto. Baleonius Malatesta, „sacramentum, quod populo Florentino dixerat, solemni renun- „ciatione, ejurato, ac cum duobus peditum millibus, urbis cu- „stodiæ præesto, donec concordiæ conditionibus planè sit satis- „factum. Medicæis patria, pristinæ dignitates, ac bona restituuntor. „Acta hæc quarto Idus Augusti, anno à partu Virginis trigesimo, „supra millesimum quingentesimum. His ita transactis, Cæsaria- norum præsidium in urbem admittunt, ac redeuntibus Medicæis Reipub. munia eis committunt: pauloque post Cæsar Alexandrum Medicæum, quem sibi generum asciverat, traditâ ei in uxorem *Margaritâ* filiâ, quam cælebs sustulerat, Reipub. caput declarat, utque ea dignitas ad liberos ejus legitimos pertineat; atque his deficientibus, ad proximiores Mediceæ stirpis devolvatur.

Tenente obsidione Florentinâ, Cæsar ab Italia digressus, in Germaniam profectus est; ac Idibus Junii venit Augustam Vindelicorum, ubi Principum, Ordinumque Imperii conventum indixerat, ut ortas de Religione contentiones componeret, & diductos in partes populos, dum insanis erroribus serviunt, concordiâ, & consensione colligaret. At postquàm ea in re vehementer desudasset, spesque eum frustrasset: edixit, veteres Religionis ritus, qui hactenus in usu essent, in Romana Catholica Ecclesia retinendos, donec Synodo generali convocatâ, aliud decernatur. Deinde, ut Imperium Germanicum in familia firmaret, nonis Januarii 1531. *Ferdinandum* Germanum Fratrem, Romanorum Regem Coloniæ Agrippinæ renuntiandum curavit, frustrà reclamantibus Saxone, & Brandeburgico: ac mox tertio Idus Januarii Aquisgrani Corona Caroli Magni ei imposita est. His peractis Cæsar cum Sorore *Maria* Ludovico Hungarorum Regi olim nupta Regina in Brabantiam, Rex Romanorum in Austriam contendit. Finitis Comitiis Augustanis, Joannes Saxoniæ Dux; Georgius Marchio Brandeburgicus, Albertus ejus Frater; Ernestus & Franciscus Fratres, Duces Luneburgenses; Philippus Hessiæ Lantgravius: atque civitates Germaniæ opulentissimæ, haud exiguo numero, Argentoratum, Nuremberga, Vlma, Constantia, pluresque aliæ, per suos Vicarios quarto Cal. Aprilis Smalcaldiam convenêre, ij intercedentes Cæsaris decreto, protestati id nullius esse ponderis, fœdus inter se iniverunt, non optimo certè exemplo, quod

1531. *Cæsar proficiscitur Wormatiam.*

Ferdinandum fratrem Romanorum Regem pronuntiari curat.

Fœdus Smalcaldicum.

quod contra Cæsarem, & Catholicos se armare viderentur, quando Cæsar nihil iniquum ab eis petebat, sed ut in Religione idem secum, & cum tota Ecclesia sentirent, unde salus pendebat totius Germaniæ, quam istud de Religione dissidium perditum ibat. Hæc animorum, præsertim in Religione, dissensio non latebat Turcarum Principem, qui totis viribus in Germaniam se armabat,
1532. eamque, certâ spe victoriæ, jam devorabat. Itaque anno 1532. Cæsar *Carolus* Comitia indixerat Spiræ, sed mox transtulit ea Ratisponam, ut esset propinquior Austriæ, cui imminebat Turcarum Tyrannus. Interim, Cæsaris permissu quidam Catholici Principes, egerunt de pace cum Protestantibus, qui tum Suinfurti suos conventus habebant: Verùm cùm multa sibi permitti Protestantes postularent, neque certa concordiæ via inveniri posset; Norimbergæ alter indictus est conventus; Tandem ob Turcarum irruptiones, cùm negotium ultrà protrahi non posset, Cæsare consentiente, pax publica totius Germaniæ sancita est; ut ad Synodum usque, nulli fieret molestia ulla Religionis ergò. Multa coäctus est piissimus Princeps, ob temporum calamitatem, dissimulare, quæ haud dubiè facturus non fuisset, si tanta Turcarum vis, in certissimum totius Europæ exitium, Germaniæ non incubuisset. Hoc Cæsaris decretum ubi Protestantes acceperunt, propensissimis animis professi sunt, victrices Cæsaris Aquilas, sequuturos, atque salutem publicam, & communem omnium causam se tuituros.

Turca irruit in Germaniam

Dum hæc Ratisponæ aguntur, certis rumoribus affertur, Solymannum innumerabilibus instructum copiis in Mysiam penetrasse, ut Viennam rursus obsideret, atque priorem ignominiam anni 1529. expungeret. Eam ob rem à Tanai, ab Euphrate, à Nilo usque, militem contraxerat. De cujus expeditione *Ferdinandus* Romanorum Rex certior factus, ad eum cum muneribus, & æquissimis de pace fœdereque mandatis, tres Legatos mittit, quos ille humaniter quidem suscepit, sed nihil retulerunt, quàm ut castra sequerentur. His Ratisponæ nuntiatis, Cæsar Germaniæ Proceres, Legatosque liberarum civitatum alloquitur, docetque quanto in discrimine res sint, nisi animis ad concordiam revocatis, conjunctis viribus sævo & immani hosti eant obviam; acciturum se confestim Hispanorum, & Italorum expeditas cohortes, perpetuis victoriis assuetas, quibus Germanorum statariæ legiones firmarentur, seque ad tuendam Religionis causam, ac nominis sui dignitatem paratum esse contra hostes proficisci. Ad ea Principes, Legatique

propen-

Cæsar parat se ad bellum.

propensissimis animis responderunt: Se more Majorum, salutem publicam & communem omnium, maximeque Imperii existimationem, defensuros. Itaque Cæsar ex Italia instructissimas Italorum, & Hispanorum copias accersit. Andreæ quoque Auriæ, Thalassiarcho dat negotium, ut pari studio triremes, & onerarias naves militariter instructas, adversus Turcarum classem in Græciam traiiciat. Accersit etiam è Belgio, Burgundiâque gravis armaturæ ornatissimum equitatum: & sibi quoque privatim, cohortium prætorianorum nomine, duodecim Germanorum millia, ex his, qui in Italia plura stipendia meruissent, conduxit. *Clemens* Pontifex, in hos apparatus ingentem auri vim contulit, quam coëgerat ex præstatione quinque decumarum, quibus sacerdotia obstrinxerat; quâ pecuniâ Cæsar octo millia equitum Hungarorum conduxit. Galliæ, & Angliæ Reges, itemque Helvetii, nihil huic bello se miscuerunt. Interim in Austriam venerunt Belgarum, & Sequanorum alæ, quibus ratibus impositis, Cæsar per Danubium à Ratispona Lincium devehitur. Nunquam tot naves, totque milites, à Romanis usque temporibus, Danubius tulit. Vndique audire erat consalutantium acclamationes, tympanorum & cornuum, ac tubarum concentus. Ripæ quoque fluminis equestribus, & pedestribus copiis complebantur. *Solimannus* intereà, ubi Belgradum pervenit, Savo amne multis simul pontibus constrato, innumerabilem equitum multidunem in Pannoniam intulit, & in Stiriam rectà contendit. Ex Legatis *Ferdinandi*, nuper dimissis, & captivis quibusdam postea cognitum est, in exercitu ejus recensita fuisse, quingenta hominum millia, & in iis ferè trecenta equitum millia.

Numerus copiarum Turcicarum.

In ipso itinere, finibusque Hungariæ, occurrit illi Guintium, oppidum modicis mœnibus cinctum, & prorsùs ignobile, nisi ab ignominia Turcarum claritatem accepisset, quod Nicolaus Lurixius, parvâ agrestium manu tuebatur. Circumdatum est oppidum immenso exercitu; aguntur tribus in locis cuniculi, certatur utrimque acerrimè; In hâc exigui oppiduli oppugnatione Solymannus dies tres & viginti frustrà insumpsit, ac post tredecim impressiones, indecorè receptui signum dedit.

Solymannus cum Guintium 23 diebus oppugnasset, indecorè receptui canit.

Indè promotis castris, ad urbem Gratiam, Stiriæ Metropolim, iter intendit. Cæsar verò ad Viennam castra posuit, non detrectaturus prælium cum superbissimo hoste; sed frustrà illius adventum præstolabatur. Recensito universo exercitu, repertum est Cæsarem, nonaginta descriptorum peditum, triginta equitum millia, in aciem esse producturum, nequaquam adnumeratis peditum, &

Cæsaris exercitum conflabant 90. millia peditum, & 30. equitum.

equitum ministris, præter alios multos, ultrò in id Sacrum bellum profectos. Cæterùm Solymannus, ubi de apparatu, consiliisque Cæsaris certiùs cognovit, non tamen ausus fuit pugnæ aleam subire, sed nullâ memorabili re gestâ, Stiriâ excessit, & inter Dravum & Savum directo itinere, Belgradum est reversus, identidem respectans an Cæsar à tergo sequeretur. Et ut Cæsari persecutionem auferret, pontes interscidit, commeatus corrupit, flumina infecit: Ne tamen impunè aufugeret, Cæsar septemdecim millia Turcarum, qui populando moram fecerant, assecutus internecioni dedit. Sic immanis ille Tyrannus intra paucissimos annos, bis Germanorum è finibus, cum dedecore profugit.

Solymannus non ausus belli aleam tentare inglorius abscedit.

Cæsar defunctus Turcico metu revertitur in Italiam.

Ubi verò Cæsar de Solymanni discessu cognovit, in Italiam redire constituit, plurimùm deprecante Ferdinando Rom. Rege, ut postquàm tanto sumptu, ac labore coivissent tot copiæ, iis uteretur adversus Joannem Vaivodam, quem Solymannus Hungariæ Regem constituisset. Verùm Cæsar multis de causis, tum quod hyems subesset, tum quod pestis atrox in castris, atque adeò in ipsa aula multos quotidie raperet, in proposito discedendi perstitit: id tamen Cæsar Fratris precibus dedit, ut Italicas copias omnes relinqueret, quæ Austriacis junctæ, bellum Pannonicum gererent. At verò Itali excitatâ seditione, sublatisque vexillis, summo Ferdinandi Regis dolore, in Italiam contenderunt.

Andreas Auria magno damno Turcas affecisset nisi à Venetis de Auria apparatu & advento certiores facti fuissent.

Dum Cæsar in Italiam parat iter, Andreas Auria cum triginta quinque onerariis, & quadraginta octo rostratis navibus, adversum Turcas proficiscitur, quibus haud dubiò, ejus inopinatus adventus, certissimam videbatur cladem allaturus, nisi à Venetis, de Auriæ adventu certiores facti, maturâ omnino fugâ, sibi consuluissent. Nihilominus oppida aliquot Græciæ, profligatis egregiè Turcis, Auria expugnavit, longè majora damna daturus Solymanno, procul à Constantinopoli, in Germania bella tum gerenti, si Veneta classis sexaginta triremium, suas vires cum Cæsaris copiis sociare voluisset: At Veneti, fœdere cum Solymanno icto, quò minùs id facerent, se prohiberi asserebant. Non defuisset tum occasio rei benè gerendæ, Græcis præsertim Christianorum adventum præstolantibus, Solymanno verò longissimè à Constantinopoli posito, si Christiani Principes, conjunctis viribus, sævissimum hostem opprimere voluissent. Nullâ ergò re magis auctæ sunt Ottomannorum vires & potentia, quàm Principum Christianorum intestinis odiis, bellis, & simultatibus, & (quod fœdum dictu est) de mutua interdum pernicie gaudentium, quasi illorum calamitas ad illos

illos non pertineret. Unde enim tot, non dico civitatum, sed Provinciarum: non Provinciarum tantùm, sed Regnorum Imperiorumque jactura? Mahumetani Schytarum populi, parvis primùm viribus, vix angustum Hellesponti angulum, astu & perfidiâ potiùs, quàm virtute bellicâ aut armis occupavêre. Deinde crevêre sensim viribus, & in dies non parum incrementi suis rebus attulerunt, dum Principes Christiani inter se diffidentes, aliorum funestas clades, calamitatesque negligunt; dum privatis magis, quàm publicis commodis student; & suæ potiùs quàm communi Christianæ utilitati consulendum arbitrantur. Ottomannus, primus hujus cognominis Rex, dum Christiani premunt Tartaros; Bythiniam, Cappadociam, Pontum, Pamphiliam, & Ciliciam sui juris fecit. Orchanes hujus filius, ratus Græcorum inter ipsos pugnam, sibi occasionem crescendi, Bythiniæ reliquæ Mysiam, Licaoniam, Phrygiam, Cariam, & Nicæam adjunxit. Amurathes contentiones illas inter Græcos dissimulando, fovit: quibus bello fessis, exhaustisque, usus Genuensium navibus conductitiis, ex Asia in Thraciam trajecit, ac Galliopolim, Adrianopolim, Serviam, & Bulgariam intercepit. Quid recenseo reliqua? nonne sic Tribali deleti, Thraces eversi, Macedones, atque Ætoli propriis sedibus pulsi? Nostra erat Mysia, prodito Rege & trucidato, amissa est: Nostra Peloponnesus, altero Rege ejecto, altero decepto, & ipsa erepta est. Tantis rerum incrementis elatus Turca, cum jam regni limites non jure, sed libidine determinaret, perfregit tandem Hellesponti fauces, ut soluto deinceps animo, per omnia maria impunè volitaret, inque omnium gentium, nationumque perniciem, ubicumque libido, rabiesque ferret, prædas ageret, exercitumque exponere posset. Eubœam insulam, Græciæ quondam ocellum, expugnavit, cæsisque ad unum oppidanis omnibus, sempiternâ clade nobilitavit. Interjectum erat Jonium, Illyricumque mare pro munimento: Alpes autem à Norico pro mœnibus, ut reliquum illud, Christiani populi quicquid esset, satis tuto, munitoque loco constitutum, multis videretur. Ecce autem superiori sæculo, superatis Alpibus, bis in Cæsaris provincias impetum fecit, ac Hungariâ pervastatâ, Viennam in conspectu Germaniæ obsedit, prædamque innumerabilem omnis sexus, omnis ætatis, veluti victimarum, pecudumque trahens, jactabundo incedebat carmine, se longè potentiorem exercitum adducturum. Quid tum posteà? nonne vidimus anno 1663. proximè elapso, Turcarum Imperatorem, cum ingentibus armatorum copiis, in Moraviam

Principum Christianorum intestinis odiis, bellis & diffidiis crevit Ottomannorum Imperium.

Moraviam, Hungariamque se effundere, miserasque illas finitimas regiones cædibus, incendiis, & rapinis fœdè deformare; ac tandem Neostadium obsidione arctè, contenteque pressum, expugnare, Sacram Catholicorum ædem in Mahometanum delubrum convertere, Divorum statuas comminuere, aras Sacro-Sanctas polluere. Meritò exclamo: *Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt Templum Sanctum tuum, posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam, posuerunt morticina servorum tuorum, escas volatilibus cœli, carnes Sanctorum tuorum bestiis terræ:* Quid nunc facturum eum hâc victoriâ elatum, arbitramur? Non conquiescet truculentissima bellua, Christiani sanguinis sitibunda, donec aliqua gravi & miserandâ clade Christianos afficiat. Cæsari olim tria Imperia erant, duo eripuit; semel de Constantinopolitano solio, semel de Trapezuntino se Imperatorem jactat; tertium ex Romana sede affectat; machinaturque, ut occupatâ Germaniâ, Leopoldo Cæsari, nihil, præter inane nomen relinquat. Occurrendum igitur est in tempore imminenti periculo; efflagitant hoc, afflictæ plebis, cœlum petentes lachrymæ, Provinciarum solitudo, agrorum vastitas, urbium oppidorumquè ruinæ, uno verbo, ipsa, quam in Hungaria vix est reperire], Hungaria. Deposcunt tot millia Christianorum, apud Turcas in ergastulis, pœnisque agentia, ut in libertatem, è durissimâ servitute vindicentur. Exigit deniquè pietas, ut tandem ab fundendo Christiano sanguine, quem tot, Proh dolor! hauserunt, & nunc hauriunt Christianorum bella, desistatur; & si porrò fundendus est, contra illius hostes fundatur, qui suum nostræ fudit saluti. Conducet absque dubio, si ardentibus flammis subtrahantur alimenta, ambitionis scintillis obnoxia.

Cæsar urget Pontificem ut generale concilium cogat.

Cæsar postquam in Italiam venit, cum *Clemente* Pontifice Boloniæ sæpè collocutus, eum vehementer urgebat, ut Concilium universale cogeret. Optabat prætereà Cæsar ut *Chatarinam* Medicæam, Urbinatium Ducis filiam, neptem suam, Francisco Sfortiæ in uxorem daret. Verùm Pontifex distractus & alienior ab Imperatore, asserebat se eam Duci Aureliano, Regis Francorum filio, promisisse. Eas ob res Cæsar, Bononiâ Genuam cum venisset, navibus in Hispaniam vectus est. Deindè, appetente Rege

Conventus Pontificis & Francisci R. Franciæ.

Francisco Pontificis colloquium, placuit utrique venire Massiliam, ut ibi nuptias insigni ceremoniâ celebrarent. Cæterùm Massiliæ conviviis, saltationibusque triginta quatuor dies insumpti, tantâ Principum, minorumque ordinum contentione, ut is conventus, exque

eæque nuptiæ effusiore sumptu celebrari haud potuerint. Mense Novembri 1533. Pontifex, rebus confectis, è Massiliâ solvit, tenuitque portum ad vada Sabatia, indè conscensis Aurianis triremibus, Centumcellas pervenit, terrestrique demùm itinere in Urbem est reversus. Ea affinitas, uti ambitiosiùs à Pontifice expetita, atque id colloquium importuno tempore quæsitum, Cæsaris animum vehementer commovit, ut qui fœdere juncti, in Italia bellum renovare possent, quo simul, & Rex Mediolanum, & Pontifex Rhegium, & Mutinam repeterent.

1533.

Is conventus Cæsarem futuri sollicitũ habet.

Eodem hoc anno, *Henricus* ejus nominis VIII. nefariis Annæ Boleniæ nuptiis illectus, repudiavit *Catharinam*, Ferdinandi Hispaniarum Regis filiam, & Caroli Cæsaris materteram, quacum viginti annos egerat, susceptâ Mariâ non prorsùs steriles: neque enim aliter Bolenia regiæ libidini obtemperatura videbatur, quàm in spem conjugalis thori. Favebat Annæ voto, Regisque flagitio, Thomas Volsæius, Cardinalis Eboracensis. Is disserebat, causam repudii æquissimi juris esse, quod Catharina Arthuro, Henrici fratri, antea denupsisset, vetari id Sacro-Sanctis novi ac veteris Sacri codicis legibus, profitebaturque non defuturos è Lutetianâ scholâ Sacrarum literarum professores, qui dictis sententiis, repudio subscriberent. Intereà negotium divortii ad Pontificem Romanum *Clementem* rogante *Catharinâ*, defertur. Pontifex verò, cùm *Henricum* offendere metueret, nec etiam Cæsarem irritare tutum putaret, misit in Britanniam Legatum Laurentium Campegium, qui rem tantùm in longum trahebat, ac tandem post longas tergiversationes & procrastinationes, summâ cum Anglorum offensione, re infectâ discessit. Rex intereà novâ amoris flammâ æstuans, Thomam Crammerum, qui pro repudio Catharinæ pronunciaverat, Archiepiscopum Cantuariensem dicit. Pontifex demum mense Martio, anni M. D. XXXIIII. pro Catharina sententiam tulit. Itaque *Henricus* infensus Pontifici, legem rogavit, quâ Romani Pontificis auctoritatem prorsùs abrogabat, pœnamque capitis constituit, siquis supremam potestatem Pontifici ascriberet. Postremò novo portento, se Ecclesiæ caput edixit, infausto tamen exitu, nam à corpore, cui se caput ingerebat, à *Clemente* Romano Pontifice abscissus est, dirisque devotus. Nec multò post Catharina in comitatum Bedfordiensem, ad villam regiam Kymbalton se contulit, ubi mœrore contabescens, vitam posuit anno Christi 1535. Intereà Joannes Fischerius, Roffensis Antistes, & Thomas Morus, Scrinii regii Magister, & Angliæ Can-

Henricus Angliæ Rex Boleniæ infatuatus amoribus, Catharinæ libellum repudii mittit.

1534.

Pontifex Clemens pro Catharina judicat.

Rex omnem Pontifici potestatem abrogat, ac sibi vendicat.

Roffensis Episcopus & Thomas Morus Cancellarius capite trũcati

Cancellarius, quod Reginæ causam, Christianâ libertate defendissent, Regique, ut Ecclesiæ capiti Sacramentum dicere, detrectassent, securi ambo percussi sunt: qui horror totam Angliam perfudit. Cæterum eò magis irritatus Rex ferebatur, quia Pontifex Rom. ergastulo clausum Fischerium, albo Purpuratorum asscripsisset. Adauctâ claris his funeribus animi feritate, bona Ecclesiastica invasit, Monachosque cædibus prosequitur, multoque Catholicorum sanguine omnia fœdat. Quæ res tandem Angliæ regnum florentissimum, in multas conjecit calamitates & clades, ità ut usque in presens ejus Regni status sit admodùm infaustus, & turbulentus.

1553. Inter hæc Cæsar, qui in Hispaniâ agebat, frequentibus amicorum literis admonebatur, *Franciscum* Gallorum Regem, recenti *Clementis* Pontificis amicitiâ confisum, animo bellum agitare; idque duntaxat opperiri, ut alicundè Cæsari hostis incumberet. Propterea crebris legationibus sollicitabat quosdam Germaniæ regulos, domui Austriæ infensos, inter quos eminebat Philippus Hassiæ Lantgravius. Is anno 1534. in Franciam profectus, acceptaque à Rege pecuniâ, negotium restituendi Vlrici, Ducis Wittembergii, ante decennium à fœderatis Suevorum civitatibus, paternâ ditione pulsi, suscipit, profiteturque armis illum in ditionem suam reducturum. Itaque Gallico subnixus auro, scribit copias, ac trinis castris in Wittembergensium fines ingressus, majoreque parte in potestatem redactâ, ad oppidum Lauffenum, Ferdinandi Rom. Regis copias, quibus Philippus Palatinus præerat, promptioribus cæsis, in fugam agit. Verùm mense Julio, deprecantibus Saxoniæ Duce, aliisque Germaniæ Regulis, pax certis legibus componitur, quam eâ conditione Cæsar ratam habuit. „Ut Ulricus ejusque hæ-„redes Ducatum Wittembergii, ab Austriaca familia, beneficia-„rio jure, possiderent, amotis fœminis, ac deficiente virili hære-„de, Ducatus ad Austriacos devolveretur.

Hassiæ Lantgravius in Wittembergensium fines infestus irrũpit.

Pax componitur.

Intereà *Clemens* Pontifex, longo, varioque morbo conflictatus, Septimo Calendas Octobres moritur, anno Pontificatus undecimo, ætatis verò quinquagesimo septimo. Post cujus obitum, tanta fuit in Alexandrum Farnesium omnium ferè Patrum consensio, ut antequam, mortuo Clementi justa solverentur, nullo habito comitiorum cœtu, eum Summum Ecclesiæ Pastorem salutarint, desumpto Pauli tertii nomine.

Obitus Clementis Pontificis.

Ei succedit Paulus III.

Per hoc tempus *Carolus* Cæsar non obscurè veritus, ne quid in ipsum Franciscus Francorum Rex moliretur, præsertim cum non ignora-

Cæsar veritus Galli molimina, Principes Italiæ sibi devincit.

ignoraret, quas ille sibi copias, & legiones in Galliis pararet: quidve cum Germaniæ quibusdam Principibus machinaretur, in eam curam diligenter incubuit, ut pacem in Italia stabiliret, adversum fœdus inter *Clementem* Pontificem & ipsum *Franciscum* Massiliæ ictum. Itaque, ut Franciscum Sfortiam Insubrium Ducem arctiùs sibi devinciret, è Belgio accitam *Christiernam*, neptem suam, genitam ex Christierno & Isabella, Regibus Daniæ, illi matrimonio jungit. Prætereà Feltrium, Urbinatium Principem, restitutâ ei Sorâ urbe, beneficio sibi devincit. Quin & Columniæ familiæ Proceres, novis muneribus prosecutus est. Honestavit item Melphitano Principatu Andream Doriam. Nec deërat studium Mantuani in Cæsarem, qui Montisferrati Principatum, ejus æquitate, sibi adjudicari expectabat, de quo ipsum inter & Sabaudiæ Ducem erat contentio. His ita in fide, vetereque obsequio confirmatis, Cæsar undique rectissimè in Italia provisum judicabat.

Hoc ipso tempore Solymannus Turcarum Princeps, immodicæ spei plenus, duo ingentia terrâ, marique bella movit, impotenti quâdam arrogantiâ, totius orbis Imperium sibi pollicens, si Persas, & Afros sub jugum misisset. Ex Africa enim facilem sibi videbat trajectum in Hispanias, Siciliam, & Italiam. Erat illi Africæ invadendæ author & incentor, Hariadenus Mitylenæus Ænobarbus, ità à colore barbæ nuncupatus, in Lesbo insula natus, fidei Christianæ desertor, atque in Turcicam transfuga. Hic à Solymanno Mediterraneo mari præpositus, & cum classe octoginta triremium, & aliquot biremum, armis, viris, & commeatu abundè instructâ, Hellesponto egressus, in Italiam cursum intendit; atque oras Italiæ Insulasque Sardiniam, ac Siciliam assiduis incursionibus vexat, ac diripit, multis Christianis cæsis, & interceptis. Indè citissimè in Africam flectit cursum, ut Muleassem Tuneti Regem, imparatum opprimeret: ac confestim quædam loca Muleassis ditioni, subjecta, occupat. Interim Muleasses, pessimè sibi conscius, ut qui duo de viginti fratres, partim per insidias interfecerat, partim præustis oculis crudeliter occæcaverat, Tuneto profugit ad Doracem Regulum, cujus soror Muleassis mater fuit, qui eum summâ fide protexit, usque ad *Caroli* Cæsaris adventum, qui fuso, fugatoque Ænobarba, eum in Regnum Tunetanum restituit.

Ænobarbus Sardiniam ac Siciliam vastat.

Cœperat jam esse terrori tum Italiæ, atque Hispaniæ littoribus Ænobarbus opulentissimo Africæ potitus Regno immensisque Solimanni opibus, ac ingenti ejus classe subnixus. Quamobrem

Paulus Rom. Pontifex, missis in Galliam, & Hispaniam Legatis, assiduè dabat operam, ut Rex *Franciscus*, uno consensu ad oppugnandos Turcas, cum *Carolo* Cæsare jungeretur: Gallorum tamen Rex Italiâ pulsus, & Cæsaris amplitudini, atque felicitati infensus, Pontificis hortationibus & precibus expugnari non valuit. His de causis Cæsar, uti erat cauto ingenio, omnium consiliis antevertendum ratus, arma parare instituit, ut sibi potiùs timerent hostes, quàm ipsi bellum inferrent. Itaque in Africam expeditionem decernit, nunquam alioqui Siciliæ, Italiæ, nec Hispaniæ littora à Turcarum incursionibus tuta fore judicans. Porrò Pontifex in tam pii belli sumptus, sacerdotiorum totius Hispaniæ decumas concedit, suâque pecuniâ decem triremes Genuæ exornari jubet. Has ad veteres tres, quæ in custodia Romani littoris esse consuessent, adjungit. Veneti ob fœdus, ante annos triginta cum Bajazete, Turcico Imperatore percussum, nihil ad hoc bellum contulerunt, sed hujus Sacræ expeditionis spectatores fuêre. Porrò universa Hispania in hoc bellum egregiè incubuit. Andreas quoque Auria, maritimis contra Turcas, Mauros & Piratas bellis Dux clarissimus, ingentem comparat classem, in quâ erat quadriremis una, quæ prætoriæ loco Cæsarem veheret, cujus remiges omnes sericis erant vestiti tunicis, & ipsa navis laqueari aurato, multoque ornatu longè elegantissima. Postridiè Cal. Martii, Cæsar Madrilio Barcinonem proficiscitur, quò paulò post convenerunt Belgarum onerariæ, militem, & commeatum vecturæ: tùm & Lusitanorum lembi. Demùm paratis omnibus, tertio Cal. Junii mare ingressus est. Tota autem hæc classis septingentis ferè navibus constitit, vehebatque triginta peditum millia, ac duo millia, & septingentos equites. Porrò *Paulus* Pontifex, ut suum, in tam pio ac necessario religioni Christianæ bello, studium declararet, Pyrgos Hetruriæ oppidum se contulerat, totam cum Ducibus classem, Sacris precationibus expiaturus. Propitiatis igitur Divis, & ab altâ speculâ navibus ritè lustratis, obortâ idoneâ navigandi tempestate, Cæsar decimo octavo Cal. Jul. ad Uticæ littus, cursum navigationis intendit. Occupant triremes portum Farinæ, quatuor milliaribus Guletâ distantem. Ænobarbus ubi certò comperit, Cæsarem ipsum in classe advehi, vehementer animo angi cœpit. Non enim putârat Barbarus, Cæsarem tam difficile & periculosum bellum, in sterili, & omnis prorsùs aquæ indigo solo, solstitialibus præsertim diebus, suscepturum. Hortabatur nihilominus suos, ut se viros præberent, nec de victoria quicquam ambigerent:

Cæsar in Africam expeditionem decernit.

Apparratus ad bellum.

bigerent: inprimis autem, ut Guletam totius Imperii propugnaculum, acerrimè & constantissimè defenderent. Tùm propiùs Guletam Cæsar movet, ac decimo sexto Cal. Julii, jussit milites in continentem exponi. Exscensu è navibus in terram facto, Cæsar ipse, cum paucis exploratum ivit. Tandem, bonis avibus, ad Idus Julias jussit omnem tormentorum apparatum, ad Guletam oppugnandam, proferri. Andreas Auria, à mari ejus munitionis diverberandæ negotium suscepit. Tum verò ab aurora usque ad meridiem, quingentis majoribus tormentis, Guleta terrâ marique verberari cœpta est, adeò horribili reboätu, ut non modò concuti tellus, sed tota passim hiscere videretur: porrò mare, paulò ante tranquillum, mirabiliter concitari, & exæstuare cerneretur: cœlum ipsum, densissimâ fumi caligine, omnium oculis eriperetur. Eâ vi turris, cum suo antemurali, penitùs prostrata, & munitiones omnes latè disjectæ, non difficilem Cæsarianis invadendi aditum præbuerunt. Igitur impressionem faciunt, nihil morati Barbarorum tela omnis generis, & missilem ignem, tenaci flammâ armis adhærentem, quæ ab illis in subeuntes conjiciebantur. Quamobrem amissâ spe defensionis, præcipites se in fugam dare coäcti sunt. Tormenta omnia, & tota Ænobarbi classis, quæ intra Guletæ fauces subducta fuerat, in jus victoris Cæsaris concessit.

Guleta oppugnatio.

Guleta capta.

Dùm hæc geruntur, Muleasses Rex Tunetanus, ex ulteriore Numidia ad Cæsarem in castra venit. Postquam exosculatus est Cæsaris dextram, tapete substrato, more patrio humi collectis cruribus, sedit, & per interpretem supplex petiit ab Imperatore, restitui sibi paternum & avitum regnum, multam eo nomine pollicens Cæsari fidem, & id genus alia. Cæsar illi omnia liberaliter daturum recepit, hortans, ut non Punicâ, sed optimâ fide promissis staret.

Muleasses petit à Cæsare avitum sibi regnum restitui.

Guletâ captâ, occupatâque hostium classe, Cæsar dirutæ munitionis aggerem rursùs instaurari jussit, imposito plus mille Hispanorum præsidio. Inde Tunetum versus promotus est totius belli apparatus. Cæsar Vastium eo bello, eaque præsertim die, quâ cum hoste confligendum erat, Imperatorem dixerat. Jam ad Tunetum appropinquabat exercitus, & ecce Ænobarbus immensas Barbarorum copias in aciem producit, quæ centum hominum millia excessisse feruntur. Tùm Vastius, quem (ut dixi) Cæsar eo die tanti exercitus, abdicato Imperatoris nomine, esse voluit, antequam cum hoste manus consererentur, ait ad Cæsarem: „Jure meo jam utens, jubeo ut hinc abscedas ad mediam aciem,

Captâ Guletâ Cæsar Tunetum aggreditur.

„ubi sunt vexilla, ne fortuitò incidentis pilæ casu universa com-
„munis fortunæ salus, unius hominis periculo, inexpiabile su-
„beat discrimen. Ad id Cæsar subridens metu vacuum ei esse ju-
„bet, quando nemo Augustorum Cæsarum unquam tormento
„bellico sublatus esset: nihilominùs pro sua singulari modestia,
„dictis ejus obtemperans, confestim ad signa se contulit. Inde pugnæ signo dato, tanto impetu in hostes est procursum, ut antè congressum, trecenti amplius ex Barbaris sternerentur, reliqui omnes pedites agminatim, desertis tormentis, ad Ænobarbi aciem confugerent. Is præ dolore, atque irâ dentibus infrendens, cum Turcis Tunetum properavit. Cæsar deinde eodem in loco, ubi Barbari constiterant, castra metatus est. Erant Tuneti multa millia servorum Christiani nominis; hos omnes immanis ille Barbarus, circumposito pulvere tormentario, in ergastulis concremare statuerat, nisi insignis quidam pirata, tam execrabile facinus dissuasisset. Ejus autem atrocis concilii fama ad ergastula permanârat, misericordiâ quorundam libertorum: In his fuêre Franciscus Hispanus, & Vincentius Dalmata, qui patefacto carcere, ad abrumpendas fatales catenas, quibus vincti erant instrumenta præbuerunt. Mox ruptis compedibus, nudi homines, saxis aliisque correptis rebus, Turcas invadunt, arcem occupant, cæsis aliquot Turcis, armamentarium refringunt, regiam gazam, omnem commeatum & arma intercipiunt, & è summa arce, Cæsarianis dudum ademptum vexillum expandunt, ut Cæsari & ejus exercitui de sua victoria significent. Intereà Ænobarbus ad arcem revertitur, obseratâ januâ supplex servos orat, ut ipsum intrò cum suis recipiant, cunctis libertatem pollicitus. At illi certatim in eum saxa conjiciunt adjectisque contumeliosis vocibus, submovent: ita ut totus præ ira furens, rebus deploratis, cum septem Turcarum millibus, turpi arreptâ fugâ, ad urbem Hipponam, Divi Augustini præsulatu celebratam, se conferret. Eâ re cognitâ, Cæsar propiùs urbem castra movet, cui præstò affuêre civitatis Magistratus, claves deditæ urbis offerentes, id enixissimè obsecrantes, ut milites extrà urbem in castris contineret, & civitatem inviolatam præstare vellet. Ad id Cæsare cunctantiùs respondente, milites frementes, vel injussu Cæsaris, certatim in Urbem irrunt, frustrà deprecante Muleasse. Primus cum parva manu ad arcis portam accessit *Vastius*, quem servi cum insigni gratulatione exceperunt, mox illis cuncta diripientibus, miles diutiùs contineri non potuit, quin agminatim intraret Urbem, & per cunctas

Cæsar Vastio audiens.

Servi Christiani ruptis compedibus, a partâ libertate arcem occupant.

Ænobarbus fugam capessit.

Cæsariani Urbem invadunt.

cunctas regiones ad prædam discurreret. Germani, Mahumetano sanguine sitim explere properantes, cadaveribus cuncta complexerunt, nulli omninò parcentes, neque ætati, neque sexui: quæ res permovit Cæsarem, ut proposito edicto, capitis pœnam minaretur omnibus, qui Tunetano civi vim intulissent. Cæsar arcem ingressus, servos Christianos, ob clarissimum factum collaudavit, divisaque viritim certâ pecuniâ, quâ sese alerent, liberos pronuntiavit, pollicitus navigia & commeatum, quibus in suas terras transportarentur. In ea arcis Tunetanæ direptione, tria præcipuè Mulcasses deploravit. Arabicos inprimis codices antiquissimos, qui non modò disciplinas omnes, sed etiam superiorum Regum res gestas, & Mahometanæ superstitionis interpretationem continerent. Secundo loco unguenta & aromata odoris incomparabilis, ambram, moscum, & zibetum, quæ plombeis in loculis, eburneisque arculis asservabantur. Tertiò, varia, maximeque pretiosa pigmenta, quæ milites stultè dissipata, conculcârunt: nam acervi plures cærulei transmarini, quod lazurium vocatur, in armariis reperti sunt! multique culei cocco, & laccâ Indicâ pleni, quæ à Pictoribus, lanarum, telæque sericæ infectoribus, magno coëmuntur pretio.

Dum hæc geruntur Tuneti, Ænobarbus Hippponâ Algerium enavigavit. Ea res vehementer commovit Andream Auriam, qui non planè desperans se hostem posse consequi, Hipponam contendit: porrò non invento Ænobarbo, urbem cepit, murosque diruit, arci verò præsidium imposuit, quam tamen Cæsar paulò post jussit funditùs everti. Deinde Muleassem Regem Tunetanum pronuntiat, binosque tantum falcones ad aucupium, & binos è Numidia pernices equos, tributi nomine, quotannis imponit: eâ conditione, ut Christianis amicus, Turcis hostis, Cæsari addictus sit; & Hispanis, quos Guletæ amplius mille, præsidii loco, imponebat, stipendium persolvat. His gestis, Cæsar ab Africa solvens, cum tota classe in Siciliam trajecit. Inde per Brutiorum oppida magnificè susceptus, demùm pridie Cal. Decembris anno 1535. Neapoli ultimam figit ancoram. Cùm esset in itinere, nuntiatum ei est, Franciscum Sfortiam Insubrum Regulum, qui non ita pridem Christiernam, Christierni Regis filiam duxerat, sine liberis è vita decessisse. Ejus mors novos in orbe Christiano tumultus, & clades excitavit: nam *Franciscus* Galliæ Rex, quamquàm fœdere Madritensi, jure in Mediolanenses cessisset, nihilominùs missis ad Cæsarem Neapolim Legatis, Cisalpinæ

Hippona capta & diruta.

Cæsar Muleassem certis legibus pronuntiat Regem Tunetanum.

Cæsar trajicit in Siciliam.

Obitus Francisci Sfortiæ.

salpinæ Galliæ Imperium sibi concedi postulabat. Verùm Cæsar non ignarus quantum res ea momentum haberet, tum etiam non immeritò veritus, ne opulentissimâ parte Italiæ, potentissimo Galliæ Regi permissâ, ille non contentus eo Imperio, etiam aliena, sua præsertim regna mox invaderet, quod superiores Galliæ Reges fecisse meminerat, nullis precibus adduci potuit, ut Mediolanensem principatum Gallo concederet. Porrò ne Franciscus Rex in Cæsarem primus arma vertisse videretur, Carolum Sabaudiæ Ducem sibi invadendum statuit, ut ejus ditionibus in potestatem redactis, expeditum sibi iter in Italiam pararet. Ejus belli causam

Sabaudici belli causa.

hanc præferebat Gallus, quod Sabaudus Nicæam, Provinciæ Urbem, quæ Galliam ab Italia disterminat, persolutâ pecuniâ, quæ olim à Gallis oppignorata fuerat, redimi nollet. Anno igitur 1536.

1536.

Franciscus jubet Philippum Chabotum, à præfectura maris Admiralium dictum, cum justis copiis invadere Pedemontium, transgressusque Alpes, aliquot munita oppida Subalpinæ regionis, ac inprimis Taurinum, Fossanum, Penarolum, & Cherium occupat. Et nisi Antonius Læva eductis Mediolano copiis, cuncta invadentibus, occurrisset, Vercellas, quas obsidione premebat, & multa alia inermi, desertoque Principi eripuisset. Et ne quid illi ad summam calamitatem deesset, etiam Bernates Helvetii, ad Lemanum usque lacum, quæ illius erant, vi abstulerunt. Ità & à Gallis, & ab Helvetiis oppugnatus, se totum ad authoritatem, nutumque Cæsaris contulit, qui tum Neapoli, filiam notham Alexandro Medicæo, celebratis nuptiis, in matrimonio collocavit. Intereà Cæsar acre bellum adversus Gallos coquens, cum Ve-

Cæsar ferit fœdus cum Venetis.

netis fœdus percussit, spemque præbuit se Mediolanensem principatum, novo Regulo concessurum. Id enim maximè Veneti expetebant, ne sibi cum Cæsare, Regum maximè opulento, sibique præcipuè formidando, sed cum infirmo de finibus certandum foret. Hoc fœdere Cæsar confirmatus, per *Ferdinandum* fratrem, & amicos Principes, in Germania equitum & peditum delectus haberi jussit. Interim Nonis Aprilis Romam venit, & à Cardinalibus, Episcopis, omnium Sacerdotum, Civiumque Ordinibus triumphali pompâ exceptus, ad Basilicam Sancti Petri, ubi à *Paulo* III. exspectabatur, deducitur. Qui adorato Pontifice, ad Vaticanum Palatium hospitio acceptus, quatriduum Romæ commoratus, imperatoriis ornamentis indutus, Pontifici, die Christi resurgentis, sacra solennia facienti, astitit. Quumque de gravissimis Reipub. Christianæ negotiis cum Pontifice, egisset, pridie quam

Urbe

Urbe decederet, ipso præsente Pontifice, frequentique Senatu, & Gallorum Legatis Cæsar gravem, & vehementem Hispanicâ linguâ habuit orationem, in quâ suam in Gallos indignationem, omnesque animi sui recessus aperuit. Nam mortuo Francisco Sfortia, Insubrum ultimo Duce, quùm Imperator *Carolus* Antonium Lævam pro Duce Mediolanensibus imposuisset, *Franciscus* Gallorum Rex, Insubrum Imperium ad se, antiquæ hæreditatis jure & Maximiliani Cæsaris concessione, pertinere affirmabat, qui Ludovico Regi, ejus nominis XII. post exactum, captumque Ludovicum Sfortiam, Mediolanum, totamque Insubriam, acceptâ honorarii muneris pecuniâ, adjudicasset. *Carolus* igitur in ea oratione *Franciscum* Regem perstrinxit. „ Quod fidem violasset, fœdus „ abrupisset, & totum ferè Christianum orbem contrà se concitasset; „ quod nullâ juramenti religione, quotidie nova bella moliretur, „ ac pernicioso exemplo, ab ipso Catholicæ fidei hoste Turcarum „ Imperatore, in suam, & Religionis cladem auxilium imploraret. „ Demùm is exitus orationis fuit, ut se paratum diceret cum *Francisco* „ Rege singulare certamen subire, quibus armis, quove loco Rex „ constitueret, ut reliquo Christiano sanguini parceretur. Quùm hoc diceret, adeò excanduit, ut verba ipsa, elatusque vocis sonus, ultrò ad arma ruentem, nimium satis expresserint, ipsumque *Paulum* à Sede Pontificia consurgere, & Cæsarem complecti, placidoque sermone delinire coëgerint. Postridie Cæsar Senas proficiscitur, honorificentissimè à Senensibus exceptus, oblatis urbis clavibus, ad declarandam veteris propensionis fidem. A Senensibus autem ad Florentinos provectum Cæsarem, Alexander Medices gener, summo studio excoluit. Deindè apud Lucenses triduo moratus, maximum ejus urbis studium, propensionem, liberalitatemque est expertus: Indè transgresso Apennino, Astam contendens, didicit Fossanum ab Antonio Læva expugnatum, & Franciscum Salussium regulum, deserto Gallo, in suas partes traductum. Quo felici rerum initio, Cæsar, ut Alpes maturè transiret, magis & magis accendebatur. Itaque coëuntibus undique maximis equitum & peditum copiis, cum toto exercitu iter versus Phocensem Provinciam instituit, ac transmisso Varo, qui amnis Franciam, Italiamque interfluit, mense Julio, ipso die, qui D. Jacobo festus celebratur, in hosticum penetravit. Tum recensitis copiis, circiter quadraginta millia in exercitu habuit, promotisque ad Fanum Maximini castris, captisque aliquot oppidulis, & arcibus, tandem ad Aquas Sextias, indeque haud

Cæsar acriter perstringit Francorum Regem.

Provocat Regem ad singularem pugnam.

1536.

Cæsar cum florentissimo exercitu penetrat in Franciam.

 procul

procul Maſſiliâ caſtra locans, Arclatenſem agrum latè vaſtat. Intereà *Franciſcus* Galliæ Rex, undique evocatis ad bellum beneficiariis ſuis, & totâ nobilitate arma capere juſsâ, cogebat circa Lugdunum copias, dabatque per Legatos operam, ut ab Helvetiis juſta auxilia mercede compararet. Dùm hiſce rebus curam impendit, duo moleſtiſſima accipit nuntia. Primò audit, Guiſam interceptam à Belgis. Etenim Henricus Naſſavius, ac Adrianus Reuſſi Comites, viginti peditum millia, & ſex equitum, in Picardiam duxerant. Indè ad Peronam ſedent, moliunturque obſidium. Alterum, Franciſcum Delphinum filium, quarto febris die, immaturo fato præreptum. Dùm Cæſar ad Aquas Sextias hæret, nuntium à Pontifice *Paulo* accipit. Is hortabatur, ut poſitis tandem odiis, ac pace inter Chriſtianos Principes ſtabilitâ, communem Catholicæ Eccleſiæ oppugnatorem, collatis viribus, coërcerent. Interim cum exercitus Cæſareus, jam claſſe non juvaretur, & coctâ Cerere careret, fructibuſque noxiis milites veſcerentur, indè morbis tentabantur, ac funeribus caſtra complebantur. Deniqùe eò res tandem rediit, ut ex inſperatò, ſupervenientibus Helvetiorum viginti millibus ad Franciſcum Regem, Cæſar re infectâ Genuam redierit: Indè navibus in Hiſpaniam ſolvit, ſecundiſſimâ uſus tempeſtate, urgente præſertim Andrea Auria, ut ante Brumales dies, eam profectionem maturaret.

Guiſa intercepta.

Morbi graſſantur in exercitu Cæſareo.

Naſſavius Peronam fruſtrà oppugnat.

Poſt Guiſam captam, Naſſavius & Reuſſius, quùm Peronam, oppidum ad Somam amnem poſitum, neque præſidio valido, neque multo commeatu, neque operibus ſatis munitum exiſtimarent, omnibus copiis aggredi ſtatuerunt. Mox Florangius Mareſcallus, qui Picardiæ præerat, cum centum quinquaginta cataphractis, & mille legionariis peditibus Naſſavium præveniens, urbem ſubit: ac Dammartinum regulum arci tuendæ imponit. Intereà Naſſavius cum omnibus copiis ſupervenit, oppidumque circumplexus, Idibus Auguſti tormenta promovit, quorum aſſiduis diſploſionibus proſtratâ muri parte, oppugnationem inſtituit. Verùm obſeſſi, ſtrati muri labem, tàm ſtrenuè propugnabant, ut cum per quinque horas, cruento prælio eſſet dimicatum, Naſſavius cæſis ſuorum trecentis, ſe in caſtra receperit, atque alia ratione oppidum expugnandum eſſe arbitraretur. Proindè ad cuniculos convertitur, actiſque, ſubter fundamenta magnæ arcis turris, binis cuniculis, ſubditiſque ignibus, eam funditùs evertit, Dammartino ruinâ oppreſſo. Naſſavius exciſâ turre, extemplò copias ad oppugnationem emittit. At fortiter repulſus, deſperatâque

que victoriâ, obsidionem solvit, & intra Flandriæ fines regressus est.

Franciscus Rex, pares hosti rependendas clades ratus, triginta hominum millia in Belgicos fines induxit, atque oppidum & arcem Hesdinum, egregiè munitam adortus est, multoque maximo tormentorum apparatu admoto, quinquagesimo obsidionis & oppugnationis die, in potestatem redegit. Tùm Pauli Fanum, Lillerium, & Sanvenantium ad deditionem adegit. Cæsariani, ut par pari reponerent, reparatis viribus, quanta belli clade poterant, fines Gallicos intrant, oppidum D. Pauli, vel Simpolium ut quidam vocant, vi capiunt, ac diripiunt, magnâ strage editâ, denique incendunt, cæsis quinque lectissimorum juvenum Gallicorum millibus. Eandem aleam subiit Monstrolium, amplissimum & copiosissimum Picardiæ oppidum; prius tamen passi sunt cives incolumes abire. Indè itum est ad Teruanam, Morinorum urbem, atque acri obsidione, oppugnationeque instituta, expugnare conati sunt. Obsessorum res ad grave periculum deducta erat, propter commeatus, & tormentarii pulveris inopiam, cum ecce Cal. Februarii 1537. Annibaldus, & Pienna usi nocturno itinere fretique peritis itineris ducibus, nitratum pulverem per quadringentos pedites intulerunt. Verùm dum se ad suos recipiunt, Burenus, intercepto ad pontem itinere, Gallos omnes profligavit, quadringentos cecidit, cepitque Annibaldum, & Piennam. Exindè Delphinus cum Mommerantio, cum viginti sex millibus peditum, ac gravis armaturæ mille sexcentis, levis bis mille equitibus, intrà Guinegatam, ac Terouanam castra locant, in omnem rerum gerendarum occasionem intenti, cum per inducias trimestres bello abstinetur, disceptatore hinc Arschoti Duce, cum aliquot Cæsarianis Consiliariis: Indè Poietto, Senatûs Parisiensis Præside, ac Berterano Regis Secretario.

1537.
Francus Hesdinum capit, aliasque urbes ad deditionem adigit.
Cæsariani Simpoliū capiunt diripiunt & incendunt.
Monstrolium eandem aleam subit.
Teruana obsessa.
Pacta induciæ ad Trimestre.

Hæc dùm in Belgio geruntur, Alphonsus Davilus, Vastii & Piscariæ Marchio, Cæsareanorum Dux inclytus, multa Gallis apud Allobroges eripuit: & cùm jam binis castris obsideret Taurinum, & Pinarolum, Gallosque ad summam alimentorum penuriam adduxisset, Henricus Delphinus cum justo exercitu superveniens, rebus necessariis, gravissimè pressos, sublevavit. Indè auspiciis *Pauli* 3. Rom. Pontificis, induciæ percussæ in tres proximos menses; cumque eæ desinerent, rursus in trimestrem prolatæ, denique in prolixiores prorogatæ. Exinde idem Pontifex enixè operam intendit, ut duo longè maximi Europæ Reges, *Ca-*

Taurinum & Pinarolū Vastius obsidet.
Deprecante Pontifice induciæ paciscuntur.

Pontificis studium ut inter Cæsarem & Regem pax coëat. rolus Cæſar, & *Franciſcus* Galliæ Rex, non dubiâ tacti religione, Europeis gentibus pacem & tranquillitatem darent, atque in mutuos ſinceræ amicitiæ complexus devenirent. Suntque Legati hujus ergò, ad utrumque pontificis nomine miſſi, qui præter cætera, obtinuêre, ut Principum uterque Nycæam, Provinciæ Lugdunenſis civitatem, ſe venturum polliceretur. Eadem de cauſa Pontifex, menſe Martio 1538. cum maxima purpurati Senatûs parte Româ profectus, medio circiter Majo, Nycæam venit. Tum Cæſar ex Hiſpania claſſe vectus, in portum Herculis Monœci, qui Villafranca hodie dicitur, ſecundâ navigatione pervenit: Deinde terreſtri itinere *Franciſcus* Villanovam ad Varum. Poſtremò uterque Principum Nycæam in diverſa hoſpitia venit. Egit ſeparatim cum ſingulis Pontifex, nec exorare potuit, ut ſe præſente, in Colloquium, atque amplexum devenirent, id tamen impetravit, ut in decem annos inducias inter ſe paciſcerentur. Subindè Cæſar, deſpondit *Octavio*, Pontificis nepoti filiam ſuam notham Margaritam, Alexandri Medicæi, Principis Florentiæ viduam, cui Pontifex dotis nomine, quindecim millia aureorum, in annuos ſumptus attribuit. Quamvis autem *Cæſar* & *Franciſcus* Rex, licet plurimum annitente Pontifice, id temporis familiariter congreſſi non fuerint, Cæſar tamen, per internuntios Franciſco indicavit, ſe priùs, quàm in Hiſpaniam renavigaret, in ejus complexum venturum. Mox ad Aquas Mortuas profectus eſt. Eò quoque acceſſit Rex *Franciſcus*, & in duas ſcaphas ſe dimittens cum Henrico Delphino, & Carolo Aureliano Duce, multiſque Proceribus, à Cæſare, ad latus quadriremis ſuæ prætoriæ, obviam accurrente, ſummo animi candore, in arctiſſimos amplexus ſuſceptus eſt. Poſteà Cæſar cum Rege diu arcana miſcuit colloquia, ità ut omnes in certam ſpem venirent, Reges deterſis odiis, conciliatos fraternæ amicitiæ fœdera concepiſſe, in ſpem maturæ pacis & concordiæ. Deindè Regem à ſe humaniſſimè dimiſſum, ad ſcalas quadriremis ſuæ deduxit. Alterâ luce, per omnes triremes edicit, ne quis ipſius injuſſu, in continentem exeat: Ipſe verò, cum aliquot aurei Velleris Proceribus, ingreſſus eſt urbem, cum Rege pranſurus. Ubi verò in continentem perlatus eſt, Rex & Regina, cum duobus liberis, illum humaniſſimè complectuntur, & in palatium Regis abducunt. Appetente crepuſculo, Cæſar Andream Auriam, qui ad claſſem remanſerat, certiorem reddit, ſe apud Regem pernoctaturum. Id enim Rex & Regina, ipſius ſoror, ab illo impetrârant. Voluit autem Cæſar ejus rei Auriam certiorem facere,

Marginal notes:

1538. *Nicæa colloquio dicta.*

Pacta induciæ in decennium.

Colloquium Cæſarem inter & Galliarum Regem.

facere, ne quid ille adversi suspicaretur. Alterâ luce Cæsar redit ad mare, deducente illum Rege, cum multa Procerum frequentia. Indè postquam in puppi Cæsarianæ quadriremis hilariter compotatum fuit, amicissimè discessum est. Hujus amicitiæ fiduciâ, *Carolus* Cæsar multa in itinere, quo Hispanias repetebat, cum Andrea Auria colloquutus, de bello Asiatico, Græco, & Africano suscipiendo luculentissimè disseruit: & de parta pace Reges, & Principes Christianos omnes certiores reddidit. Sed, qui usu rerum valebant, atque intimos utriusque Principis sensus introspexerant, haud diuturnam pacem futuram prædicabant. Nam Rex *Franciscus*, Mediolanense Imperium Cæsaris munere sibi omninò adjudicandum speraverat: contrà Cæsar indecorum, ac infaustum indè decedere arbitrabatur, ad quod non ambitiosis armis, sed optimo jure, atque inopinatâ hæreditate pervenisset. Porrò non esse ex usu juris & æqui, obstrui sibi aditum & portas ab Hispania in Liguriam venturo, quùm Genuenses Mediolanensium fortunam subsequantur: subindeque etiam tolli, tutum, atque expeditum iter in Germaniam. Eâ igitur spe frustratus *Franciscus*, posteà in novas belli cogitationes pertractus est, magno totius Reipub. Christianæ detrimento.

Hoc anno, pridie Cal. Julii Arnhemii ex hac vita obiit *Carolus Egmundius*, Dux Gelriæ & Cliviæ, Comesque Zutphaniæ, cum annos vixisset plusquam septuaginta, nullis ex conjuge Elizabetha, Lunenburgensium Ducissa, relictis liberis, nothis verò utriusque sexus aliquot. Quinquaginta ferè annis continuis cum Hollandis, domoque Burgundicâ, ac gentibus vicinis assiduè conflictatus, partium Gallicarum defensor pertinacissimus, Burgundicarum osor maximus. Defuncto Carolo Egmundano, Ordines, Urbesque Ducatus Gelriæ, ac Comitatus Zutphaniæ, Gulielmum Ducem Cliviæ, ac Juliaci, juvenem annis viginti duobus florentem in Principem hæreditarium Gelriæ deligerunt ac ei Sacramentum solenniter dixerunt Quapropter *Serenissima Princeps Maria Austriaca*, Hungariæ Regina, ac Belgii Præses, vigesimo Augusti, anno memorato 1538. nomine Cæsareæ Majestatis, misit ad Ordines Gelriæ, ac civitates codicillos, ac literas, quibus demonstrabat Cæsarem non minus, quàm ipsam, non sine admiratione, accepisse, esse ex civitatibus Gelriæ nonnullas, quæ consanguineum suum Gulielmum, Cliviæ ac Juliaci Ducis filium, ad se evocassent, eumque fide, atque obsequio præstito, legitimum ditionum Gelriæ hæredem ac Dominum declarassent; cùm tamen Cæsar

1538.

Obitus Caroli Egmundii Gelriæ Ducis.

Ordines Gelriæ ei sufficiunt Ducem Cliviæ ac Juliaci.

Literæ Reginæ Hungariæ ad Ordines Gelriæ.

existimet, sibi soli, jus earum ditionum competere, cæteris omnibus exclusis, nec laturum ullo modo id sibi eripi. Addebat, Cæsareæ ejus Majestati, ante annos perplures, justâ ac legitimâ emptione, cessioneque jus ditionum obvenisse, non modò nomine majorum ac prædecessorum Ducis Caroli; sed & nomine majorum Ducis Cliviæ Gulielmi, ejusque Atavi Gerardi Juliaci, qui jus suum universum, quod ei in Gelriæ ditiones esset, legitimè transscripsisset, ac cessisset Carolo Burgundiæ Duci, idque ingenti pecuniæ summâ, quæ & ipsi integrè esset persoluta. Et esse eandem deindè emptionem, transcriptionemque ab Imperatore Frederico, utpote rei clientelaris, principe jure Domino, approbatam: & eidem mox Carolo Burgundo, ejusque hæredibus, ab eodem Imperatore Frederico, Ducatum eundem, ac Comitatum ex formula mancipatum, fidem facientibus tabulis, ea de re datis, VI. Novembris 1473. Ad hæc declarabat, eundem jam dictum Carolum Burgundum, horum, quæ memorata sunt, vi, potitum esse ditionibus Gelriæ & Comitatu Zutphaniæ, eosdemque, quamdiu vixit, pacatè possedisse; ac mox ipso defuncto, laudatissimæ memoriæ Maximilanum, Austriæ tùm Ducem, in earundem ditionum possessionem missum; atque indè ejusdem filium, laudatissimæ item memoriæ, Philippum, Castiliæ Regem, testantibus id quoque codicillis, datis Hagoviæ 3. Aprilis 1505. Et cum varia exindè bella exorta sint, inter Prædecessores Cæsareæ Majestatis, & Prædecessores Caroli Gelri, & occupatores dictarum ditionum: Esse postmodum inter ipsum Cæsarem, Dominum, ac fratrem suum, & eundem Carolum Gelrum, diversos tractatus initos, quibus eidem Carolo usufructus Principatuum, jam memoratorum, relictus fuerit. Et Carolus deniquè agnoscendo jus, quod Cæsar sibi vindicabat, justum & æquum, assenserit postremò, ut iidem Principatus ac Comitatus, ab obitu suo reciderent in ejus Majestatem, ut verum ac legitimum eorum hæredem. Patere proindè omnibus satis superque existimabat, nemini, nisi Cæsari, Domino ac fratri suo, jus in easdem ditiones competere, eumque a jure suo neutiquam recedere, in animum induxisse.

Responsum Ordinum Gelriæ. Ad hæc Ordines Gelriæ paucis responderunt: Ditiones, aut earum Delegatos, ad ejusmodi tractatus, haud accersitos, aut eorum conscios fuisse, multoque minus in eosdem consensisse; quod tamen in re emptionis, aut aliàs locum habet, aut habere debet. Quæ res postmodum calamitosissimo bello occasionem præbuit.

Circa

Obitus Everardi à Marka, Cardinalis Antistitis Leodiensis.

Circa idem ferè tempus desiit vivere *Everardus à Marka*, Cardinalis Antistes Leodiensis, Princeps multæ prudentiæ, qui pro Cæsare, & Sacro Rom. Imperio, plurimos feliciter labores exantlavit; ubique fortissimus fidei Catholicæ Athleta stetit. Lutheranismum irrepentem, & jam germinantem, pro viribus compressit. Ditionem vero suam Leodiensem, ab ea lue immunem, tutamque servavit.

1539.

Fatalem hunc annum quoque experta est Isabella Cæsaris conjux.

Hoc quoque anno mortalitatem complevit gloriosissima *Isabella*, *Caroli* Cæsaris conjunx, idque in puerperio, editâ quidem prole, sed quæ non diu matri fuit superstes. Ejus mors mœrore Cæsarem, Regnumque implevit.

Eleonora Franciæ Regina, sororem suam Mariam Cameraci invisit: quò etiam venit Franciscus Rex.

Nonis Octobris *Eleonora* Franciæ Regina Cameraci convenit *Mariam* Belgii Præsidem, sororem suam, ac de pactis induciis sibi invicem gratulantur. Postero die Rex *Franciscus* eodem venit, ac Septimo Idus Octobris ad fanum D. Quintini perductas, honorificentissimè per aliquot dies excepit. Inde *Franciscus* cum Regina Compengam, Maria verò in Hannoniam rediit.

Seditio Gandensis, ejusque causa.

Anno 1539. Gandavenses, longâ Cæsaris absentiâ, insolescentes, viribusque suis audaciùs confisi, Imperium detrectare cœperunt. Magistratus, Præfectosque Cæsaris ex urbe ejiciunt, complurium ædes expilant, arreptisque armis, ad portas excubant, speculatores in muris collocant. Seditionis causa fuit; Flagrante anno 1536. cum Gallis bello, *Maria* Austriaca, quæ Cæsaris nomine Belgio præerat, in solemni omnium Provinciarum conventu, obtinuerat in Gallici belli sumptus, gratuiti tributi nomine, duodecies centena florenorum millia, è quibus Flandri, pro rata sua parte, erant soluturi quadraginta millia. Soli Gandavenses, insigni contumaciâ, restiterunt. Quamobrem Gubernatrix cives Gandavenses Bruxellæ, Mechliniæ, Antuerpiæ aliisque locis repertos, honestâ custodiâ attineri jubet, donec civitas in partem tributi venisset. Gandavenses de his certiores redditi, extemplò legant Bruxellam urbis Syndicum, Levinum Blommium, turbido insolentique ingenio virum, qui Reginæ offert libellum supplicem, postulans dimitti cives, proferebatque Gandavenses à pecuniarum collatione liberos & immunes. Placet Reginæ Mariæ illorum prærogativas in Senatu Mechliniensi, aut in Sanctiore conclavi examinari, seque judicatum facturam profitetur, eâ tamen lege, ut intereà portionem suam persolvant, si cives dimitti cupiant. Post hæc Ordines Flandriæ, mittunt similiter ad Mariam libellum supplicem, petentes ampliari causam, donec Cæsar de contro-

controversia edoctus, sententiam pronuntiasset: atque in hanc rem auferunt menses tres. Intercedunt Gandavenses, ac testatò reclamant, diem esse perangustum, petuntque laxiorem, hancque denuntiationem suam in commentarium referri postulant. Cæteri Flandri, in Hispaniam Oratores ad Cæsarem legant, qui auditâ legatione, lectisque Sororis literis, Gandavensibus, & Ordinibus Flandriæ rescribit, ut Mariæ dicto sint audientes, & si aliqua in re immunitates suas concuti, aut infringi existiment, Senatui Mechliniensi, aut Sanctiori Concilio definiendum committant, horumque sententiæ stent, nisi pro seditiosis, & rebellibus haberi malint. Interim Gandavenses in Gallicum nomen proclinati, ad Regem Franciscum Legatos destinant, qui orarent, ut se in regiam fidem ac tutelam acciperet; plures in Flandria urbes id expetere, & sequuturas exemplum. Quod ille omninò recusavit, causatus inducias, quæ sibi cum Cæsare intercedebant: maximè verò quod Cisalpinæ Galliæ Imperium, à benignitate Cæsaris, pro filio suo Carolo, se obtenturum haud diffideret. Perscribit igitur Cæsari, quid Gandavenses moliantur, ac unà eorum literas transmittit. Quod ubi rescivit Cæsar, per Galliam in Belgium proficisci statuit, licet plures, ne id faceret, prorsus eum deterrerent. Verùm Cæsar, acceptâ à Rege fide publicâ, mense Novembri cum perpaucis Proceribus itineri se committit; præmisso in Galliam Gravellano, ut pacis leges, eâ conditione describeret, quas ipse in Belgio existens, ratas haberet: ne si alienæ potestatis factus, in solo nuper hostili minùs liberè de pace transigeret: nevè ignobili metu circumseptus, ad iniquas, & indecoras conditiones descendisse videretur. Quod *Franciscus* Rex, interprete Annæo Mommerantio, Francorum exercituum summo Prætore, facilè receperat. Ita Bajonam Regii Liberi cum Mommerantio ad excipiendum Cæsarem mittuntur. Indè Burdegalem, ac in Pictaviam mense Decembri pervenêre, Rege cum Regina *Eleonora* occurrente ad Castellum Heraldi, & deducente regiâ magnificentiâ Parisios usque Septem in urbe regia dies moratus, Rex Cæsarem Sanquintinum usque, honoris causâ, perduxit, & Regii Liberi Valencenas apud Hannonios: ubi cum à *Maria*, Cæsaris sorore, aliquot diebus honorificè, & lautè fuissent excepti, Cæsare valere jusso, in Franciam revertêre.

Gandenses mittunt oratores ad Regē Galliarū ut se in tutelam accipiat.

1540. Cæsar de his per Regē certior factus, per Franciā in Belgium iter instituit.

Cæsar appellatur à Rege Francisco, ut pacis formulā ratā habeat.

Valencenis Regis Francisci Legatus Cæsarem appellat, ut pacis formulam, in Francia scripto consignatam, ratam habeat, eamque chirographo suo firmet. Verùm Cæsar, negotium pacis in

adventum Ferdinandi fratris rejecit. Is tùm è Norico Rheno devectus adventabat, statimque, ab ejus assensu, rem se perfecturam respondit. Poterat facilè inter duos illos longè potentissimos Europæ Reges, pax firma & constitui & coalescere, si Rex *Franciscus* à Mediolani amplissimâ ditione, pro qua repetenda, per viginti fermè annos, commoto, & perturbato terrarum orbe, infelici contentione dimicaverat, animum revocare voluisset. Interim venit in Belgium *Ferdinandus* Rom. Rex, Cæsaris germanus frater, adducens duas delectorum Germanorum peditum legiones, & cum eodem, ac sorore *Maria*, omnibusque ferè Belgarum Proceribus, mille & quingentos equites adducentibus, Cæsar vigesimo quarto Februarii 1540. Gandavum intrat; sed is erat oris habitus, ut non natalis soli urbem, & altricem pueritiæ suæ, sed invisa & inimica prorsùs mœnia, tectaque subire videretur. Itaque ulturus injuriam, statim ad omnes urbis portas, perque urbem, ac pomœria, custodias disponit. Ac mox, coacto Procerum, Senatusque totius Flandriæ Concilio, Fisci Advocatum accusationem adversus rebelles instituere jubet. Is ordine recensitis contumeliis, quibus diversis temporibus superiores Flandriæ Comites, exagitarant; redarguit quoque, quæ illi obtendebant Comitum Guidonis, & Ludovici privilegia: Ea nimirum non universam Flandriam, sed urbem solam Gandensem spectasse, si ei fortasse soli, pecuniaria collatio Imperata fuisset. *Maria* verò Burgundæ privilegium, quam, cæso patre, in urbe captivam detinuerant, non nisi vi extortum fuisse, demonstrabat, præsertim cum ipsa *Maria* contra violentam ejusmodi extorsionem, exindè intercessit, fassa se per vim diploma dedisse. Hinc, ex enumeratis accusationis capitibus, hanc consecutionem ducebat: Gandenses, quique cum eis fecissent, non solùm privilegiis universis excidisse; sed & vitæ, fortunarumve omnium multam admisisse, petere se proindè, ut sancitâ legibus pœnâ plectantur. Ad quæ Gandensium Syndicus responsurus, pauca, quæ ad rem facerent, in medium posuit. Et cùm crimen diluere non posset, misericordiam Cæsaris implorat, & pristinæ suæ lenitatis & clementiæ oblivisci nolit. Cæsar re in deliberationem vocatâ, tandem pridie Cal. Maias, in publico Senatus consessu, expiatoriam sententiam pronuntiari jubet; quâ non modò urbs, incolæque universi suis immunitatibus, prærogativis, privilegiis, consuetudinibus, jure ac jurisdictione in totum multati; sed & bona fortunæque, tùm & annui census, reditus, ædes, tormenta, bellicusque omnis apparatus, campanaque,

Ferdinandus Rom. Rex venit in Belgiũ.

Cæsar subit Gandavum.

Advocatus Fisci instituit accusationẽ adversus rebelles.

Respondet Syndicus Gãdensis.

Gandenses omnibus privilegiis excidisse pronuntiantur.

Rolandus, dicta, aliaque similia, quæ urbis, collegiique textorum fuerant, fisco Cæsaris, ut de iis pro arbitrio suo statueret, addicta omnia. Exque Optimatibus pretereà quinquaginta nominati, & illis insuper adjuncti ex Syndicis, Secretariis, scribis aliisque clarioribus civibus perplures, veste induti pullâ, capitibus intecti: & alii denique quinquaginta, Creserii nuncupati, lineâ tantùm, supra nudum corpus, veste talari circundati, qui laqueis collo insertis, ac Cæsaris advoluti genibus, veniam præteritorum publicitùs orarunt, iterum iterumque rogantes, Cæsar, sororque ejus Maria, in pristinam eos gratiam recipere dignarentur. Exindè seditiosorum coryphæi, numero viginti & sex, judicio damnati, in foro securi percussi sunt. Ipsa postremò urbs, in summam centum & quinquaginta millium florenorum semel, & singulis annis in sex millium eorundem florenorum, perpetuò multata, estque intrà viscera, ad cœnobium Divi Bavonis memoriæ dicatum, sumptu urbis, arx erecta, ut Gandenses jugum ex merito cervicibus impositum, sentirent.

Quinquaginta lineâ tantum, supra nudum corpus veste circumdati laqueisque collo insertis, veniam & condonationem præteritorum petunt.

Arx Gandavi extructa.

Cum Cæsar esset Gandavi, venit ad eum Guilielmus Marcanus, Cliviæ, & Juliaci Dux, qui, (uti supra meminimus) Gelriæ Ducatum, & Comitatum Zutphaniæ sibi vendicaverat, ut jus, quod sibi in eosdem Ducatus, & Comitatus competere existimabat, coram tueretur. Ibi, cùm animadverteret in contrarium ire Cæsaris Consiliarios, qui nullo illum jure niti, luculentis auctoritatibus, & tabulis fidei haud dubiæ, asseverabant; Gulielmus se consulturum Ducissam matrem, & Provinciales suos dixit, & sub eâ, quâ venerat fide, intrà fines suos est reversus. Sentiens verò, sibi cum Cæsare, de Principatu armis mox esse contendendum, nec uni eas vires fore, quæ tanto Herculi sustinendo sufficerent, in Regem Franciæ vota convertit, & ad eundem, veluti ad sacram anchoram, confugit.

Guilielmus Cliviæ & Iuliaci Dux, animadvertens sibi cum Cæsare de Ducatu Gelriæ armis esse contendendum, opem Regis Galliæ implorat.

Tertio Idus Maii Rex Rom. è Belgio in Austriam revertitur; Cæsar verò Gandavo, Brugas contendit, indeque in Zelandiam, ac Hollandiam profectus, Hagæ-Comitis ipse, jus subditis aliquoties in Senatu dixit, tandemque peragratis nobilioribus Hollandiæ, ac Ultrajectinæ ditionis civitatibus, sub finem Augusti Bruxellam rediit.

Rex Rom. revertitur in Austriam.

Cæsar Hagæ-Comitis subditis jus ipse dicit.

Siccitas hujus æstatis, celebratissimi fuit nominis, cùm nullo diu humore conspersa tellure, putei, cisternæ, & fontes perennes exarescerent, pecudes pabuli inopiâ contabescerent, sataque emarcesserent, excepto vino, quod non solùm generosissimum

ſſimum, ſed etiam ingenti fertilitate provenit.

Foverat hactenus ſpem aliquam Galliarum Rex Franciſcus, obtinendi pro Carolo filio Mediolanenſem Ducatum: ſed miſſis ad Cæſarem, antequam è Belgio moveret, ſummæ dignitatis Legatis, cognovit planè aliam eſſe mentem Cæſari, quàm de eo, in Galliis cum eſſet, conceperat. Tunc indignatus Rex ſe illudi, omnem captabat occaſionem, ut parem Cæſari gratiam referret: nihilque ad rem accommodatius accidere potuit, quàm quod Gulielmus Clivenſium Princeps, ſimulans ſe ad Comitia Ratiſponenſia, eâ tempeſtate indicta, proficiſci, Amboſiam (quod eſt ad Ligerim in Turonibus oppidum) ad Franciſcum ſe contulerit. Igitur Rex, Gulielmum Ducem à Cæſare alieniorem videns, ac ratus amicitiam ejus non inutilem ſibi fore ad impetendum vicinum Belgium, milite, ac ſtipendio ſe ei adfuturum, ejuſque ditiones tutaturum pollicetur. Et ad vinciendum arctiùs fœdus, Franciſcus ei deſpondet Joannam Margaretam, ſororis ſuæ, & Henrici Navarræ Regis filiam. Ab hac affinitate, ſocietateque Regis, Gulielmus in ſpem veniebat, ut Gelriam facilè tueretur, atque eò quidem feliciùs, quod ei fœderi ſocius aſcriptus erat Daciæ atque Norvegiæ Rex Chriſtianus, qui Chriſtierno propter nefariam ejus crudelitatem, in carcerem ad vitæ exitum conjecto, ſucceſſerat. Sed id fœdus non ceſſit ex arbitrio Ducis, eæque nuptiæ irritæ fuerunt.

Fœdus inter Franciſcum Regem, & Gulielmum Clivia Ducem.

Quæ dum inter Regem, Ducemque agitantur, Cæſar anno à Virginis partu 1541. è Belgio in Germaniam, per Mediomatricos, ac Nemetes, ad Comitia Ratiſponæ indicta, contendit. Ibi, poſtquam inſigni gravitate, pietateque, religionis caſum deploraſſet, omniaque fruſtrà egiſſet, ut diſſidentes ad patrum majorumque inſtituta reduceret: nuntiatum eſt Solimannum, Pannoniæ fines cum validiſſimo exercitu ingreſſum, expugnatiſque aliquot oppidis univerſum penè regnum occupaſſe, & jam cum victore exercitu imminere Auſtriæ. Igitur, poſtulante Cæſare, Germaniæ proceres & liberæ civitates ad eum conventum evocatæ, decernunt; ut *Ferdinando* Regi Rom. ad Budam cum Turcis bellum gerenti, auxilia præbeantur. Inſuper hæc Gulielmus Clivenſis Dux, quod neglectâ auguſti Imperii authoritate, Geldrenſis Principatus hæreditatem adiiſſet, hoſtis judicatur. Controverſia religionis eodem ſtatu maneret, donec indicto, celebratoque generali Concilio, omnes oborti errores, tollerentur. Id autem Cæſar, ut intrà biennium fieret, cum *Paulo* ſummo Pontifice curaturum

1541. Cæſar proficiſcitur ad Comitia Ratiſponenſia.

Solymannus in Pannoniâ irrumpit.

Dux Clivenſis hoſtis Imperii pronuntiatus.

Vrgent Legati Galli Cæſarem, ut Ducatum Mediolanenſem tradat Carolo Aureliano.

turum promittebat. Antequam è Germania diſcederet Cæſar, urgebant Regis *Franciſci* Legati, promiſſum in Franciâ Carolo Aureliano Mediolanenſem Ducatum traderet. Cum diutiùs extrahere moras, ſuſpenſumque Regis animum, incolumi pudore, tenere non poſſet, antea deliberata protulit, aiens: ſe magnis de cauſis Mediolanenſi Imperio decedere non poſſe, in ejus verò compenſationem, aſciturum ſibi in generum *Carolum Aurelianum*, promiſſa *Maria* filia in uxorem, daturumque dotali nomine Belgarum Provincias. At *Franciſcus*, eluſus ſpe ſuâ, ac recrudeſcente antiquo vulnere, implacabile odium reſumit, novas amicitias, novaſque ſocietates init, Principum Germaniæ voluntates à Cæſare avellit, ſibique eos largitionibus obnoxios reddit. Cæſar, quò ea ſpectarent, facilè animadvertens, diſtrahere adverſarii vires, quoſque ei amicos & ſocios futuros augurabatur, in ſuas partes pertrahere omni ope adnitebatur. Eam ob cauſam Antonii Lotharingiæ Ducis filio Franciſco, uxorem dedit Chriſtianam, filiam Daniæ Regis Chriſtierni, natam è ſorore ſua Elizabetha, viduam intactam Ducis Mediolanenſis Franciſci Sfortiæ, quas nuptias non minùs ægrè tulit Rex Galliæ, quàm Cæſar Clivii cum Navarræa.

Cæſar apertè declarat ſe Mediolanenſi Imperio decedere non poſſe, ejuſque loco offert Provincias Belgicas.

Cæſar exceptus Mediolani modeſtiæ ſpeciem præbet.

Exindè Cæſar, conſcriptis in Germania duabus peditum legionibus, & mille equitibus, per Tridentinas Alpes in Italiam contendit. Tandem Mediolani exceptus eſt, incredibili ſtudio civitatis, ſub umbella aurea, ſed ipſe atra in penula, vilique pileolo, ſpectari voluit, nec diſſimilis animi habitus, in gravi, parumque hilari ejus vultu, notabatur; ità ut cladem, quam pridiè ad Budam *Ferdinandus* ejus frater acceperat, præſagire videretur. Paulò poſt, Genuam contendit, ubi ex Ferdinandi fratris literis, de Turcarum contrà Hungaros victoria, Germanorum clade, & Solimanni adventu certiùs cognovit. Quo nuntio adducti Vaſtius, & Auria, ſuadebant, ut petendæ Africæ conſilia, in vernum tempus differret, & cum his, quas conſcripſiſſet copiis, in Italia moraretur, utindè ad opem fratri ferendam, deterrendoſque Barbaros, reverſuri ſpeciem præberet, tuereturque interim Italiam adversùs Gallos, quos nulli omninò occaſioni defuturos, proſpicerent. Nihilò ſeciùs Cæſar, toto animo in Africam ferebatur, ut Turcas in Pannonia bellum gerentes, contempſiſſe potiùs, quàm timuiſſe videretur. Intereà *Paulus* Pontifex, ab Urbe Lucam, ante Cæſaris adventum, pervenit. Illuc Imperator cum veniſſet, ter Pontificem, ſemel Pontifex Cæſarem, ad mutua colloquia adiit. Quem, ut relictâ Algerii expeditione, pacem cum Gallorum Rege componeret

Hungari Germanique ad Budam à Turcis cæſi.

Colloquium inter Pontificem & Cæſarem.

poneret, sæpiùs hortatus, neutrum obtinere potuit. Id tamen inter eos constitutum, ut Concilium sequenti anno haberetur, & Ratisponensia acta, quæ antiquis Patrum canonibus essent contraria, corrigerentur. Mox Pontifex Deum, Divosque omnes, ut naviganti Cæsari feliciter aspirarent, suppliciter precatus, Bononiam se contulit, atque indè in Urbem est reversus. Eodem tempore introductus est ad Cæsarem Francisci Regis Legatus, ad id missus, ut quereretur, publicæ pacis violatas Sacro-sanctas leges, inhumanâ cæde Legatorum suorum. Miserat Franciscus, Cæsarem Fregosium Genuensem, ad Venetorum Rempublicam, & Antonium Rinconem, Hispanum exulem, ad Solymannum. Ii cùm Taurino simul Venetias peterent, ac dissimulato habitu, Pado amne navigarent, ab Hispanis, qui terrâ pariter ac flumine diligenter excubabant, circumventi, interfecti fuerant. Cæsar ad id, apud se jus induciarum inviolatum esse, inviolabileque mansurum respondit. Quicquid verò illis accidisset, injussu suo, & se ignaro, penitùs accidisse; proindè si facinoris admissi auctores indicarent, eos omninò comprehensurum, & ad supplicii pœnam, Regi Francisco, traditurum. Sed utcumque sit, ea cædes, cruentissimo bello ansam dedit. Interim Georgius Austriacus, Cæsaris Maximiliani filius Nothus, Archipræsul Valentinus, ex Hispania, per Galliam, in Belgium proficiscens, Lugduni in carcerem conjicitur, necis quam diximus, ulciscendæ causâ.

Querela Legatorum Francisci Regis.

Responsum Cæsaris.

Intereà Cæsar, Italicis cohortibus, atque item sex millibus Germanorum in onerarias naves distributis, mense Octobri, è Lunensi portu solvit, cum triginta quinque rostratis navibus, & Corsicam Insulam, in mari Ligustico, prætervectus, ad Baleares insulas, nunc Majoricam & Minoricam dictas, cursum intendit: Indè Siciliæ litora emensus, auctusque Ferdinandi Gonzagæ, proregis Siciliæ, classe, quæ Hispanos vehebat, cum ingenti nautici panis, & reliqui commeatus copiâ, decimo Cal. Novembris Africano litori, sub meridiem applicuit, Mendosamque ab Hispania cum sua classe eòdem venisse, reperit. Universa classe, ad Algerium, in anchoris stante, biduum transiit, quo tempore Cæsar scaphis, actuariisque naviculis viginti peditum millia, cum maxima equitatus, ac tormentorum parte, in terram exponi jussit. Mox tribus per Hispanos, Germanos, & Italos castris, oppidum complexus, tormenta navibus educi imperat. Omnibus igitur ad Urbem oppugnandam egregiè comparatis, fortuna Cæsari infestior, spes ejus evertit. Etenim repentè imber, à prima statim vigilia,

Cæsar solvit in Africam.

Algeram circumcingit.

Fœda tempestas, spes Cæsaris evertit. maximè gelidus & procellosus, totâ nocte in exercitum continenter effusus, multum illi molestiæ & detrimenti attulit. Ad hæc, fatali diversorum ventorum conjuratione, atrocissima tempestas coörta, pelago incubuit, usque adeò, ut naves nutantibus malis, atque inter se proris adversis, ac puppibus concurrentes, anchorarios funes, & quosque validos rudentes, abrumperet, collisæque demùm, atque diffractæ mergerentur: ità ut totum id litus, ejectarum navium fragmentis, ac hominum, & equorum cadaveribus sterneretur. Periêre paucissimis horis circiter centum & quadraginta, varii generis, navigia, quorum jacturam, innumerabilia tormenta ænea, mari hausta, augebant. Non desunt illi opportunitati Turcæ equites, & Mauri pedites, magnoque impetu in Cæsarianos irruentes, non paucos trucidant, & mox in fugam compellunt. Desideravit eo die, ab hostibus cæsos milites, ultrà trecentos, ac inter hos non paucos, præclari nominis, veteranos præfectos. Vulnerati autem multò plures ducentis. Nec multo post Andreas Auria, diffisus loco, ad Matafusium promontorium, tanquam tutiorem stationem, cum classe se proripuit; commonefacto Cæsare, ut illuc terrestri itinere contenderet. Ita Cæsar comprobato consilio, postridie ab Algerio discedens, tribus tandem castris ad classem pervenit. Jam venti posuerant, & ea erat consecuta maris tranquillitas, ut exercitus in naves imponi, ac in Europam reportari posse videretur: sed tot navibus naufragio absumptis, quùm onerariæ naves tantam multitudinem capere non possent, edixit pius Princeps, ut equi ad unum omnes in mare projicerentur. Sed vix dum dimidia pars militum conscenderat, quùm tempestas priore sævior, oborta est. Quare nautæ eò cursum direxêre, quò vis ventorum eos rapiebat. Cæsar verò cum rostratarum classe Africæ litora prætervectus, in Uticæ portum, qui Farinas hodie vocatur, se intulit, ubi cum Muleasses, quem Tunetano regno anteà restituerat, omni commeatus genere affatim recreavit. Indè aspirante Euro, ad Balcares insulas cursum tenuit, ac tandem sub finem Novembris, Carthaginem novam, in Hispaniam salvus pervenit, licet publica sparsisset fama, Cæsarem undis obsorptum interiisse. Milites passim incolumitati restituti, prædicabant: *Alibi Carolum agmina, Algerii sese, & aëra & maria vicisse.* *Sævior priore tempestas oborta.*

Anno Salutis 1542. recruduit bellum calamitosissimum inter *Carolum* Cæsarem, & *Franciscum* Galliæ Regem. Percrebuerat omnium sermone Cæsarem fluctibus maris obrutum. Quamobrem

brem *Franciscus* imminens occasioni, Mediolanensem Ducatum quoquomodo repetendum censebat. Itaque quinis exercitibus Cæsaris ditiones, uno tempore invadendas statuit. Hùc accessit cædes Frægosii, & Rinconis, quam vindicare volebat. Igitur rebus omnibus ad bellum comparatis, inferendi belli munia liberis dispertit, peritosque rei militaris Duces, qui ætatem consilio moderarentur, attribuit. *Henricus Delphinus*, Rossillonios apud Cantabros invadendos desumpsit. *Carolo Aureliano*, Lucemburgensis regio decreta est. Delphinus, coäctis quadraginta peditum millibus, inter quos quatuordecim Helvetiorum millia erant, ad Pyrenæos montes perrexit, ut Perpinianum, Rossilonii Ducatus primariam Urbem, occuparet. Verùm *Ferdinandus Toletanus*, Albæ Dux, cum aliquot cohortibus antè Delphini adventum, in urbem penetraverat, & Mancineccâ, Cerbellioneque veteranis Ducibus munitioni, custodiæque præpositis, ad cogendum militem Gerundam discesserat. His cognitis rebus, Henricus cum Ducibus Annebaldo & Mompesatio disputabat, an oppugnanda Urbs foret; tormenta admovenda uno loco Annibaldus censebat, alio Mompesatius; vicit demùm sententia Annibaldi, quanquam deterior, ut mox ex eventu constitit. Cæterùm cum jam grassarentur inter castra morbi, atque Autumni imminerent imbres, Henricus obsidionem solvi imperat, ac re infectâ, Monpellerium ad patrem est reversus. *Carolus* verò *Aurelianensis*, alter Regis filius, cui aderat Claudius Guisius, Lotharingiæ Ducis frater, postquam coëgisset duodecim millia Germanorum peditum, sex millia Francorum, & tria equitum millia, mense Junio Lucemburgios invadit, fortunaque ejus belli initiis benignè, cumulateque favit. Damvillerium vi capit, diripit, atque evertit. Deindè Juosium, & Arlonium ad deditionem perpulit. Hinc ad Lucemburgum exercitum ducit, ac post paucorum dierum oppugnationem, in potestatem redigit; similiterque Momedium. Sic, præter unam Thonisvillam, tota provincia Franco submittitur. Alius Gallorum exercitus, duce Vindocinensi Principe, in Atrebates, atque Morinos irrupit, & aliquot castella occupat. Nec Pedemontio ab hoste licet esse securo: Nam ibi quoque Gallicæ copiæ, ductore Bellaio Langæo, omnia pervastabant, ac incendiis effusissimè grassabantur. Nec contentus Rex Franciscus, tot locis invasisse Cæsarem, etiam Nicolaum Bossuum, Longevalli Dominum, Juliacum mittit, qui coäctis ex Sicambris, & Menapiis aliquot peditum & equitum millibus, adjunctoque sibi Martino Rossemio, Sicambro bellicæ

Franciscus I. Galliarum Rex quinis exercitibus Cæsaris ditiones invadere statuit.

rei

rei peritissimo, cum iis copiis, quas Dux Cliviæ & Gelriæ Gulielmus, regiâ Francisci pecuniâ conscripserat, Brabantiam invadit; conflabant exercitum duodecim peditum millia, ac mille, quingenti equites. At *Maria* Cæsaris soror, quæ Belgio præerat, ubi famâ perlatum est, tot copias cogi, ad Guilielmum Ducem, literas, ac legatos mittit, qui ejus animum explorent, coäctique in ejus finibus tanti exercitus causam sollicitè exquirant. Ille ambigua respondet: putare scilicet, eam militum manum ab initio, ut contra Turcas duceretur, à Duce non uno conductam, ac ideò finibus excessuram: Ipsi porrò nihil opus esse copiis, cùm undique bonâ pace, cum finitimis utatur. Populis autem ad arma natis, liberam semper fuisse potestatem eorum auspicia sequi, quorum, vel occultato nomine, stipendia præberentur. Nec multò post Rossemius, qui opes Antverpiæ urbis tacitus inhiabat, ut incautos occuparet, motis castris, ad Leodienses iter flexit, petens, sibi in Galliam contendenti, transitus daretur, ut Navarræ filiam nuper Duci Gulielmo desponsam, in Cliviam deducat. At illi, armatis externorum copiis, iter per fines suos præbere pernegabant. Itaque in lævam iter deflectens, ad Mosam amnem prepropere contendit. *Regina Maria*, Belgii Præses, quot potuit equitum turmas, & subitarias peditum centurias, irrupturo hosti, objecerat. At Rossemius trajecto juxtà Ravenstenium flumine, populatusque Taxandriam, Fanum Oyen-royæ, Orschotum ac Hilvarenbekam occupat, diripitque. Indè vastabundus per Berlam ducens, ad Hooghstratum castra promovet. Municipium est, antiqui Baronatus titulo clarum, nunc Comitatus prærogativa gaudens, oppidi privilegiis, variisque immunitatibus, & nundinis à Ducibus Brabantiæ dotatum, præsertim foro hebdomadali, diebus Mercurii concesso. Templum habet D. Catharinæ Sacrum, cum ditissima, & peregregii operis turri, latè spectabili, plateam in longitudinem porrectam silice stratam, unde nomen, longa & continua domorum, haud inelegantium serie prætextam. Habet prætereà arcem, ad leucæ plus minus trientem à municipio abjunctam, validam ac probè munitam. In hanc incolæ cum uxoribus & liberis se receperant. Cùm autem non lateret Rossemium, in ea magnam vim pilarum, & tormentarii pulveris servari, quâ unâ re maximè egebat exercitus, ad expugnandam Antverpiam; id enim unum in voto erat, opulentissimo totius Occidentis emporio potiri, & opimâ prædâ milites explere. Quapropter misso ad Hoochstratenses caduceatore, deditionem faciant, effla-

Martinus Rossemius varia loca in Taxandria occupat.

Hooghstratum deditione capit.

efflagitat, & nisi extemplò facerent, omnibus cædem, atque ignem tectis minabatur. His exterriti minis, tùm & tumultuatione fœminarum ac imbellium deprecatione permoti, danti Rossemio fidem, certis conditionibus deditionem faciunt. Nec defuit promisso fides, siquidem nemine violato, nihil ademptum est, præter ea, quæ in ipsis deditionis conditionibus postularat, sulphurei scilicet pulveris cados centum, pluresque item pilas ferreas, & quatuor tormenta muralia. Dum Hoochstrati milites recrearet Rossemius, per exploratores didicit, *Renatum* Aurantiæ Principem, cum quingentis equitibus, ac circiter tribus peditum millibus, Bredâ exiisse, iterque Antverpiam ea mente instituere, ut hostium adventum suâ celeritate præveniret. Necesse erat utrique, diversâ viâ Antverpiam contendenti, Brescotum petere, quod erat Municipium Antverpiâ circiter septem milliarium spatio dissitum. Hìc cum viæ militares in unum coïrent, Rossemius expediti ac durati in armis militis studio & diligentiâ feliciter usus, id egit, ut Aurantio iter præcideret, occupatoque Brescoto, cum animadverteret locum tendendis insidiis minimè opportunum, quod arbustis tumulisque careret, novo commento suos toto campo pronis pectoribus procumbere jubet, & equitatum, cui præerat Longevallius, Clivensis equitum magister, ad adversam castelli partem occultat; quadringentis tantùm equitibus atratis, à Daniæ rege Christiano submissis, juxtà Briscoti exitum collocatis. Ductabat Belgas equites vir impiger, nomine Lubertus Turcius, homo Gelrus, sed Cæsari fidus: Is haud longo spatio ante peditatum cum sua turma provectus, quùm raram & exiguam apud hostes equitum manum conspiceret, ratus exploratricem esse, & facilè eam, veluti in antecessum, posse profligari, ad invadendos hostes procurrit. At illi, uti fuerat imperatum, laxatis habenis longissimè fugiunt, quorum tergis hærentes Belgæ, ad arbusta pertrahuntur. Festinabat Aurantius cum peditatu, ut in societatem victoriæ veniret, quùm, dante signo Rossemio, legiones, veluti novo miraculo, tellure eductæ, repentè prosiliunt, prodeuntque simul Longevalli equites ex insidiis, à fronte & à latere Belgas impetunt. Ipse Aurantius Princeps, cum inter confertos hostes versaretur, celeri equo elapsus, primus suæ cladis nuntium, Antverpiam intulit. Ex peditum numero, ad duo circiter millia positis armis, se hosti dediderunt. Mirum dictu est, quantum hæc strages civitati per se anteà metu consternatæ, terrorem attulerit. Sed postquàm Aurantius cives

Aurantii cautias militari astu opprimit

suâ præsentiâ, animasset, egregiam quoque peregrini mercatores Reipub. operam navârunt, Lusitani, Itali, Germani, & item Britanni. Magno quoque præsidio erant tres urbanæ societates, queis forum, divisis excubiis, erat attributum. His rebus ad urbis custodiam, Consulum diligentiâ, constitutis, Rossemius motis castris ad suburbium Dammum castra locat, nec mora, Fecialem cum mandatis ad Magistratum mittit.

Antverpiam ad deditionē interpellat.

„Postulat, ut in fidem Galliæ, Daniæque Regum se dedant, „horum auspiciis Rossemium bellum gerere, nec quicquam durius à civibus postulare: leges enim illis, consuetudines, privilegia, immunitates perpetuò incolumes futuras: Si tamen bellum, quàm pacem mallent, experturos veteranum atque invictum militem, daturosque contumaciæ pœnas. Ad ea Consules responderunt: Antverpianos neminem præter Carolum „Cæsarem, Principem agnoscere, civitatem eâ esse dignitate, „atque eâ virium existimatione, ut fidem mutare longè turpissimum putet. Rossemium pro latronum potiùs, quàm militum „duce eam habere, nec ejus magnopere minas ab ea suspici, aut „timeri. Cumque Cæsarem mari haustum & à piscibus voratum „diceret; reddunt, tertiâ die cum Jona revicturum. Tali cum responso Kipdorpicâ portâ emissus. Irâ itaque incensus Rossemius, velares omnes molas latè disjecit. Oppidani contrà, quod frequentes suburbanæ arbores prospectum adimerent, & quod è mœnibus qui in statione erant, ad incertos ictus tormenta disploderent, eas excidunt, & ne tormenta occultata tenebris, ad mœnia proferrentur, perampla Sacratarum Virginum cœnobia, Carthusianumque venerabile templum, quod essent sub mœnibus, igne injecto exurunt. Acciverant etiam Consules è ditione Wasiana mille ducentos, ex turba agrestium validiores homines, quos armis instruunt ut civi nocturno, diurnoque labore, ac vigiliis fatigato, requies daretur. Quæ cùm animadverteret Rossemius, spe occupandæ urbis dejectus, 27. Julii receptui signum dedit, direptis, ac concrematis miserabili incendio pagis Merckheimio, Dammo, Burgerholtio, ut & mercatorum ditissimorum viridariis, ac delitiis. Indè ad Liræ oppidum deflexit, urbe nequaquam tentatâ, quùm prætereuntem Lirenses, emissis pluribus tormentis, avertissent, Duffelam, ac Ranstum diripit & exurit: Rosendaliam pecuniâ multat: Waelhemum, quod incolæ pontonem, quo Netha amnis transmittitur, in adversam ripam traduxissent, igne absumptum; sic incendiarius ille grassator, ubique crudelitatis suæ vestigia impressit.

Rossemius spe suâ frustratus, receptui canit.

pressit. Tandem Lovanium iter intendit, neque incendiis finem imponit, Heretum, ac Winkesslium exurit: mox positis ad Terbanckium castris, Fecialem ad oppidanos mittit, se ut dederent, ac Regi Galliarum sacramentum dicerent, efflagitans. Sed & hic responsum Antverpiano non dissimile retulit, idque audaciâ præsertim peregrinæ juventutis, quæ in eam urbem, liberalium artium gymnasio, magno numero confluxerat, quæ, ut cives pro aris & focis, ita illa pro Musis suis pugnatura, Martem induerat. Senatus nihilominùs, ne patriam in discrimen publicæ salutis adduceret, quinquaginta aureorum millibus à latronum injuriâ urbem redemit, addito pro Rossemii, & Longevallii comitatu vino & commeatu. Dumque vinum equis atque plaustris ad portam pertrahitur, Musarum candidati, nullius expectato imperio, funes plaustrorum succidunt, atque continuò machinas, & tormenta majora in Rossemianos displodunt. Cæterùm Rossemius, cum nullibi cœptis suis Fortuna arrideret, valedictâ Palladis arce, tandem per Comitatum Namurcensem ducens, magnis itineribus ad Ducem Aurelianensem contendit, cumque circà Masseriam consedisset, inter ipsum & Longevallium orta est contentio, ob prædæ divisionem, quam mox Aurelianensis sua authoritate diremit, ac persoluto Rossemio ejusque copiis stipendio, eum in Gelriam dimisit. Sic ille quoque exercitus, præterquam quòd miseros, & innoxios agricolas, incensis pagis innumeris, ad summam inopiam redegit, nihil laude dignum gessit. Hæc sæva Belgicæ vastationis procella eò fuit calamitosior, quod nullum esset bellum indictum, & planè imparati obruerentur.

Lovanienses ad deditionē vocat.

Senatus cum Rossemio certâ pecunia summâ paciscitur.

Studiosorum egregium facinus.

Aurelianensis Rossemiū missum facit.

Intereà Cæsariani collectis undique quàm maximis copiis, duce Reinero Aurantio, Burano, ac Bossuo, Lucemburgios, ipsamque Urbem, cum omnibus paulò ante ab Aurelianensi occupatis, Juosio excepto, ad Cæsaris fidem & obsequium reducunt. Indè mense Octobri Aurantius vindicaturus Rossemianam in Brabantos expeditionem, universam Juliaci ditionem incendiis pervadens, Zittardum, Juliacum, Hensbergam, Sustereniam, & Duram suæ potestatis facit, & exceptis Durâ, Hensbergâque, muros, ac vallum diruit, fossasque complanat. Verùm haud multò post, captâ ex Aurantii receptu occasione, Dux Cliviæ militem vicissim cogit, & acceptis à Saxone, aliisque Germaniæ regulis, subsidiariis copiis, exeunte Decembri præsidia Cæsareanorum adortus, eadem illa oppida recipit, Duramque oppidum, firmo imposito præsidio, commeatu affluenter instruit. Indeque copiis Hensbergam

Cæsariani omnia oppida in Ducatu Lucemburgē si per Francos occupata, excepto Iuesio, recuperant.

Indè Iuliaci ditionem invadunt, depopulantur vastant.

gam traductis, oppidum circumsessione cingit. Verum mox ubi justo cum exercitu obsessis auxilio adesset Aurantius, obsidionem solvit, non exiguo in receptu accepto detrimento.

Indicitur à Pontifice Synodus generalis.

Circiter Calendas Novembres hujus anni, *Paulus* Pontifex, ut Cæsari satisfaceret, Synodum generalem indicit, ac Tridentum, tanto conventui maximè opportùnum, delegit. Eò ex Senatus consulto protinùs missi tres Senatorii ordinis Cardinales legati, Paulus Parisius, Reginaldus Polus, & Joannes Moro, qui inchoandi Concilii auspicia agitarent, & sedem tot Patrum, gentiùmque frequentiæ pararent. Post hæc, pridie Idus Novembris, re-

Recrudescit bellum inter Cæsarem & Gallum.

crudescentibus magis bellorum incendiis inter *Carolum* Imperatorem, & *Franciscum* Galliarum Regem, Pontifex literas, eodem ferè exemplo, ad utrumque misit, quibus pacem toties ab ipso tentatam, communem opem, atque vires contra Turcarum Tyrannum, ut jungerent, acriter, vehementerque postulabat. Quæ frustrà cum fuissent, Legati Tridento revocantur, & Concilium in aliud tempus prorogatum est.

1543. *Hensberga commeatu instructa.*

Porrò anno 1543. Hensbergæ præsidiarii milites, arctiore annonâ conflictabantur. Rem igitur per literas Reginæ Mariæ indicant. Illa justo è Belgis exercitu coäcto, Philippum Croviacum, Arschoti Ducem, ei præficit, qui 12. Calend. Aprilis Mosâ transmisso, maximam commeatus copiam, & reliqua, bello gerendo,

Belgæ in recessu à Clivianis cæsi.

necessaria in oppidum importat. Verùm in recessu Clivianis ad Zittardam obviam factus, non dubitant pauci cum multis confligere. Fit atrox pugna, diu ancipiti Marte, donec cæso & in fugam verso Cæsarianorum peditatu, victoria ad Clivenses inclinaret. Lauta illic, & suprà quàm dici queat, magni pretii præda capta est, multa tormenta in manus hostium venêre, & præter hæc,

Ditionē Limburgensem cædibus & igne deformant.

cecidêre circiter tria millia peditum. Hâc victoriâ elati Clivenses, ditionem Limburgensem populabundi invadunt, prædas agunt, flammâ ac ferro omnia fœdant. Tùm decimo Calend. Julii Hinsbergam obsident, & admotis tormentis, magnam ignitarum pila-

Hinsbergam Clivius obsidet, & fœdâ fugâ obsidionem solvit.

rum vim in muros jaculantur. At obsessos non impacta moverunt tormenta, quin etiam aggeres erigunt, & se hostibus fortiter opponunt. Intereà Cæsariani instaurato exercitu, rursus Mosam traijciunt, & ad hostium castra progrediuntur, dumque levibus præliis crebrò se lacessunt, diverso itinere Cæsariani novum in Urbem immittunt præsidium, & commeatum important. Re pa-

Rossemii latrocinia.

tratâ, Clivenses post alterum obsidionis mensem, solutis castris, fœdâ fugâ, dilabuntur. Intereà Martinus Rossemius, aliquot Trajectensis

jectensis dioecesis oppidula infestat. Amersfortium, exclusis, miro astu, præsidiariis, qui prædatum ex urbe processerant, deditione occupat, cives gravi ære multat, quo militi aliquot mensium stipendia persolvit. Indè in Buscoducensium fines irrumpens, Helmondam, ac Endoniam capit, ac diripit.

Eodem mense Junio, Rex Galliarum *Franciscus*, præmisso in Belgium Annebaldo cum expeditis copiis, Landresium, diffugientibus præsidiariis, occupat, quo fossâ ac vallo egregiè permunito, Delphinus cum parte copiarum in interiora Hannoniæ penetrat, ac sine mora munitissimam Aimeriæ arcem, Barlamontium, Mabugam, aliasque (deserentibus eas præsidiariis) suæ facit potestatis. Indè Binstio frustà tentato, populabundi ad portas usque Montium Hannoniæ, ac Valencenensium, excurrunt, prædasque agunt. Nec contentus Rex Franciscus tam diversis locis Cæsarem bello lacessere, insuper per Legatum suum Polinum à Solymanno Turcarum Imperatore justam classem, Præfecto Hariadeno Ænobarbo, impetravit, quæ Cæsarem oppugnaret. Classem conflabant centum quinquaginta actuariæ, diversi generis, naves. Calabriæ orâ, & Neapolitanâ direptâ, ad Ostiam Tiberinam Ænobarbus solvit, nulloque damno importato, Hetruscam, & Ligusticam oram lambens, in Massiliæ portum se intulit, expectans, quem in locum Rex Franciscus vim inferri vellet. Tandem ad expugnandam Nicæam urbem, Sabaudo parentem, classem immittit. Adjungit & suam classem Rex Franciscus, quæ viginti duarum erat triremium, & octodecim onerariarum, vehens octo millia peditum, cum ingenti commeatus copia. Exposito in terram milite, prolatisque tormentis, urbs oppugnari cœpta est, ac prostratis non uno in loco mœnibus, Nicenses desperatis auxiliis, deditionem fecerunt, eâ conditione; ut iisdem legibus sub Rege futuri essent, quibus hactenùs sub Sabaudii imperio fuissent. Urbe in potestatem redactâ, universa hostium vis & contentio in arcem incubuit; quæ arduo calle urbi conjungitur. Eam propugnabat vir impiger Paulus Simeon, Eques Melitensis, cumque ægerrimè tormentis quati, neque cuniculis subter rupem, nisi longo, difficilique labore, atque item dubio eventu, excavari posse censeretur; ad hæc nuntii quotidie afferrentur, Vastium cum justis copiis propediem affuturum: hâc emanante famâ, soluta obsidio est, frendente Ænobarbo, & incusante Francorum socordiam. Atque eo modo direptâ, incensâque contra fidem datam Nicæâ, Ænobarbus cum universa classe Antipolim concessit; cumque hyems

Rex Galliarum Landresium occupat, Indè in Hannoniam penetrat ac vastat.

Turcica auxilia adversus Cæsarem implorat obtinetque.

Nicæa capta.

navigationem arceret, eam in portu oppidi Tollonii consumpsit; rediitque appetente vere Constantinopolim, abducto ingenti numero Christianorum, utriusqe sexus, in tetram servitutem. Feruntur fuisse circiter 5200. & in iis, eleganti formâ, virgines Deo sacratæ 200. Ænobarbus Turcæ gratificaturus, universam prædam, quatuor navigiis impositam, Byzantium ad Solymannum asportari jussit. Intereà Garsias, proregis Neapolitani filius, dum cum sua classe Siciliam versus navigat, ea hostiliter invadit, & Messanam perducit, non sine maximo Dei beneficio, quo è sævissimorum Barbarorum manibus miseros illos extorsit.

Cæsaris apparatus ad bellum.

Cæsar igitur hùc, atque illùc lacessitus bellis, totque affectus detrimentis, ingens bellum parabat, ictoque cum Henrico Britanniæ Rege novo fœdere, Hispaniâ excedere, ac in Italiam, ut in Belgium properaret, adnavigare constituit: ante omnia Philippum filium, sextum decimum ætatis agentem annum, Hispaniæ regem appellat, eique totius Regni civitates per legatos Sacramentum dicunt. Deligitur Franciscus Covos, qui Regis adolescentis ætatem regat: Ferdinandus verò Toletanus, Albæ Dux, militaribus copiis præficitur. Conferuntur Cæsari in bellum ituro, supra quadraginta myriades aureorum nummûm: Rex quoque Lusitaniæ Joannes, grandi pecuniâ Cæsarem sublevat. Erant enim conscribendæ cohortes, quæ per Oceanum in Belgas, ad Gallicum bellum, ducerentur, earum numerus duodecim millium, Hispanici generis, peditum summam implebant.

His confectis rebus, Cæsar octo millibus peditum, & septingentis equitibus in onerarias naves distributis, cum quadraginta triremibus Barcinone solvens, circa finem Junii Genuam appulit, præstoque ei, inter cæteros, affuit Petrus Aloysius Farnesius, è Bononia à Pontifice missus, ut colloquio dies & locus diceretur: sed ad id fastidiosiorem Cæsarem reperit, propterea quod tot bellis impetitus, nullam à Pontifice opem contra Gallos impetrasset, ideoque sibi in Germaniam properanti, minimè colloquio opus esse respondebat, ne reliquum æstatis tempus, Sicambrico destinatum bello, inutili morâ deperiret. His cognitis, Pontifex Alexandrum Farnesium Cardinalem, magnis itineribus Genuam mittit, à quo tandem exoratus Cæsar, Buxeti Pontificem convenit. Postquam Pontifex commemorasset ea, quæ ad impetrandam pacem, & ad suscipiendum sacrum bellum pertinerent: reposuit Cæsar; „Nunquam se ad animum concordiæ mentionem ad„missurum, nisi Belgarum suorum injurias, de rebellibus, incen-

Colloquium inter Pontificem & Cæsarem.

„ dia-

„ diariisque latronibus, vindicasset. Indignum enim esse nomine „Cæsaris, à subditis Imperio, beneficiariisque sui s contumeliam „ferre, nec ulcisci eos, qui perfidiâ inducti, nullâve provocati in- „juriâ, geminato scelere, & ab se legitimo Domino, ad infestissi- „mos hostes defecissent. Francisci porrò regis amicitiæ nunquam „se confisurum, quod ille toties, ruptis fœderibus, fidem fefellis- „set, quod ille alienæ ditionis appetens, novâ spe, novâ libidine „semper inquietos spiritus gereret. Quinque diebus eo colloquio frustrà consumptis, Pontifex Bononiam, Cæsar in Germaniam contendit. Spiram Nemetum veniens, Protestantium Legatos audit: Ibique Archi-præsul Coloniensis, ac Legatus Saxoniæ Ducis, cum deprecantur pro Cliviæ Duce, sed Cæsar nullam pacis mentionem audire voluit, nisi ille priùs Geldrensi Principatu decederet. Itaque solutis Germaniæ Principum comitiis, Bonnam, Ubiorum oppidum, Cæsar profectus, ibidemque lustrato exercitu, reperit Germanorum peditum quatuordecim millia, atque item singula quaterna millia Hispanorum, ac Italorum. Ad hos quoque Renatus Aurantius, Belgarum peditum duodecim millia, equitum verò cataphractorum duo millia, perduxit. Aderant insuper partim Germanici, partim Sequanici nominis galeatorum equitum quatuor millia, & Italici Epiroticique generis, levis armaturæ equites sexcenti. His omnibus copiis, vices Cæsaris implens, imperabat Ferdinandus Gonzaga, Siciliæ prorex. Bonnâ movens duodecimo Calend. Septembris, tertiis castris *Marcodurum* pervenit; oppidum est positum in ripa Ruræ fluminis, validissimis operibus, & munitionibus septum, quod eo tempore velut inexpugnabile habebatur. Id lateritio muro, & fossâ duplici ità erat præcinctum, ut inter exteriorem, interioremque fossam perpetuus agger eâ altitudine esset erectus, quâ totius ferè muri ambitus, usque ad summam coronam protegeretur, Præerat oppido, Gulielmi Ducis nomine, vir nobilis Menapius, militari laude clarus Gerardus Vlattenus, cum duobus veteranorum peditum millibus, ac octingentis equitibus. Cæsar cominùs, nec sine periculo, contemplatus Urbis situm, ut repentinum hosti terrorem incuteret, extemplò erectis vimineis corbibus, omnem tormentorum apparatum produci jussit. Eo modo quùm agger, ac murus quadraginta majoribus tormentis assiduò quateretur, magno hiatu ad ingressum patefacto, non dubitarunt Hispani, ac Itali se primos profiteri, qui discrimen subirent. In priorem itaque fossam se demittunt, cujus aqua umbilicum vix superabat, ac in aggerem

Cæsar venit Bonnam & recensit exercitum.

Duraobsidio.

evolant

evolant. Nec obſeſſi occaſioni deſunt, ſed eos, qui aggerem occuparant, tormentis emiſſis partim diſcerpunt, partim grandine pilarum obruunt. Verùm ne inulti caderent, incredibili animorum fortitudine, in alteram ſeſe foſſam gregatim intulerunt, haſtis, ſcaliſque plicatilibus in præruptum muri hiatum connitentes, cominuſque congreſſi, ſed fortiter repulſi, haud levi ſuorum clade, ab oppugnatione diſceſſerunt. Nec intereà ab tormentis muralibus ullo diei noctiſve tempore ceſſabatur, neque perfracti aggeres, murive ſine certa cæde reparari poterant. Quapropter Hiſpani, Italique, ut commilitonum interemptorum mortes, audaci aliquo facinore ulciſcerentur, rurſus ad eaſdem injuſſi provolantes ruinas, nullis deterriti periculis, obſeſſos adoriuntur, certaturque ſummâ contentione, vario pugnæ eventu, modò his, & modò illis proſpero, & exitiabili. Verſabatur eodem tempore Vlattenus, urbis præfectus, in domo excelſiori, quæ mœnibus erat conjuncta, cum delecta ſuorum manu, undè multa Cæſarianis detrimenta inferebat, plurimamque ſtragem pilarum procellâ edebat. Quo animadverſo, libratores machinarum, juſſu Cæſaris tormenta in eam dirigunt, perterebratiſque tectorum contignationibus, & Vlattenium, & reliquos omnes, ingenti ruinâ oppreſſerunt. Conſtravit hæc inopina clades civium animos; nam qui modò alacriter & audacter urbem propugnaverant, jam fracti animo, languidiùs rem gerebant. Cæſariani verò intrepidè murum ſubeunt, nullâ vi hoſtium, nullâ telorum multitudine, nullo mortis metu deterrentur, quin certatim, alii aliorum innixi humeris, in labem enituntur, licet ſupernè ingentia ſaxa, & ardentes ex pice reſinaque circuli, in ſubeuntes continuè provolverentur. Tandem facto impetu, per acervos cæſorum, in urbem pervaſerunt nono Calend. Septembris, poſt bidui oppugnationem. Indè miſerabilis quùm oppidanorum, tùm aliorum cædes edita: vaſtatæ ædes, bona direpta, non pauci capti, qui vitam magno ære redimere coäcti ſunt. Altero die ſubditis facibus, aut ſponte exortis incendiis, tota conflagravit, & quod miles rapax tollere non potuit, flamma vorax abſumpſit. Miſit verò pius Imperator milites, qui incendium reſtinguerent, ſed præveniendo remedia ſui rapiditate atque ſævitiâ, nihil reliquum fecit, præter paucas ædes, cum Franciſcanorum ſodalium cœnobio. Ità intra unius anni ſpatium, urbs calamitoſa ter obſeſſa, nunc demùm miſerè periit. Exiſtimabat Cæſar eam cladem meritò obveniſſe Durenſibus, utpotè qui eorum acerbiſſimo exemplo, reliqua hoſtium oppida perterreri vellet.

let. Nec eum fefellit opinio; nam quæ erant in proximo tam Cliviæ, quàm Gelriæ civitates, adventante exindè Cæsaris exercitu, continuò portas aperuerunt. Etenim mox ad *Iuliacum* Menapiorum Metropolim exercitus est ductus, quod incolis vacuum & nudatum fere invenit, demptis paucis fœminis, & exactâ ætate viris, ac indè *Ruremundam*, quod ad Ruræ amnis, ac Mosæ confluentem Gelriæ est oppidum, sibique hæc singula per deditionem Cæsar subjecit. Indè Venlonium, oppidum munitum, se confert. Cives primò inducias paucorum dierum flagitant, quibus consulant Principem Gulielmum. Illo respondente, ut rebus suis consulant, seque illos Sacramento, quo ipsi teneantur, solvere, in Cæsaris ditionem concedunt. Idem quoque faciunt alia Gelriæ oppida, itemque Zutphanienses per legatos suos, qui in leges ejus jurant.

Iuliacum deditur Cæsari.

Item Ruremunda & Venlonium

Cæsare apud Venlonium subsistente, Gulielmus Cliviæ Dux, Durensium clade perculsus, comitatus Henrico Brunsvicensium Duce, Renato Nassavio, Aurantii Principe, & Legatis Archiepiscopi Coloniensis Hermanni, in castra ad Cæsarem ultrò venit, ac ad ejus genua provolutus, supplex veniam petiit, ab eoque certis legibus in gratiam recipitur: videlicet „Ut religionem, ac „ritus Ecclesiæ Romanæ, in omnibus suis ditionibus inviolabiliter „retineat: si quid mutatum est, restituat: Cæsari, Romanorum „Regi Ferdinando & Imperio fidem & obsequium promittat: fœ„deri Gallico, Danico, & Suedico renuntiet: Ducatu Gelriæ, ac „Comitatu Zutphaniæ sese prorsùs abdicat & jusjurandum populo „remittat. Cæsar quoque vicissim Ducatum ei Juliacum reddat, „exceptis Hensbergâ & Zittardo, quæ eousque reservaret, donec „ipsi de fide & obsequio ejus abundè constaret. Cæsar quoque Principi condonavit, quicquid hoc bello damni datum esset regionibus ipsius, & offensiones omnes. Quibus peractis, Cæsar Martino Rossemio clementer ignovit, eumque cum sua legione suæ militiæ ascripsit, usus ejus operâ adversus Gallum fidelissimâ. Exindè Gulielmus Dux, cum præsens coram esset Cæsar, Proceres, ac Civitates Gelriæ, à dicto sibi sacramento, liberat: & illi vicissim Ducem immunem pronuntiant à pactis omnibus, ac promissis quæcumque eisdem fecisset. Quibus peractis, Proceres, ac Civitates agnovêre, ac declararunt Cæsarem, ejusque hæredes, verum, legitimum, ac hæreditarium ditionum Gelriæ ac Zutphaniæ esse Dominum, in ejusque verba jurarunt, fidem, obsequium, ac reverentiam polliciti. Et Cæsar vicissim juravit, se eos juxtà veteres ipsorum immunitates, consuetudines, jura,

Cæsar Cliviæ Ducem in gratiam recipit certis legibus.

Rossemio quoque ignoscit.

Proceres & Civitates Gelriæ jurãt in Cæsaris verba.

 statuta,

statuta, ac privilegia perpetuò asserturum firmaturumque.

Gallus Lucemburgum occupat. Interim dum cum Gelris, ac Juliacensibus Cæsar bellat, Galliæ Rex iterum per filium Carolum Aurelianēsem ac Claudium Annibaldum *Lutzenburgum* occupat, ac urbem totius Ducatus primariam, validis operibus munitionibusque firmat. Ferebatur auxilio venire Clivensi Principi, atque etiam adduxisse Sororis filiam Joannam, Clivensi anteà desponsam; Verùm ubi cognovit Gulielmum abjectis belli consiliis, pacem, dubii belli periculo, prætulisse, non mediocriter fuit commotus; atque permunito Lutzemburgo, cum filio ad sua rediit. Obsidebant tùm Belgæ, Duce *Landresium à Cæsarianis obsessum.* Reüssio, *Landresium*, cui, & isto statim tempore, subsidio accessit Ferdinandus Gonzaga cum parte Cæsariani exercitus, subsequente gravis armaturæ equitatu, quibus Landresium, & Guisa simul circumsessæ. Sed Gonzaga, qui *Guisam* premebat, adventu cohortium Gallicarum è ditione Lutzenburgensi, quas Brisacus ducebat, ab ea aversus, Landresio copias admovit. Mox Cæsar, qui valetudinis causâ Quesnoi subsederat, confirmatâ valetudine, mense Octobri in castra venit, sub signis ducens, præter Belgarum copias, quatuor millia Germanorum, & Hispanorum tria peditum millia, & Italorum totidem: tùm & sex millia Wallonum, decem Anglorum: Equitum, diversarum nationum, tredecim millia. Belgarum verò cohortes ad minimum duodecim fuisse millia perhibentur. Indè Landresium octo & quadraginta machinis assiduè quatiebatur, ruinâ tantâ, ut hebdomadâ tertiâ totum propè oppidum disiectis munimentis, subeunti pateret. Nec ideò miles in labem ausus conscendere, tantus erat propugnantium ardor & terror. At Cæsar, qui sciebat annonam obsessis deficere, continuasque vigilias sic atterere præsidium, ut infirmitas corporum, animi robur profligatura brevi videretur, fame & ærumnis urbem adurgere intendebat. Verùm Rex, coäctis in unum, circa divi Quintini fanum copiis, ad arcem Cambresianam castra locat, visusque est Cæsarianis offerre occasionem conferendæ manus. Cæsar pugnæ avidus, Arescotum, & Burenium, Belgarum Principes, Anglumque Galoppum admonere jussit, ut motis castris, sibi se conjungant, qamvis minus id consilii probaret Gonzaga. Interim Rex, levem armaturam equestrem Brisaco, atque Decarsò ducibus, emisit, qui excitatis diverso in loco levibus præliis, Cæsarianos distinerent; ac præmissâ peditum, atque equitum validâ manu, carros complures, & sarcinaria jumenta cum magna vi commeatus in oppidum immisit, præsidiumque labore, atque vigiliis

giliis confectum, recenti milite renovavit. Re patratâ, Rex Franciscus incensis tentoriis, secundâ vigiliâ sub nonas Nouemb. receptui canit, & totâ nocte Guisam versus tendit. Cæsar, ubi diluxisset, de Regis discessu certior factus, levem armaturam & expeditos pedites postremum abeuntium agmen insequi jussit. Verùm Franciscus eo comperto, disjunctas hostium manus à Delphini turmis invadi mandavit, à quibus, repentè facto impetu, facilè cæsæ, pulsæque fuerunt. Cæsar verò quod hyems jam suberat, & lethales morbi ex ventris profluvio vulgari inter milites cæpissent, nihil ultrà sibi tentandum decernens, motis castris, *Cameracum* concessit: ubi aliquandiu copias in hybernis continuit, quod ea civitas ergà Gallos propensior visa esset, ob Cæsaris exercitum, à quo gravia detrimenta se perpessam conquerebatur. Sed primores Urbis, Cæsari adventanti, continuò portas aperuerunt, qui exindè civium cervicibus, qui inter adversas Principum partes medios se gerebant, munitam arcem imposuit, quâ se, non dubii, sed Cæsariani juris esse, in posterum intelligerent. Interim Cæsar ingens agitabat bellum, quo Galliam, ineunte æstate, invaderet, dabatque assiduè operam per Legatos, ut Henricus Britanniæ Rex, in proximam Galliæ continentem maturè trajiceret. Cum eo namque fœdus percusserat, ut Galliæ regnum, certâ conditione, inter se partirentur. Quod quidem fœdus *Paulus* Pontifex in contumeliam suam initum prædicabat, quod Anglus propter eversa sacra, & convulsam Rom. Pontificis authoritatem, anathemate à Romano Senatu fuisset damnatus. Verùm Cæsar se tuebatur, quod Gallus, accitis Turcarum classibus, Europæ littora evastanda objiceret; quâ noxâ omne scelus implere & superare credi posset.

Rex Franciscus Landrecium milite & commeatu recreat.

Cæsar arcem Cameraci extrui mandat

Initio anni 1544. Cæsar è Belgio Spiram proficiscitur, ad Imperii ab ipso indictum, conventum, qui quidem cum primis celebris fuit, præsentibus illic Septemviris omnibus, quod raro fieri solet, & ipso quoque Ferdinando Rege, & Principibus plerisque, & in his Cliviæ & Juliaci Duce. Eo conventu, Regem Galliarum asperis verbis perstrinxit, quasi caput, & fontem omnium calamitatum, quæ Germaniam, Italiam, Hispaniam, & Belgium afflixerant: Ipsum cum Turca fœdus percussisse: excivisse hostem publicum in Hungariam; quæ oratione exaggerando, ita Procerum animos commovit, ut ii adversus Gallum decernerent equitum quatuor millia, peditum verò viginti millia quatuor, eaque mensibus sex, Imperii sumptibus, militatura. His quoque Comitiis, Cæsar cum Daniæ rege, priùs Gallo fœderato, omninò transigit:

1544. Conventus Procerum Imperii.

Auxilia Cæsari decernũt adversus Regem Galliæ.

figit: Saxoniæ quoque Septemvir, Ferdinando Regi observantiam promisit. Miserat ad ea Comitia *Franciscus* Francorum Rex Fecialem, qui allatis ad Cæsarem literis, & seorsim quoque ad Principes Imperii, petebat Regis sui Oratoribus, quò securiùs accederent, ut jure gentium caveretur. At ille domi se continere, & post triduum ad suos redire jussus, verbis asperrimis, est dimissus, quod præter alia in leges feciales peccasset, quod sine permissu domicilium Cæsaris intrare ausus fuisset. Galliæ Regis Legati, qui Nancei substiterant, cùm nihil æqui obtinuissent, re infectâ imò inauditi, nec Spiram admissi, redire domum coācti sunt. Intereà dum Spiræ comitia aguntur, Alphonsus Davila Vastius copias Cæsarianas ad oppugnandum *Montevicum*, quæ amplissima civitas inter Subalpinas urbes, admoverat. Propugnabat urbem Carolus Drosius indigena, vir egregiè fortis, cum valido Gallorum, Helvetiorumque præsidio. Prolatis tormentis, urbs non uno in loco quassata est, usque adeò vehementer, ut muri undique prosternerentur, cohortesque ex omnibus locis murum alacriter subirent, & inter ruinas acerrimè certarent. Igitur Drosius cum arbitraretur urbem haud defendi posse, his, quas habebat, militum copiis, æquâ atque honestâ deditionis conditione acceptâ, cum hoste paciscitur, ut sibi cum præsidio, salvis omnium rebus, passis vexillis, canente tympano, & funalibus ignitis, egredi liceat. Indè *Carmagnolam*, aliaque vicina oppida, jam pridem à Gallis occupata, in deditionem recipit. Gallis id erat consilii, ut deductis præsidiis, infirmiora oppida muro & munitionibus nudarent, ne Cæsarianis ad ea receptus foret. Itaque Carinianum venerant, ut munimenta everterent; quo in opere cum essent occupati, Vastius cum globo equitum advolat, Gallos profligat, opera restituit, validisque insuper aggeribus permunit. Angianus bello clarus, id obsidere & recipere, Vastius tueri, obstinatis animis, contendebant. Enimverò cum munitissimum esset, & quatuor mille selecti milites id propugnarent, castellis circum, opportunis locis, erectis, Angianus longam obsidionem instituebat, ut absumptis alimentis, famem in urbem induceret. Vastius perspecto consilio, militem cogit, revocatque quatuor Germanorum millia, quos Genuam navigaturos in Neapolitanum regnum dimiserat. Una tantum angebatur equitum paucitate, quùm vix septingenti recenserentur. Qua de causa, coāctus est implorare Cosmum Medicæum, ut sibi ab Etruria equites submitteret, misitque Rodulphum Baleonem cum insigni ala veteranorum

Fecialis missus à Rege ad Cæsarem & Principes Imperii.

Montevicum à Cæsarianis expugnatum.

Carmagnola aliaque oppida sese dedũt.

Carinianum munit profligatis Gallis.

equitum, cujus accessione in spem venit experiundæ prælii aleæ. Illucebat Aprilis dies decimus quintus, cùm ad Cerisolam cruento prælio pugnatum est. Occisa autem referuntur ad duodecim millia hominum, sed multò maxima ex parte Germanorum. Nec omninò incruenta victoria Gallis obtigit, sinistro præsertim eorum cornu cæso ac profligato, multisque ex illustri gallica nobilitate desideratis.

Clades Cæsarianorum ad Cerisolam.

Soluto conventu Spirensi, Cæsarei exercitus partem Gulielmus Furstembergius primùm, mox Gonzaga cum cæteris in Lucemburgios ducit; urbemque primariam *Lucemburgum* obsidet, quam penuarii commeatus penuria, post sesquimensis obsidionem, ad deditionem compulit; concessis Gonzagæ, præter cætera, supra septuaginta mediocris, majorisque generis æneis tormentis. Lucemburgo per Gonzagam in potestatem redacto, Cæsar qui in Mediomatricibus substiterat, Arduennæ silvæ finibus egressus, & Mosâ flumine superato, rectà ad oppidum *Commercium* duxit, prolatoque tormentorum apparatu, & constitutis vineis, mox oppugnaturi speciem præbuit; quo terrore adducti, qui erant in præsidio, quatridui spatio deditionem fecerunt. Capto Commercio, Gonzaga indè properè discedens, ad *Liniacum* Barium castra posuit: eam urbem Briennæ, & Rossinii Comites defendendam acceperant. Gonzaga nihil spatii hostibus dandum ratus, à quatuor partibus tormenta mœnibus admovet, tantoque impetu muros quatit, ut ingenti ruinâ editâ, aditus non uno loco ad irrumpendum pateret. Quibus rerum difficultatibus Galli duces perterriti, ne publicam omnium salutem in summæ calamitatis discrimen adducerent, ad colloquium Gonzagam, sub fide vocant, & accuratis precibus molliores conditiones impetrare contendentes, eum opinione duriorem repererunt, atque eo modo deditionem facere coacti sunt ut cuncta, præter omnium vitam, victoris arbitrio permitterent. Nec mora, Gonzaga in oppidi possessionem immissus, Briennium, atque Rossinium, unà cum Eschenaii Dynasta, jure belli captivos detinuit. Quibus feliciter per Gonzagam gestis, Cæsar castra promoveri jussit ad proximum oppidum, non minus munitum, quàm opibus florens, à templo Sancti Desiderii, *Sandesirium* appellatum, ad Matronæ amnem situm. Præerat præsidio Sancerræ Comes, ac Landæ Dominus, defensi Landresii famâ clarus. Mox admotis tormentis, usque adeò acriter, & continenter quassata sunt mœnia, ut ingentem dederint ruinam, & duo insuper turrita propugnacula, adeò latè conciderint, ut priùs

Lucemburgum, Commercium & Liniacum in potestatem Cæsaris redacta.

Obsidio S. Desiderii.

quàm vel opportunè intus, contra prolapsum murum, nova munimenta erigi, vel patefacta loca, resarciri possent, Hispani non omninò incommodè in oppidum perrumpere se posse dictarent. Sed ea militum alacritas, Ducibus periculi plena videbatur, quoniam tametsi murus solo penè æquatus erat, perspiciebant tamen oppidum introrsùs, in mollem tumulum assurgere, ita ut invasuris denum ferè pedum scalis opus esset. Idcircò cum esset mox à Cæsarianis ad labrum fossæ, quadratus & solidus è cespite, glebaque erectus agger, ac aliquot majoris generis tormentis instructus, ut his obsessos depressiore in loco consistentes, impeterent: parem ex adverso munitionem obsessi eduxerunt, ex qua ingens obsidentibus detrimentum illatum. Accidit autem, dùm ista fiunt Idibus Juliis, ut Renatus Aurantii Princeps, cum fortè ad Gonzagam, circà fossæ crepidinem supervenisset, haud multò post, in eum locum directo ab hostibus tormento, globus ferreus ita aggeri gravis incidit, ut diffracti, resilientisque lapidis frustulo, lethaliter humero vulneraretur. Eum decumbentem, humaniter invisit Cæsar, expirantemque complexus, veras doloris lachrymas cunctis spectantibus, effudit. Biduo post rescitum est, Laudæ Dominum, pari propè sorte, minoris tormenti globo, avulso capite, sublatum fuisse. Hinc Hispani primi omnium, faciunt impressionem, succedunt Itali, postremò Germani. Sed cum eæ impressiones plurimùm funestæ extitissent; Cæsar receptui cani jussit. Eo tam audaci, atque improspero conatu, ad septingentos circiter viros fortes, desideratos ferunt. Haud multo post Brissacus cum delecta Gallorum equitum, & peditum manu Vitriacum pervenit, intentus occasioni, ut indè ad obsessos penetraret, afflictosque multarum rerum, tormentariique præsertim pulveris inopiâ reficeret & recrearet. Qua de re Cæsar certior factus, sub occasum Solis, misit Franciscum Atestinum cum Italico equitatu: illique datus est comes Mauritius Saxo, cum duobus millibus Germanorum equitum, & Gulielmus Furstembergius cum peditum suorum legione, quacum septem muralia tormenta trahebantur. Continenti igitur agmine euntes, ad secundum à Vitriaco lapidem trecentorum Gallorum equitum alam, acri impetu facto, profligant. Tum Brissacus ex suorum fuga, cognito hostium adventu, cum valida manu provehitur, & in Atestini equites incurrit, & quùm consertâ pugnâ, incumbentium Cæsarianorum impetum sustinere non posset, ad suos se recipere cogitur. Urgentibus verò à tergo Cæsarianis, Gallorum peditum ordines, tumultoso incursu,

Pila ænea verberatus Aurantius interiit.

Vitriacus cũ copiis Francicis cæsus.

cursu, perturbati sunt, magnaque pars interfecta est, reliqui verò Gallorum equites fugâ salutem quæsivêre. Hæc nocturna victoria obsessis nuntiata, adeò eorum animos contudit, ut repentè oppido emissus tubicen, postulaverit, ut, sub fide legatos colloquendi causâ, obsessis mittere liceret. Factâ potestate, Vicontius, Riverius, & Sineus Gonzagam convenêre. Tandem de oppidi deditione transegerunt, his conditionibus: „Duodecim dierum induciæ „sunto, intra id spatium, ni Franciscus Rex justo cum exercitu „obsessis opem ferat, & obsidionem solvat, Sanserrius oppido sta- „tim excedito, exeunti præsidii causâ, duo tantum tormenta con- „cedantur: Equitibus peditibusque omnibus, more militari, „abeundi quo velint, potestas esto, reliquum omnem tormentorum „apparatum, totamque commeatus copiam Cæsari relinquito, „de his rebus quatuor obsidibus caveto. Per induciarum dies mu- „nitiones nec augeto, nec reficito. Ab hac pactione acceptis obsidibus, Gonzaga in oppidum intromisit Hispanum equestris ordinis, nomine Conteriam, qui quotidie munitiones inspiceret, ne quid eis per noctem occulti, novique operis adderetur. His confectis rebus, quùm id rescisset Franciscus, nec ut opem ferret ex usu esse judicasset, à Sanserrio sub finem mensis Augusti, integrâ fide, traditum est oppidum, postea quam id per sex septimanas fuisset oppugnatum. *Oppidum deditum.*

Sandisirio potitus Cæsar, ad *Catalaunum*, quod Chalonum hodie Galli appellant, progreditur, tanquam oppugnare vellet, sed repentè motis castris, ad *Epernaium* contendit, eoque capto, opulenta omnis generis commeatus copiâ, languentem militem largissimè recreavit & erexit. Indè *Theodorici castrum* occupavit; Parisiisque admotus propiùs, tantam trepedationem in amplissimam urbem immisit, ut incolæ de fuga una solliciti, res suas chariores, liberos & conjuges lintribus imponerent, & per Sequanam effugerent: neque ipse Cardinalis Mendonius, Duxque Guisius, qui Lutetiæ, regio nomine, cum imperio præsidebant, tantum valebant authoritate, ut fugam perterriti populi usquam sisterent. Ideò Rex ipse, cum instructo exercitu intra urbem subiit, & ut fugam reprimeret, promulgavit edictum, quo absentes, nisi se restituerent urbi, dignitatibus, & facultatibus addicendis in fiscum, spoliabantur. Indè Cæsar per Valesios ad Suessionenses tendit, ubi cum ageret, Martino Gusmanno instituti Dominicani sodali commeante, de pace agi cœptum est. Ea inter Cæsar Antonium Peronotum, Granvelii filium, ad Henricum Angliæ regem, Bononiam oppugnantem, misit, ut per eum de his rebus, quæ de *Cæsar potitur Epernaio & Theodorici castro.*

pace agebantur, doceretur. Reſpondit Henricus, æquo ſe laturum animo, ut cum Gallo rege, Cæſar de pace tranſigat, modò id fiat, incolumi recentis inter ipſos icti fœderis jure & amicitiâ. Itaque Cæſar redeunte Antonio Ferdinandum Gonzagam & Nicolaum Perenotum Gravelli Dominum, cum Galliæ Legatis Claudio Annebaldo, Franciæ Admiralio, & Carolo Nullio, libellorum ſupplicum in aula regia magiſtro, agere juſſit. Ii poſt longas, variaſque diſceptationes tandem *Creſpii* in Sueſſionibus, decimo quarto Calend. Octobris, in certas leges convenerunt, quarum ſumma erat: „Ut inter Carolum Cæſarem, Regemque Franciſcum „pax firma, æternaque eſſet: Subditi utrimque ſolutis portoriis, „& vectigalibus ſuetis, commeant, mercaturamque faciant: Quicquid Carolo Sabaudiæ Duci, vel in Allobrogibus, vel in Subalpinis ademptum fuit optima fide reſtituatur: quemadmodum & „Marchioni Montferrato, Duci Mantuano, ac Lotharingiæ. „Rex in Turcam ſuo ære, ſexcentos haſtatos equites, & decem „millia peditum ſcribat. Inſuper hæc, quicquid juris in regnum „Neapolitanum, Ducatum Mediolanenſem, Comitatum Aſtenſem, Flandriam, Arteſiam, Inſulas, Duacum, Orchiacum, „Tornacum, ac Fanum D. Amandi, vindicare ſibi poteſt, Cæſari „ejuſque hæredibus, juxtà tabulas fœderis Madriliani, in perpetuum cedat, eaſque ratas firmaſque habeat. Ut verò hoc pacis fœdus arctiori affinitatis vinculo ſtringeretur, prómittebat Cæſar, ſe, aut filiam ſuam Mariam Carolo Aureliano nuptui daturum, cui dotali nomine Provinciæ Belgicæ, cum Comitatu Burgundiæ, ac Charolii obvenirent; aut ſi quid hanc affinitatem impediret, loco filiæ, neptem ex Ferdinando fratre, eidem Aureliano in matrimonium collocaturum, quæ dotali jure Mediolanenſem principatum ſecum afferret: qua in re deliberanda, Cæſar octimeſtre ſpatium depoſcebat; quo ſpatio, tùm Philippi filii, tùm Ferdinandi fratris voluntates certiùs exploraret, ut indè intra quatuor demum menſes, cum alterutra virgine nuptiæ celebrarentur. Si autem Cæſari magis expediret, fratris filiam, quàm ſuam ipſius natam, Carolo Aureliano deſponſare, confectis ſtatim nuptiis, Mediolanenſis Ducatus poſſeſſionem Aurelianus hâc lege acciperet, ut donec maſculam ſuſciperet prolem, Mediolani, & Cremonæ arces Cæſariano præſidio cuſtodirentur. Reliquæ initæ pacis conditiones eò pertinebant, ut ea omnia utrimque reſtituerentur, quæ mutuis armis, ex uſu belli, occupata fuiſſent, poſt inducias ad Nicæam pactas. Dati autem ſunt obſides in fidem confecti fœderis

Leges pacis inter Cæſarē & Franciſcum Regem Franciæ.

deris Cardinales Lotharingius, atque Mendonius, & Hunaldayus, dùm ultrò citroque tùm in Campania, tùm in Subalpinis urbes redderentur. Sub illud temporis Angliæ Rex *Bononiam* deditione capit, quod superiores ejus regni Reges frustrà sæpiùs tentârant. Eâ captâ & munitâ præsidio, Caletum secedit, indeque in Angliam cum exercitu traijecit. Cæsar verò promulgatâ pace, Bruxellas profectus est, ibidemque hyemem traduxit, invisente eum amicè sorore Leonorâ, Franciæ Reginâ, Carolo Aureliæ Duce, ac duobus fratris sui Ferdinandi filiis.

Rex Angliæ Bononiam deditione capit.

Pace foris stabilitâ, Cæsar primo vere anni 1545. Belgarum aliquot ditiones lustravit, earumque statum composuit. Indè profectus ad Comitia, quæ habebantur Wormatiæ, cùm infrequentes adessent Principes, nisi per Legatos, nihil admodùm constitui potuit. Porrò in hoc Wormatiensi conventu inter alia Protestantium Legati, palàm testati sunt, se œcumenicum Concilium Tridentinum, quod Pontifex rursùs indixerat, pro legitimo non agnoscere. Verùm ea denunciatio, illius amplissimæ Synodi authoritati nihil penitùs ponderis detraxit. At nihilo minùs Cæsar, qui pacis constituendæ, & Religionis componendæ erat cupidissimus, in id rursùs consensit, ut in proximo Ratisponensi Conventu qui indictus erat in annum proximum, utriusque partis, viri docti, ad colloquium evocarentur, si qua posset conciliandæ Religionis ratio inveniri. Sub finem Comitiorum, Cæsari ex Hispaniis lætus affertur nuntius, de Carolo, Philippi Regis Hispaniarum filio, tum recens nato: sed eam lætitiam mox obitus nurus Cæsaris interturbavit, ut nullum est sine amarore gaudium. Idem annus Carolo Aureliæ Duci fatalis accidit, quem Cæsar, vel generum, vel affinem habiturus videbatur. Is cum patre, fratreque Delphino, contra Anglos Bononiam contendens, ferbrili æstu correptus, ad Firmum monasterium, propè Abbatis-Villam, Bononiæ proximam, sexto Idus Septembris ætatis anno vigesimo secundo extinctus est, simulque spes occidit amplissimi matrimonii. Erat juvenis omnibus tùm corporis, tùm animi, quæ conferri à natura possunt, muneribus cumulatissimè exornatus, florenti ætate, maximæ spei, dignusque ævo longiore. Qua propter, cum Aurelianensi emortuo, nutaret fœdus Crespiacum, novumque constitui oportere Rex arbitraretur, eam in rem Oratores ad Cæsarem Antverpiæ agentem, Annebaldum Admiralium, & Franciscum Oliverium Franciæ Cancellarium, miserat, qui Cæsaris voluntatem explorarent, ac initam paulò ante pacem, novis legibus

1545. Cæsar Belgii statum componit.

Obitus Caroli Aureliæ Ducis.

tempori, ac rebus accomodatis, firmarent. At responsi nihil retulerunt, præter eas voces: Cæsarem cum Rege illibatam pacem habiturum, nec ab eâ, nisi bello priùs lacessitum, recessurum. Sanè hunc Aurelianensis inexpectatum obitum, meritò inter prospera sua ducendum Cæsar judicavit, quod adeò damnosæ transactionis, quâ ad Belgii ditiones transferendas, aut restitutionem principatus Mediolanensis, ex obligata fide tenebatur, sollicitudine curaque solutus esset.

1546. Mense Ianuario 1546. Cæsar Ultrajecti numerum aurei velleris equitum supplet, inque istum tesserariorum procerum ordinem viros Principes coöptat. Indè in Gelriam iter instituit, sommoque cum honore ubique exceptus amplissimis muneribus excolitur, ac in Ducem Geldriæ, Comitemque Zutphaniæ, Arnhemii, ac Neomagi solemniter inauguratur. Hinc Trajectum ad Mosam, ac indè in Germaniam contendit, Comitiis Ratisponensibus initium daturus. In eo conventu Cæsar videns Protestantes Concilium Tridentinum prorsùs rejicere, nè qua in parte paci conciliandæ defuisse videretur, permisit haberi colloquium, non tamen ut Tridentinæ Synodi fraudi esset, ad quam sciebat religionis negotium necessariò rejici oportere; sed, ut status Imperii convulsus jam pridem diuturnis dissentionibus atque in ultimam perturbationem adductus, ad concordiam pacemque pristinam revocari posset. Ea inter, Antistites, Theologique è totâ passim, quæ Christum agnoscit, Europâ, Tridentum confluunt, Concilio universali, hactenus ultimo, exordium facturi, quod protractum diutius, translatum Mantuam, iterùmque Tridento redditum, per varios Pontifices, tandem absolutum est anno 1563. sub Pio 4. plenum gravissimis sanctissimisque decretis. Sub idem tempus *Martinus Lutherus*, turbarum de religone auctor & sator, dignum pridem Acheronte portentum, Islebii, quod est Mansfeldicæ ditionis oppidum, repentino vitæ exitu, & fœdo mortis genere interiit XII. Calend. Martias, quùm jam per annos viginti novem, propagata per Germaniam lue, Boreales gentes deinceps infecit, homo inquinatissimus, ventris mancipium, & ipsius Dæmonis convictor. Vix ulla pestis tanto mortalium damno grassata est, quæ per tot funera etiamnum sævit vertente sæculo, & animorum luctuoso contagio. Dùm Ratisponæ Comitia aguntur, *Ferdinandus* Romanorum Rex, filias duas, Cæsaris neptes locat in matrimonium: Annam Alberto, Böariæ Ducis Gulielmi filio; Mariam Gulielmo Clivensium Duci. Interim cùm Cæsarem non lateret, quid

Cæsar in Ducem Gelriæ, Comitemque Zutphaniæ inauguratur.

Conventus Ratisponēsis

Concilium Tridentinū.

Mors Lutheri.

quid Protestantes molirentur, ad se Tribunos, & Centuriones aliquot clàm evocat. Legati Protestantium suspicantes quod res erat, Cæsarem adeunt, ab eoque sciscitantur, in quem arma paret. Respondet Cæsar, se cohortes conscribere in quosdam pervicaces & rebelles, quos edomare, atque eorum conatus comprimere constituerit: qui ipsi auxilio sint, illis se benignum & clementem Dominum fore, cæteros non alio, quàm hostium loco habiturum. His auditis, Legati ad suos proficiscuntur. Hinc habiti passim per Germaniam, Italiam, & Hispaniam militum delectus & in primis Maximiliano Burano negotium Cæsar dat, ut coäctas in Belgio, perque Gelriæ oras peditum, & equitum copias, quàm celerrimè & tutissimè ad se adducat. Missus & Romam Christophorus Madrucius, Cardinalis Tridentinus, ad promissa à Pontifice auxilia quàm citissimè evocanda. Protestantes interim, Sebastiano Schertelio, copiarum à Civitatibus comparatarum, præfecto, mandant, ut venientibus ex Italia copiis, Alpium transitu prohiberet. Ille impigrè mandata facit, Fiessam, Antistitis Augustani oppidum, primo impetu, sine vulnere, occupat. Mox arcem Ereobergam, ditionis Rom. Regis, prærupto undique Saxo impositam, in potestatem redigit. Indè Clusam, arcem munitissimam, in faucibus Alpium sitam, deditione capit, validoque præsidio iis locis imposito, Oeniponte frustra tantato, cum reliquis copiis ad exercitum Protestantium revertitur. Dum hæc geruntur, *Ioannes Fridericus* Saxonum regulus, & *Philippus Lantgravius*, Cattorum princeps, qui contumaci animo, pro tuenda libertate Germanici nominis, arma sumpserant, scribunt Cæsari literas, quibus se testantur in officio permansuros, aut si quas injurias intulerint, de illis velle satisfacere, si lege agere sinantur. Cæsar illis nihil responsi reddidit, quippe qui sciret eorum exercitum omnem in unum locum conduci. Nec multò post omnes eorum copiæ Danovertum cum Saxone & Philippo Hesso pervenère. Recensebantur peditum octoginta, equitum quindecim millia, ad hæc centum & triginta omnis generis tormenta, fossorum sex millia, ac pontones trecenti, plaustra pulveri tormentario, globis, ac cæteris bellicæ rei necessariis instrumentis subvehendis supra octingenta, quibus trahendis octo millia jumentorum destinata erant. Tantis viribus fretus Hessus, jam despiciebat Cæsarem, & eum facilè totâ Germaniâ expulsurum, minabatur. Cum igitur dissimulationi amplius locus non esset, Cæsar duodecimo Calend. Augusti, publico programmate Saxonem, & Hessum, ut perfidos, rebelles, seditiosos, minutæ Majesta-

Motus in Germania ob religionem.

Protestantes Alpium angustias occupat, ut venientibus ex Italia copiis transitu prohibeat.

Numerosus eorum exercitus.

Cæsar proscribit Saxonem & Hessum.

Majeſtatis reos, ac publicæ tranquillitatis perturbatores, proſcribit. Mandat inſuper univerſis Imperii Principibus, Civitatibus, ac ſubditis, nè quis opem ferat, aut ipſorum cauſæ ſe adjungat, additâ pœnâ vitæ & fortunarum in eos, qui ſecùs fecerint: Poſtremò Nobilibus, & populo utriuſque ditionis, fidem atque jusjurandum, quo ſint eis devincti, remittit; & ſi morem gerant, nemini fraudi fore, publicâ fide, cavet; ſi recuſent, eandem quam perduellibus proſcriptis, pœnam denunciat. Hærebat tum Cæſar Ratiſponæ, admodum exiguo militum numero fultus, tria enim tantum millia Hiſpanorum peditum, quos ex Pannonia evocaverat, & quinque circiter Germanorum millia, ac mille ducentos equites circà ſe habebat, præter quas, nullæ adhuc copiæ convenerant. Igitur veritus, ne Ratiſponam, civitatem infirmam & immunitam, ſi diutiùs in ea ſubſiſteret, Proteſtantes eliceret, ut ſaluti ſuæ & urbi conſuleret, ad Lanzuthum caſtra promovet, præoccupatoque oppido, copias ex Italia venientes, illic expectare conſtituit.

Saxo & Heſſus Cæſari bellum denũciant.

Dum pro Lanzuthi mœnibus caſtra habet, Saxo, & Heſſus, qui Donoverdæ caſtra poſuerant, honorarium ephebum cum æneatore ad Cæſarem mittunt, qui epiſtolam perferunt ad teli amentum, ex antiquo ritu, alligatam, quâ ſolemni formulâ, pro inſtituto veteri, receptoque, bellum denunciabant. Erant illi laqueo quidem digni, ſed incolumes dimiſſi ſunt cum tabulis proſcriptionis, quas ad ſuos perferrent, nullis intereà aliis additis literis. Sub idem tempus, copiæ Pontificæ ſuperatis Alpibus, Lanzuthum ad Cæſarem pervenerunt: erant peditum duodecim millia, equites levis armaturæ ſeptingenti, quibus omnibus cum imperio Pontifex præfecerat Ducem Octavium Farneſium, nepotem ſuum. His, alii ducenti equites à Coſmo, Florentiæ Duce, & centum à Ferrarienſi Duce miſſi, acceſſerunt. Biduo poſt venêre Hiſpani ex Inſubribus, & regno Neapolitano evocati, præſtanti virtute, & veterani omnes, qui circiter novem millia conflabant.

Numerus copiarum Cæſaris.

Cenſa tunc ſunt apud Cæſarem fuiſſe ſexdecim millia Germanorum peditum, Italorum duodecim, Hiſpanorum circiter novem millia: equites haſtati mille, ſexcenti: & præter hos alii, ità ut equites duorum millium cataphractorum numerum efficerent, & mille levis armaturæ. Cum his copiis, & triginta ſex tormentis æneis, Cæſar Lanzutho relicto, Ratiſponam revertitur, impoſitoque urbi quadringentorum peditum præſidio, Ingolſtadium verſus iter flexit, & opportuno loco caſtra metatur. Erat ejuſ-

Cæſar ad Ingolſtadiũ caſtra metatur.

modi

modi situs loci; Sinistrum latus ripa fluminis, & loca palustria præcingebant; à tergo quæ erant oppidum ipsum tuebatur: à dextra, & à fronte, ampla planities, sed in colles molliter assurgens. Ab hac utraque parte Albanus, quem Cæsar ejus belli summum Imperatorem dixerat, incredibili celeritate, castra fossâ, aggere, & vallo circumcingit. Haud diù post, Protestantes Cæsaris castris sua castra conferunt. Tùm Cæsar equo vectus, suos obequitabat, nec uno in loco ad milites verba faciebat, cohortes monendo, ut pristinæ virtutis, & secundissimorum prœliorum memores, partum tot bellis decus, constantissimè tueri vellent: ad eos enim oppressorum hostium laudem, & gloriam esse perventuram. Quæ Cæsaris verba magnos militibus ad rem benè gerendam animos fecêre. Hostes ex alia parte, horribili fragore tormenta displodunt, & pilarum imbribus vallum, & acies Cæsareanas complent. Memoriæ proditum est, in castris Cæsarianis repertas esse mille nongentas pilas ferreas; eaque sævissimâ tormentorum displosione, quæ octo amplius horis cælum commovit & undas, unum ex Cæsaris stipatoribus peremptum esse, equos duos, & signum militare unum discerptum. Ibi dùm sedet Cæsar, & propediem Maximilianum Buranum cum copiis è Belgio expectat, missi sunt à fœderatis Comes Oldenburgius & Rifebergius cum triginta quinque militaribus centuriis, & mille equitibus, ut Buranum transitu Rheni arcerent. Verùm Buranus, cujus exercitum decem omninò millia peditum, & quinque equitum implebant, infra Moguntiam Rhenum transmiserat, nullo prohibente. Quo comperto, Fœderati transmisso Danubio, Neoburgum, atque indè Denoverdam petunt, ut medii inter Cæsarem & Buranum, quò minus conjungi possent, impedirent. Sed militari astu delusi, Buranus obscuræ noctis usus beneficio, copiisque magno itineris flexu circumductis, in castra Cæsaris incolumis pervenit. Eâ re non parum fœderatorum fastus contusus est & depressus. Exindè Cæsar potenti exercitu auctus, omninò aliquid sibi audendum constituit. Igitur ad Neoburgum, quod est oppidum, duobus infra Ingolstadium milliaribus, profectus, ut loci situm exploraret, antequam de obsidione decerneret, oppidani inopinato ipsius adventu territi, missis decurionibus, se ejus voluntati permittunt. Idem faciunt Tribuni, & ordinum duces, qui illic præsidio erant; præsidiarios milites omnes, in quos jure animadvertere potuisset, pro sua clementia incolumes dimisit. Tùm exercitum lustrat & recenset: repertus est equitum numerus millium circiter novem, peditum

Protestantes sua opponunt

Buranus adducit è Belgio 10. peditum & 5. equitum millia.

Neoburgum ultrò Cæsarem agnoscit.

Cæsar lustrat exercitum.

ditum quadraginta quinque. Neoburgo, Cæsar ad Wendingum castra promovet, ei adventanti Senatus urbem dediturus, occurrit. Sub id tempus affertur nuntius Cæsari, hostes cum universis copiis ad ipsius castra contendere; Tum ille, licet acutissimis podagræ doloribus cruciaretur, equum extemplò conscendit, pedem linteo, ab ephippio pensili, sustentat, atque hunc in modum tota die inter suos obequitat: Verùm hostes, quibus à conserendo prœlio mens aliena erat, & copias ostentabant ad famam, opinionemque hominum retinendam, densissimæ nebulæ usi beneficio, iter Norlingam versus instituunt, atque Cæsareanos pugnæ avidos, sua spe, frustrantur. Videns autem Cæsar ad pugnam eos elici non posse, ad alia consilia convertitur. Mittit clàm Octavium Farnesium cum copiis Italicis, & Schamburgianis cohortibus, qui *Danovertum*, urbem ad Danubium positam, occupent. Ea res prosperos habet successus, & oppidani subitâ Cæsareanorum irruptione perterriti, sese dedunt, non minori hostium damno, quàm Cæsaris commodo. Posterâ luce Cæsar eò contendit, ac alterâ indè die, *Delingam* versus castra movet. Hostes ex oppido dilabuntur, idque nullo negotio in potestatem est redactum. Indè quoque *Lauginga* se dedit, idemque facit *Gudelinga*. Adeò mobilis, ac infida populorum natura est, ut facilè quos desertos à fortuna conspexerit, statim, soluto pudore, destituat. Dùm hac ratione in Suevia bellum geritur, Rom. Rex *Ferdinandus*, ac Mauritius Saxo, cum justo exercitu in Joannis Frederici Septemviri fines hostiliter ingressi, pulsis, ac profligatis Saxonibus, omnia ferè ejus oppida ad deditionem compulerunt, præter Wirtembergam, Ilenacum, & Gotham, clarissimas, ac munitissimas urbes. Cujus rei nuntius hinc, à Sybilla uxore ad Saxonem; indè à Mauritio ad Cæsarem perlatus, perturbatione, & gaudio æquè animum utriusque complevit. Hoc improviso fortunæ turbine, Saxo, & Hessus perculsi, postquam adeò impotenter à fato pariter, atque à Cæsare urgerentur, ad eum legatum mittunt Joannem Brandeburgicum, Septemviri Brandeburgici fratrem, ut de pacis conditionibus cum Cæsare ageret: Sed cum Cæsar prorsùs alias præscriberet, quàm ipsi proponerent, nihil transactum est. Ubi porrò Cæsar accepit, hostium equitatum cum parte peditum in Franconiam contendere, omnibus modis antevertendum putavit, ne illi potiti regione, omni rerum copiâ affluente, vires, jam non mediocriter elisas, redintegrarent. Itaque licet difficili anni tempore, ad Rotenburgam ducit. In eo itinere Norlingenses ejus iram veriti, sponte deditionem

Protestantes fugiunt aleã prælii.

Cæsariani occupant Danovertũ, & alia complura oppida.

Tota ferè Saxonia potestati Cæsaris subjecta.

Saxo & Hessus pacem petunt.

Norlingenses deditionem faciunt.

nem faciunt, triginta sex aureorum millibus multati. Vissemburgum, & Dinckelspulum, missis Oratoribus, pariter arbitrio ejus se dediderunt. Indè Rotenburgenses, in fidem accipit. Ubi hostes sensêre Rotenburgum à Cæsare occupari, haud mediocriter perturbantur, atque paulò post, qui simul omnes, de Cæsare totâ Germaniâ expellendo, consilia anteà agitaverant, jam de salute sua singuli cogitare cœperunt, atque ita tam potens, ac numerosus exercitus dissolutus est. Lantgravius ubi Francofurtum venit, obsecrantibus decurionibus & civibus, ut quid faciendum sit edoceat, fertur respondisse; optimam sibi rationem videri, ut unaquæque vulpecula suam caudam tueatur. Saxo quoque certior redditus, Ferdinandum, & Mauritium ipsius evastare ditiones, contractis dispersarum copiarum reliquiis, domum revertitur, atque itinere magnam pecuniæ vim, præcipuè ab Ecclesiasticis extorquet. Moguntinum, Fuldensem Abbatem, aliosque Catholicos, immani pecuniâ multat. Cæterùm Cæsar Maximilianum Buranum in Belgium remissurus, jubet, ut ex itinere Francofurdienses, vel ad defectionem invitet, vel ad deditionem vi adigat. Ipse Rotenburgo discedens, Halam, Sueviæ clarum oppidum, pervenit: cumque illic ob podagræ sævitiam, aliquandiu consistere cogeretur, venit ad eum Fredericus Palatinus Septemvir, & supplex veniam petit & impetravit quod initio belli, fœderatis quadringintos equites subsidio misisset. Venêre & Ulmenses, qui dejecto in humum vultu, ad Cæsaris sese pedes abjiciunt, & ejus clementiam implorant, quos Cæsar, certis conditionibus, in gratiam recepit. Deindè Halâ digressus, Hispanos cum aliquot alis equitum in agrum Wirtembergensem præmittit, atque mox ipse cum mole exercitus subsequitur. Princeps Wirtembergensis, fatali quodam metu consternatus pacem petit, atque operâ Palatini, pro eo deprecantis, impetrat iis conditionibus, quas Cæsar præscripserat, ac inter has, ut in sumptus belli ducenta aureorum millia dependeret. Post Wirtembergicos, Civitates liberæ complures, Cæsarem respiciunt, cùm, quæ impenderent mala, ægro animo providere cœpissent. Memmingii veniam petunt, & obtinent persolutis quinquaginta aureorum millibus. Tùm Bibracii, Ravespurgii, Campodunenses, ac Isnenses supplices in gratiam recepti, singulique pro facultatibus similiter pecuniâ multati, tormentorumque majore parte exuti.

Protestantes animum abjiciunt.

1547.

Cæsar ditionem Wirtembergensem invadit.

Civitates liberæ Cæsarē respiciunt.

Hoc anno pax inter Franciscum Galliæ, & Henricum Britanniæ Reges sancita est, ea lege, ut Francisco Regi Bononiam quadringen-

dringentis aureorum millibus redimere liceret, quod aurum octo pensionibus in singulos annos à Gallis penderetur: eo persoluto, Bononiam Anglus bonâ fide traderet. Sed Franciscus & Henricus nequaquam diù ea pace frui potuerunt, ut mox dicemus.

Saxo recuperat sua. Anno 1547. decimo quinto Cal. Feb. Saxo non solum omnia oppida sua amissa recuperat, quin etiam patruelis Mauritii oppida, præter Lipsiam, & Dresdam in potestatem redigit, sed non diu occupaturus. Eâ de re Cæsar certior redditus; imperat Alberto Brandeburgico, cum equitatu, ac pedite Germanico, statim Duci Mauritio in auxilium proficisci, pollicitus quam primum cum Hispanis, ac Italis subsecuturum. Tùm Ulmâ discedens, Giengam, alterâ die Norlingam venit. Intereà Albertus Brandeburgicus à Cæsare præmissus, Rochliziam cum copiis venit, ubi, dùm muliebribus illecebris, per convivia & choreas ab Elisabetha, Hessorum Principis sorore, delusus, intermissâ militari disciplinâ, securiùs agit, à Saxone oppressus est, & captus: ac Gothæ, loco admodum munito, in custodiam missus, cæsis ac profligatis, quas adduxerat copiis. *Brandenburgicus casus & captus.* Sparsâ hujus cladis famâ, Cæsar decimâ Cal. Aprilis, Norlingâ Noribergam profectus est. Constituerat ad Egram, quod est Boëmiæ oppidum, cum Ferdinando fratre, & Mauritio coràm conferre. Verùm Boëmi, quos in suas partes Saxo traduxerat, quùm succisis passim, & transversis objectis arboribus, vias præsepsissent, ne per eas vel tormenta, vel currus traduci, & equites, nisi dissolutis turmis, induci possent; tandem longiori flexu & circuitu, Ferdinandus, & Mauritius cum copiis suis, tribus ab Egra milliaribus, in castra ad Cæsarem pervenerunt. Porrò adduxerunt gravis armaturæ bis mille ducentos, levis armaturæ circiter mille equites, omnes egregiè instructos. Paschalibus feriis Egræ peractis, Cæsar *Albanum* cum omnibus copiis, & parte equitatus, præmittit, ipse mox sequitur, in id vel maximè intentus, vt cum Saxone daretur confligendi opportunitas, priusquam ille vel Wittenbergam, vel Gotham, vel in alia munita loca se reciperet.. Erat per id tempus Saxo apud Misniam oppidum, quod Mauritio paulò ante eripuerat. Eò contendit Cæsar, atque in itinere, per nuntios certior fit, Saxonem iter habere Wittenbergam. *Cæsar propè Misniam Saxonem assequitur.* Interfluebat inter eum & Saxonem Albis, turgidus, & vastus fluvius, Imperii olim Romani ab ea parte limes, qui in Hercynia ortus, quasi ab Arcto, Austrum versus tendens, in Boëmiæ regnum descendit, auctusque aliis amnibus, postremò apud Hamburgum, celebre emporium, in Oceanum influit. *Albis fluvius dirimebat utrinsque exercitum.*

influit. Hunc Cæsar omninò transmittere constituit, ne Saxo elaberetur, & occasio committendi prælii è manibus excideret. Erat res summæ difficultatis, siquidem is fluvius, trecentos in latitudinem passus patebat, undarumque mole & impetu, vel spectantibus, horrorem incutiebat. Nihilò seciùs Cæsar, qui quoquo modo exercitum transmittere, & cum hoste congredi apud se statuerat, mittit Albanum, qui fluminis vadum sagaciter inquirat. Dum quæritur vadum, hostes, secundo flumine, navibus deferebantur; at Hispani Sclopetarii moræ impatientes, audacter in flumen irruunt, & brachiis tenùs extantes, ad hostium scaphas magno impetu contendunt, quas cum Saxonici defendere non possent, compagibus solutis, fluminis arbitrio ferendas permiserunt. Quod ubi vidêre Hispani, ex iis decem, nandi gnari, gladios transversos ore mordicùs comprehendentes, nihil densissimâ pilarum grandine territi, errantes schaphas assequuntur, & ad citeriorem ripam adducunt, ex quibus, & quas secum Cæsar advexerat, pontem mox sterni imperat, ut pedites, & tormenta commodiùs traduci possent. Intereà Saxo ad Milburgum oppidum, in ulteriori fluminis ripa, cum viginti peditum, & quinque equitum millibus castra habebat. Demùm Albanus, reperto vado, quod rusticus, ob abacta pridie à Saxonibus duo jumenta, indicârat, primi trajiciunt Hungari equites, humeris tantùm & pectore eminentes, & cum eis levis armaturæ equites, qui singulos milites sclopetarios, à tergo, equis insidentes, vehebant, Albim transmittunt. Indè cataphracti subsequuntur. Cæsarem vehebat equus Hispanicus, coccino serico villoso, cui ex auro fimbria erat, instratus. Ipse, auro radiante, loricâ conspicuus, & conchiliatâ fasciâ bombycinâ auro distinctâ superindutus, casside germanicâ capiti aptatâ, manuque frameam lato ferro gestans, speciem magni illius Cæsaris referebat, qui transito olim Rubicone, omni pacis conditione abjectâ, in sola victoria spem ponebat. Et sic Princeps ille, rustico præeunte, Albim ingreditur, & incolumis in ulteriorem ripam pertendit. Transmisso fluvio, ac vadi duce centum aureis, ac equis duobus remunerato, Cæsar ulteriore ripâ sine damno potitur. Peditatus, ponte nondùm constrato, tardiùs traducebatur. Itaque Cæsar, omnia in celeritate posita cernens, solo equitatu hostem adoriri constituit, & tria trans flumen milliaria emensus, ad Locheranam Sylvam Saxonem assequitur: Tùm acris in hostem fit impressio, atque à meridie, usque ad Solis occasum, ferocissimè pugnatum est: postremò Cæsare fortiter urgente, atque Saxonico

Cæsariani reperto vado Albim transmittunt.

Cæsaris habitus & ornatus.

Atrox pugna.

nico equitatu in fugam verso, peditatus cædi, & prædæ objectus est. Saxo, sparsis, ac variè disjectis copiis suis, cum propè esset, ut in sylvam se abderet, à quatuor Hispanis equitibus, totidemque Italis, ac duobus Hungaris circumventus, dùm se pertinaciùs defendit, in sinistra maxilla vulneratur, sesque dedere cogitur. Cumque milites de nobili captivo inter se contenderent, fortè fortuna intervenit Albanus, qui utrisque ablatum, ad Cæsarem, qui in media circiter sylva constiterat, deduxit. Erat in equo Frisio armatus; cumque in conspectum Cæsaris pervenisset, velletque ex equo exscendere, & dextræ chirothecam detrahere, mitissimus Cæsar neutrum permisit. Tum ille: „Quando ita fortuna tu-„lit, ecce me tibi, potentissime, & clementissime Cæsar, capti-„vum sisto. Plura dicturum, Cæsar interfatur: Ergòne Cæsarem „me nunc compellas, quem nuper in sermonibus, & publicis „etiam scriptis, modò Carolum à Gandavo, modò se pro Cæsare „gerentem, vocabas? addidit quoque Cæsar, optimo merito suo „ad ejusmodi fortunam ipsum esse redactum. Quo audito, ille „subticuit, scapulisque contractis, & capite in humum demisso, „ingemuit. Indè iterum petit à Cæsare, ut se captum, pro digni-„tate haberet, neu Principe indignâ custodiâ servaret. Cæsar nihil „aliud respondit, quàm se pro merito illum accepturum. Mox Saxo, & Ernestus Brunsuicensis, (nam & is captus erat) Alphonso Vives, Hispanorum militum Tribuno, custodiendi traduntur. Desiderati eo prælio ex Cæsareanis, non amplius quinquaginta equites. Ex Saxonicis cecidêre supra bis mille pedites, ac quingenti equites. Capta tormenta majora quindecim, & magnus bellicarum rerum apparatus: postridie quoque sex alia tormenta intercipiuntur. Multa quoque præda, impedimenta, signa legionaria, & equestria. Victoriâ hac potitus est Cæsar VIII. Calendas Maii. *Iulius Cæsar* olim Pontico triumpho, trium verborum titulum prætulisse fertur: *Veni, Vidi, Vici.* Noster verò Cæsar, iis verbis nonnihil immutatis usus est: *Veni, Vidi, Deus Vicit*: Ut ostenderet, victoriam non humanis viribus partam, sed divino numini eam acceptam ferre. Exindè *Torgâ* in deditionem acceptâ, tum Cæsar ad Wittembergam castra transtulit. Eam urbem Saxo viginti quinque annos adeò communierat, ut facilè diuturnam obsidionem ferre posset. Ibi dum consistit, horrendum ultimi supplicii carmen in Saxonem tanquam Reipub. hostem pronuntiari jubet. Evulgatâ sententiæ famâ, Joachimus Septemvir Brandenburgicus, & Gulielmus Cliviæ, ac Juliaci Dux, cujus sororem

Saxo profligatus & captus.

Cæsar ad Wittembergam castra transfert.

rem Sibyllam Saxo sibi matrimonio junxerat, continuò in castra advolarunt, mortem & supplicium calamitosi & infœlicis Principis deprecaturi, quorum precibus flexus Cæsar damnationem rescidit & lucis usuram Saxoni, his, inter cætera, legibus donavit: „Dignitati Septemvirali pro se, suisque liberis, & successoribus „in perpetuum renuntiato, eamque Cæsaris arbitrio relinquito. „Bona Saxonis omnia Cæsari cedunto; qui eorum partem Rom. Re„gi, partem Mauritio Saxoni donato, qua de causâ Mauritius sin„gulis annis, Joannis Frederici Saxonis liberis, quinquaginta au„reorum Rhenensium millia numerato. Saxo oppidum Gotham, „dirutâ arce, servato. In eo fuêre centum tormenta majora, præter minores machinas complures: æ nearum pilarum centum millia, & ingens rerum bellicarum apparatus. Sunt & aliæ conditiones, quas studio brevitatis prætereo.

Cæsar Saxoni vitam donat certis legibus.

Confectis in Saxonia rebus, Cæsar tertiis castris Halam venit, indè cum copiis in Hessiam, ad Lantgravium edomandum, transiturus. *Lantgravius* Cæsaris adventu perterrefactus, nec quicquam opis habens, quo se adversus tam potentem hostem tueri posset, ab una Cæsaris clementia salutis sibi præsidium petendum censuit. Ea de causa per Mauritium de pacis conditionibus agere cœpit. Mauritio deprecatori, Joachimus Septemvir Brandeburgicus se conjungit: cumque ultrò citroque varia proponerentur, Lantgravius ad postulata semper aliquid vel adderet, vel demeret, Cæsar tandem respondit; nihil se cum Lantgravio agere velle, rebus ille suis, ut vellet, consuleret. Id responsum haud mediocriter ejus perterruit animum: datis igitur ad Mauritium literis, conciliationis leges à Cæsare præscriptas, sua manu descripsit, & chirographo suo firmavit. Mox cum centum equitibus Halam venit: Postridie à Mauritio, & Brandeburgico in regiam deducitur. „Cum in genua coram Cæsare subsedisset, ejus nomine, Cancel„larius, supplex Cæsarem appellat, crimen sibi condonari postu„lat, fidem & observantiam in posterum pollicetur, ac jurejuran„do confirmat. Cæsar per Georgium Seldium respondet: Se licet „gravissimè læsum, tamen supplici noxam condonare, capitis „pœnâ, proscriptione, & carceribus perpetuis absolvere. His dictis, Lantgravius injussus consurgit; deindè à Mauritio, & Brandeburgico apud Albanum cœnaturus deducitur: cœnâ factâ, Albanus eum apud se detinet. Conditiones quibus se dedidit, hæ ferè fuêre: „Lantgravius, & ejus clientes, Cæsari jurent, & „ultrò ejus voluntati se permittant. Ipse, ex omni ditione, qua-

Hessus ad Cæsaris clementiam confugit.

Conditiones, quibus Hessus se dedidit.

„ tuor delectas urbes continuò dedat. Loca aliquot munita diruat.
„ Centum quinquaginta aureorum millia pendat. Tormenta omnia, unà cum suis armamentis (ea erant ampliùs ducenta) Cæsari tradat. Henricum Brunsuicensem restituat. Vitam Cæsaris beneficio habeat. Perpetuâ custodiâ non asservetur &c. Is Germanici belli exitus fuit, & Cæsar effocatâ rebellione, Germaniam omnem intra Danubium, Albim, & Rhenum incredibili felicitate, gloriaque subegit. Post dirutas Lantgraviæ ditionis arces,

Cæsar tormẽta hoc bello capta distribuit.

Cæsar tormenta omnia, quæ hoc bello ceperat, quæque quingentorum numerum excedebant, Francofurdiam conferri jussit, eaque hunc in modum distribuit: Mediolanum quinquaginta; totidem Neapolim, trecenta in Belgium; reliqua in Hispaniam mittit. Supererat bellum Boëmicum, exortum occasione fœderis cum Saxone icti. Sed id quoque, post tot felices successus, levi operâ confectum est.

Boëmi Cæsaris Clementiam appellãt

Boëmi enim, ubi de Saxonis clade cognoverunt, Noribergam ad Cæsarem oratores mittunt, profitentur se jussa facturos, atque ad officium redire paratos. Ità discrepant divina & humana prudentia, ut consiliis, ità & exitu, nec vinci potest, quocum Deus pugnat: Quippe cùm tantæ fuerint, tamque instructæ hostium copiæ, & Cæsar contrà in ipsis belli initiis adeò infirmus, & ferè inermis, ut facilè opprimi potuisset, nihilò secius, omnem hostium impetum, & formidabiles vires, mirabili felicitate perfregerit, facilè animadverti potest, à pio Principe stetisse Deum.

Comitia Augustæ Vindelicorum.

Indè sub finem Julii Cæsar cum Saxone venit Augustam Vindelicorum, Hesso Donaverdæ Hispanorum custodiæ relicto: ac mox ipsis Calendis Septembris, Comitia ibidem frequentissimo Principum conventu sunt habita. Aderant Septemviri omnes, & præter alios Imperii Principes, etiam Regina Maria, Cæsaris soror, Belgii gubernatrix. In hoc conventu Cæsar eam in curam præcipuè incubuit, ut religio collapsa in Germania, posset instaurari, hæreses profligari, dissidiorum semina evelli, pax & tranquillitas constitui, Germanique uno omnes animo Concilii universalis decreta amplecterentur. Quin & in illud quoque operam dedit, ut inter Belgii Provincias, ipsumque Sacrum Rom. Imperium perpetua esset, habereturque unio, quæ & icta firmataque fuit. Intereà habitis Tridenti octo Sessionibus, salutaribusque decretis aliquot excussis & examinatis, mortiferâ lue Tridenti obortâ, ex Pontificis Pauli III. auctoritate, Concilium Bononiam translatum fuit: cumque Cæsar, ut Concilium Pontifex Triden-

Cura Cæsaris de religione.

tum

tum revocaret, nullis precibus, aut obtestationibus impetrare posset, eaque de causa subtimesceret, tardiùs, quàm expediret, successurum, quod erat susceptum de Religione negotium: Propterea anno 1548. quibusdam rerum sacrarum peritis, discutiendam tradidit formulam, à nonnullis viris magni nominis propositam, quam se diligenter observaturos pollicebantur, usque ad Concilii definitionem. Ex quorum relatione animadversum est eandem formulam, à vera Catholica Religione, & Ecclesiasticis doctrinis, statutis, & ordinationibus, exceptis duobus capitibus, Communionem sub utraque specie, & matrimonium Sacerdotum Protestantium concernentibus, non abhorrere: sed ad promovendam controversiæ Religionis Christianæ concordiam, conservandamque in Sacro Imperio pacem & tranquillitatem, conducere. Verùm cum hæc duo memorata capita, nonnullos Catholicos offenderent; Cæsar, qui in hujusmodi rebus Pontificis authoritatem salvam esse volebat, libellum memoratum ejus judicio subjecit, ac juxtà ejusdem rescriptum, posteà est receptus, & passim vocatus *Interim*. Saxo tamen captivus induci non potuit, ut Concilii œcumenici decretis, & editi libelli doctrinæ, subscriberet, Constantienses quod editæ religionis formulæ sese accommodare abnuerent, proscribuntur. Mox re in deliberationem vocatâ, libellum recipiunt, & Clerum in Urbem admittunt, atque insuper Austriacæ Domui sese in perpetuum dedunt. Deindè tertio Non. Augusti Cæsar Senatum Augustæ exauthorat, novumque constituit, impositoque præsidio, Ulmam contendit, atque illic itidem Senatum loco movet, aliumque subrogat. Per hoc tempus Maximilianus, Ferdinandi Regis Rom. filius, Augustâ in Hispanias proficiscitur, ducturus in uxorem Mariam, Cæsaris, patrui sui, filiam, ibique Pro-regis titulo regna administraturus. Ubi in Hispaniam venit, peramanter à Philippo patruele accipitur, moxque magnâ pompâ Pinceæ Carpentorum nuptiæ celebrantur; quibus peractis, Philippus, traditâ sororio rerum administratione, cum Albano, & Cardinale Tridentino Barcinonem terrestri itinere contendit, ubi eum Andreas Auria, cum quadraginta triremium classe operiebatur. Ibi venerandâ canitie senex, Principem tunc annum ætatis 21. agentem, & in tot regnorum spem natum, prærogativâ ætatis, familiariter complectitur, fausta omnia precatur; idoneamque nactus tempestatem VII. Cal. Decembris, cum tota familia Genuæ exponit; atque suis in ædibus, magnifico rerum omnium apparatu, excipit.

1548.

Formula de religione concepta, dicta Interim

Nuptiæ Maximiliani, Ferdinandi Rom. R. filii cum Maria, Cæsaris nepte

Cæsar proficiscitur in Belgium cum Saxoni & Hesso. Interim Cæsar Spiram venit, indè secundo flumine Moguntiam, postremò Coloniam Agripinam intravit: tandem sub mensem Septembrem, cum Saxone, & Hesso in Belgium contendit, servato apud se Saxone, Lantgravio verò Audenardam, quod est Flandriæ oppidum, misso; Indè Mechliniam transmissum, intra Palatii sui posteriorem partem, Hispano satellitio, quàm arctissimè septum, detinuit.

1549. *Philippus Hispaniarum Rex*, postquam Genuæ aliquandiu substitisset, indè digressus, per Alexandriam, ac Ticinum, decimo nono Decemb. Mediolanum venit, ibique, omni publicæ lætitiæ genere exceptus, præstò fuère Emanuel Philibertus, Sabaudiæ Princeps, Veneti, Florentini, Ferrarienses, & Senenses Legati. Mediolano Mantuam, atque indè Tridentum profectus est. Indè per Oenipontem Monacum Vindelicorum, Ulmam, Heydelbergam ac mense Januario Spiram nementum iter habuit. Demùm per Lotharingiam, Lucemburgum pervenit, ubique regio cultu exceptus. Postquam Waveram venisset, primaria Nobilitas Belgii effusa, illum salutatum proficiscitur: quem indè ad arcem Vuranam deduxerunt, ubi à *Maria* Hungariæ Regina, Cæsaris sorore, intimo amoris sensu complexus est. Tum die insequente, ipsis Cal. Aprilis, cum amita Maria Bruxellam ad patrem contendit; ubi, magnifico supra fidem apparatu, receptus est, arcubus passim triumphalibus, & statuis positis, cum honorificis elogiis & inscriptionibus: & sic regali pompâ, & totius Urbis lætitiâ, deductus in regiam, osculo & amplexu ab *Eleonora* Franciæ, & *Maria* Hungariæ Reginis exceptus, inque medio earum constitutus, deductus est ad patrem à quo amplexus est tanto cum gaudio, cujusmodi unicum filium complecti ab optimo parente credibile est. Haud multò post, *Cæsar* admonitis omnium Belgicarum Provinciarum Ordinibus, necessaria adornari jubet, ut filius *Philippus* in Principem inauguraretur.

Philippus Rex Hispaniarum venit in Belgium.

Philippus in Ducem Brabantiæ inauguratur. Tùm cum sororibus *Eleonora*, ac *Maria*, unà cum filio, ingenti Procerum, Nobiliumque comitante turbâ, Bruxellâ Lovanium urbem Brabantiæ Principem, venit; ibique in frequenti consessu Ordinum Brabantiæ, solemni cum ritu, ut fieri suevit, in Ducem est inauguratus, eique, ut suo legitimo Domino, ac Principi, Sacramentum solemniter, sanctèque dixerunt; qui vicissim eisdem quoque sua privilegia, prærogativas, immunitates, consuetudines, ac vetera statuta, cujusmodi olim à Ducibus Brabantiæ, Majoribus suis, indulta haberent, liberali manu asseruit, ac firmavit, datis eâ de re codicillis, qui vernaculè scripti, hunc sensum latinè habent.

CAROLUS

Pacta inauguralia Caroli Cæsaris & Philippi II ejus filii.

CAROLVS Dei gratiâ Romanorum Imperator semper Augustus, Rex Germaniæ, Castiliæ, Leonis, Granadæ, Arragoniæ, Navarræ, Neapolis, Siciliæ, Maioricæ, Minoricæ, Sardiniæ, & Insularum Indicarum, Terraque firmæ Maris Oceani, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgi, Lucemburgi, & Geldriæ: Comes Flandriæ, Artesiæ, & Burgundiæ; Palatinus Comes Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Pherretriæ, Hanoviæ, Namurci, & Zutphaniæ: Princeps Sueviæ, S. Rom. Imperii Marchio: Satrapa Frisiæ, Salinarum, Mechliniæ, Provinciæ Trajectensis, Transisulanæ, Groningæ, Dominator in Asia, & Africa. Et nos Philippus, eâdem gratiâ Princeps Hispaniarum, utriusque Siciliæ, Hierosolymæ &c. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ &c. Comes Habsburgi, Flandriæ &c.

„UNiversis & singulis has literas inspecturis, Salutem. Quo „luculentiùs patefaceremus & ostenderemus sinceram be„nevolentiam, studium & amorem, quem nos Cæsar gerimus „& habemus ergà charos, ac juxtà fidos hæreditariæ nostræ Ger„maniæ inferioris subjectos; quando in id omni curâ incumbi„mus, ut communem eorum salutem, tranquillitatem, pacem se„curitatemque procuremus. Idcircò charissimum & amantissimum „filium; Hispaniarum Principem, hùc acciri curavimus, ut & „ipse easdem hæreditarias hasce ditiones nostras lustrare, inspicere „& recognoscere posset, subditisque nostris similiter palàm facere, „singularem affectum & amorem, quo eos prosequitur & com„plectitur; quò & ipsi vicissim, pro hostimento, futurum suum „Principem, ac Dominum studiosiùs observent, ac venerentur, „ipsique magis devinciantur.

„Atque ob has, aliasque graviores causas, statuimus & delibe„ravimus, cum solemni Ordinum Provinciarum voto & suffra„gio, Principatui initiare: ac præsertim Antistitum, Nobilium, „& quatuor hujus Ducatus Brabantiæ metropolium assensu; ut „ipse, ejusque hæredes ab excessu nostro eundem nostrum Duca„tum Brabantiæ, quæque ad eum pertinent, ceu verus, ac legi„timus ejusdem Dominus, possideat eodemque fruiscatur. Quæ „omnia iisdem Brabantiæ Ordinibus in nostrâ, ac dilectissimæ so„roris nostræ Principisque amitæ Mariæ, viduæ Hungariæ & „Boëmiæ Reginæ &c. Belgii, nostro nomine, moderatricis præ„sentiâ, proponi curavimus, eâ nimirum mente, ac voluntate, „ut memoratus filius noster Princeps, tanquam futurus noster

„unicus

,, unicus & ex asse hæres, iis quoque donet, spondeat, ac jureju-
,, rando firmet pacta inauguralia Majorum nostrorum, juxtà ve-
,, terem receptum morem & consuetudinem. Verùm cum ea pacta
,, quæ nos, Majoresvè nostri juravimus, quædam complectantur
,, capita, jam prorsùs expleta; itemque alia, quæ ægrè, aut om-
,, ninò observari non possunt, quæque ad præstandam regioni in-
,, columitatem, pacem, tranquillitatemque, nec accommodata
,, sunt, nec convenientia. Propterea memoratus filius noster, stu-
,, dens exactè & ad amussim servare, exsequi & complere univer-
,, sa & singula, quæ concessurus, promissurus, ac juraturus est,
,, de recognoscendis jam memoratis inaugurationibus cum iisdem
,, Brabantiæ Ordinibus communicandum curavimus, ut quid in
,, iis leniri, mutarive conveniret, ipsi animadvertere possent: Et
,, quæ deprehenderentur observari non posse, corrigerentur.
,, Cumque eâ de re varii cum iisdem Ordinibus consessus, & com-
,, municationes habitæ fuissent; tandem post plures variosque re-
,, cessus, consultationes, opiniones, renunciationesque ultrò ci-
,, troque factas, collatis suffragiis convenerunt, secundum legem,
,, normam, & formulam eâ de re conscriptam & signatam. Post-
,, quam verò nos Princeps juratam inaugurationem D. Parentis
,, nostri, illique additas literas & concessiones Proavi nostri, qua-
,, rum in postremo inaugurationis capite fit mentio, ex teutonico
,, Hispanicè fideliter interpretatas, legi audivimus easque plenè
,, cognitas habuimus, unà cum mutationibus, moderationibus,
,, atque additionibus juxtà memoratam formulam: Componentes
,, nos ad voluntatem & arbitrium D. Patris nostri, volentesque
,, nostris bonis hominibus & subjectis Provinciæ Brabantiæ jura
,, ipsorum, privilegia, immunitates, consuetudines, veteres usus
,, & instituta sarta tecta servare, præsertim propter magna & com-
,, plura merita, & fida officia, quæ majoribus nostris, Ducibus &
,, Ducissis Brabantiæ (quorum pia apud Deum memoria sit) ac
,, eos inter memorato D. Imperatori, parenti nostro, sæpenume-
,, rò præstitêre (uti addictos Domino suo decebat) & nobis dein-
,, ceps præstituros confidimus: Nos, bonâ D. Patris nostri veniâ,
,, in hac nostra inauguratione in urbe Lovaniensi, ex certa scien-
,, tia, consultò, & sponte nostrâ iis donavimus, concessimus, &
,, impertivimus, donamus, concedimus, & impertimus, ejus-
,, modi privilegia, capita, jurisque firmitudines, qualia infrà
,, scripta. Promittentes, & jurantes pro Nobis hæredibus, poste-
,, risve nostris, ab obitu prædicti D. parentis nostri (cui Deus for-
tunet

„ tunet vitam in multos annos) ea in perpetuum servaturos & rata habituros, nec passuros ullo modo, posteris temporibus, infringi.

I.

Ac primùm quidem spondemus, Nos ipsis fore benignos, æquos & fidos Dominos, neque vim ullam allaturos, aut inferri ullo pacto passuros; aut citrà judicium, fas & æquum cum ipsis acturos: Verùm cum Præsulibus, religiosis domibus, Baronibus, Nobilibus, Civibus, & Municipalibus Ditionis Brabantiæ, & Transmosanæ ità acturos, agique curaturos, ut unicuique jus suum tribuatur, secundùm jura, & consuetudines cujusque oppidi, & fori statuta. Ad hæc pollicemur, quod Judices ejusdem Provinciæ, dies ad jus experiendum statos & constitutos, exactè observabunt, neque eas ullo modo prorogare poterunt, nisi in causis juris Dominii, in quibus quidem id semel fieri poterit, sed non sæpiùs.

Nihil vi, sed omnia ex præscripto juris fieri, & dies juridicos observari debere.

I I.

Privilegia, & publici juris monumenta dictam ditionem, & homines spectantia, jam impetrata, atque deinceps impetranda asservabuntur in arce Vilvordianâ, sub custodia honesti, venerandi, & eximiâ dignatione viri, prognati in Brabantia, ibidemque fixam domicilii sedem habentis, à Principe ad id munus delegati, aut delegandi. Is autem Archiophylax, Principi Sacramentum dicet coram præsentibus Ordinibus, aut eorum delegatis. Quâ fini, Præsules, & Nobiles delegabunt duos Antistites, duos item ex Ordine equestri, qui præstandi jurisjurandi tempore, commodè adesse poterunt. Ac insuper hoc, tertius Ordo, Scilicet quatuor metropoles, à Principe appellatus, ex unaquaque metropoli unum leget scripto citandum, ut dictioni Sacramenti coram præsens adsit. Quod jusjurandum hujusmodi erit formulæ: „ Ipsum Principi, „ Provinciæque probum & fidum fore: neque ullo modo per se, „ vel quemvis alium privilegia, tabulasve publicas abalienaturum, „ distracturum, aut suppressurum. Ordinibus traditurum recen„ sionem & indicem privilegiorum, publicarumque tabularum ad „ Brabantiam, ejusque incolas spectantium, ab ipso, præsente Can„ cellario Brabantiæ, tàm dilucidè & perspicuè perscriptum, ut „ quisque ex Ordinibus quid ad ipsos pertineat, possit discernere, „ & distinctè cognoscere. Quem indicem Ordines in tabulario suo reponent & asservabunt, neque eum exscribendi cuiquam privatim potestatem facient. Veruntamen ipsis Ordinibus, & cuique eorum, atque quatuor metropolibus, ad postulationem ipsorum,

De tabulario Brabantiæ, ejusque custode.

& interveniente auctoritate Cancellarii, inspiciendi illius copia fiet. Insuper tenebitur ille Archii custos, appellatus ab Ordinibus, aut quoquam eorum, auctore Principe, aut ejus Senatu Brabantico, dare exemplum & apographum collatum & recognitum cum exemplari & archetypo, cujus usus ipsis, aut cuiquam eorum futurus sit commodus, aut necessarius.

III.

Principem belli non suscepturum sine Ordinum cõsensu.

Nunquam Nos, tanquam Brabantiæ, & Limburgi Dux, ob causas, Principatum earundem Provinciarum attinentes, obstringemus adversus quenquam bellum suscipere, aut pignerationem contra aliquem facere, faciendamvè curare, citrà voluntatem & assensum nostrarum Civitatum, & Provinciæ Brabantiæ: neque permittemus, aut consignabimus quicquam, quo Ditiones nostræ, earumque fines, urbes, vel earum rerum quidlibet aut etiam jura, earum immunitates, aut privilegia infirmentur imminuanturvè; aut denique, quod incolis earundem Provinciarum in detrimentum cedat.

IV.

De Titulo, insignibus & sigillo.

Assumemus titulum, & gentilitiam scuti imaginem Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgi, & Marchionatus Sacri Imperii, uti par est: & ad exemplum ejusdem tituli & symboli, signum cælari & incidi curabimus, insigni nota, ab aliis nostris signis distinctum: quod mutandum aut aliud ad ejus typum scalpendum, sive effingendum, curare nullo modo, aut ad id consentire, nisi justa de causâ poterimus, quod tunc quidem etiam de consensu trium Ordinum Provinciæ nostræ Brabantiæ faciemus. Idque signum spondemus perpetuò in Brabantia permansurum, nec quoquò indè terrarum avehendum, asportandumvè iri: eoque consignabuntur omnes causæ, pertinentes dumtaxat ad Ditiones Brabantiæ, & Trans-mosanas, earumvè incolas: Tabulæque indè conficiendæ, expedientur per unum Secretariorum nostrorum, causis Brabanticis præfectum.

V.

De Cancellario & Consiliariis Brab.

Sustinebimus septem venerabiles viros, quorum unus Cancellarius & obsignator erit, ortu Brabantus, ac trium linguarum peritus, nimirum Latinæ, Gallicæ, & Teutonicæ, qui sigillum nostrum asservabit. Quatuor item in Brabantia natos, ibidemque sedem & domicilium habentes, atque prædiatos: aut Baronica prædia in Brabantia, suo, vel dotali jure possidentes. Reliqui duo in nostro Consilio, pro arbitratu nostro erunt, callentes Teutoni-

cum

cum sermonem. Per quos septem aliosque illis modò adjunctos, aut quos deinceps nobis collibuerit in Consilium ascribere, Nos, aut nostro nomine Provinciæ Præses, universas dictæ regionis & Provincialium causas, ad Justitiam pertinentes, geri & administrari curabimus: veluti juris experiundi legitimas & solennes concessiones, aut Decreta, Placita, Edicta, Scita, Jussa: aut aliàs ex ejusdem Rectoris, Conciliique Brabantici sententia, judicio & auctoritate. In quo nemo illis impedimento esse, aut molestiam facessere poterit: neque in eo ullius alterius, quàm nostro, aut Præsidis Provinciæ imperio obnoxii erunt. Insuper hæc, quicumque in Ordinem amplissimum coöptati sunt, aut deinceps coöptabuntur, pariter & Secretarii, priusquam dignitatem aut munus inibunt, simili fide, obsequio, atque jurejurando, quo se Nobis, aut Successoribus nostris obstrinxerunt, tribus Ordinibus, ad totius nostræ Provinciæ usum promittent atque addicent, se nunquam interfuturos, aut tabulas publicas conscripturos, subscripturos, neque obsignaturos, ubi, aut quibus aliqua nostrarum Provinciarum oppida, arces, subditi, reditus, aut Dominia, terrâ marivè, citrà, ultravè Mosam sita, quocumque modo oppignerentur, vendantur, abalienentur, minuantur, graventur, implicentur, donentur, aut remittantur, nisi dictorum trium Ordinum assensu. Si qui autem Consiliariorum, cerarii Curatorum, aut Scribarum in Concilio, munere, aut functione contra hæc improbè se gerere aut committere deprehendentur, Nos eos explorato sensu, ac Consilio Nobilium, Urbiumque Provinciæ nostræ Brabantiæ, aut majoris partis earum, castigabimus.

V I.

Neminem in posterum in juratum nostrum Brabantiæ Senatum aut assumemus, aut retinebimus, nisi virum bonum, ex justis nuptiis, in Brabantia prognatum, ibidemque habitantem & prædiatum, aut Baronis Satrapiam in eadem Provincia, sive suo nomine, sive per causam matrimonii possidentem, exceptis duobus illis, qui tamen Brabanticam linguam callere tenebuntur. *Cujusmodi Brab. Consiliarii esse debeant.*

V I I.

Viros bonos ex Brabantico Concilio deligemus, qui, quo loco Nos in Brabantia commoraturi sumus, nostro nomine Curiam constituant: Et si contingat Nos peregrè abesse, Curiam ipsi alicubi, commodo loco, collocabimus; habebuntque illi nostro nomine, unumquemque expediendi, plenissimam potestatem. Similiter ratiocinatorum exhedra exercebitur eo loco, quo hactenus. *De loco Curia Brabantia.*

 VIII.

VIII.

Quâ linguâ diplomata conscribi debeant.

Codicilli omnes, resignati, & obsignati, qui deinceps in Concilio nostro Brabantico, nostro nomine concedentur, aut emittentur, sive nostrâ causâ, sive ad postulationem subditorum, conficientur, & emittentur eo sermone, cujus usus est, eo quo mittentur, loco.

IX.

Cujusmodi Cancellarius Cõsiliarii & Scriba clientelaris esse debeat.

Neminem in Brabantia Cancellarium, aut Signatorem constituemus, nisi qui sit ex legitimo connubio, in Brabantia procreatus; ibidemque habitans & prædiatus: aut Baronica prædia, suo, vel conjugis jure, ibidem possideat, trium linguarum gnarus, uti suprà memoratum est: Quin etiam ad id munus aptus & utilis, Provinciæque conducibilis. Qui Cancellarius, coram præsentibus Nobis, & tribus Ordinibus, ad nostrum, nostræque in commune Provinciæ usum, congruens illi muneri Sacramentum dicet, prout supra capite quodam continetur, commemorans promissa à Consiliariis, Signatore, & Scribis Curiæ tribus Ordinibus facienda. Brabantiæ etiam Secretarii, & rerum clientelarium Scriba, natione Brabanti erunt, salvâ, integrâque potestate nostrâ, constituendi duos Scribas alienigeni sanguinis.

X.

Quicumque publicas functiones habẽt ad Inaugurationis observationem jurejurando se obstringere debent.

Cancellarius, Consiliarii, Secretarii, Præfecti ærarii, Scribæ, Prætores, Vivariorum Præfectus, Saltuarius, omnesque alii, qui in Brabantia eximias præfecturas & munera obibunt: Similiter omnes, qui ruri publicum munus gerent: Consules etiam & Scabini nostrarum civitatum, ac omnes denique, qui nostro, aut clientum nostrorum nomine, jus atque Justitiam administrabunt, per omnia Sacra jurabunt, se quatenus ad quemque attinet, hanc nostram inaugurationem, in omnibus & singulis suis capitibus, servaturos: neque ullo pacto, consilio, aut facto adversus ea quicquam molituros.

XI.

Publicis muneribus adhibiti jurare debent, se munera nõ accepturos, neque ea muneribus se esse consecutos.

Qui nobis à consiliis sunt, omnesque alii nostri ministri, Judices, Consules, Scabini, Consiliarii, Clientes, Judices fundiarii, omnesque alii, qui sententiam rogandi, aut ferendi potestatem habent: denique quicumque per Brabantiam, sive in Civitatibus, sive in municipiis, sive pagis qualicumque officio fungantur, ad unum omnes, cum Sacramentum dicent, simul jurabunt, se, ut cuiquam in judicio prosint, vel obsint, neque pecuniam, aliamvè rem neque munera, neque mercedem, neque aliud quodpiam benefi-

beneficium, neque per ſe, neque per alios accepturos, neque promitti paſſuros: Sed, ſe citrà omnem fucum, aut quæſitum colorem, fide optimâ, unicuique tàm pauperi, quàm diviti æquabiliter jus & juſtitiam adminiſtraturos. Inſuper, ſe ad adipiſcendum Conſulatum, Scabinatum, aut ordinem Senatorium, neque pecuniam, aliamve quamcumque rem, neque munera, neque mercedem, neque miniſterium officiumve, aut dediſſe, aut promiſiſſe, aut obtuliſſe: neque per alium aut dandum, aut promittendum, aut offerendum curaſſe: neque etiam precibus petiviſſe, aut peti curaſſe. Si quis verò adverſum hæc commiſerit, is nunquam in noſtro Conſilio, miniſterio, neque in Magiſtratu, aut adminiſtratione, ſeu regimine noſtrarum Civitatum, Municipiorum, aut pagorum ullo modo eſſe poterit.

X I I.

Limburgum atque ditiones Trans-moſanas à Brabantia ſeparari poſſe.

Ditiones noſtræ Limburgenſis & Trans-moſana, Provinciæ noſtræ Brabantiæ perpetuò nexæ manebunt, neque unquam ab ea divelli poterunt. Reliquas autem noſtras Trans-moſanas Ditiones quam commodiſſimè poterimus redimemus, eaſque diſtractas denuò ad Brabantiam reducemus, neque ab ea deinceps abſtrahemus. Prætereà Brabantiæ etiam nexa & jugata manebit Gravia & Oyen, cum iis, quæ eo pertinent, aliaque quæ ab iis abalienata ſunt. Et peculiariter id agemus, ut dominium Oyen, quamvis modò non ſit ſub manu & poteſtate noſtra, rurſus tamen cum Ditione noſtra Brabantiæ conjungatur, ſicuti anteà fuit, quatenus quidem id jure fieri poterit. Neque ditiones & arces noſtrrs Trans-moſanas, ſimulque quæ ad eas pertinent, ultrà quàm ipſo hoc tempore ſunt, gravabimus, aut implicabimus. Et ſi quando illæ in manum noſtram redierint, continuò idoneis prædibus cis Moſam degentibus, Provinciæ noſtræ Brabantiæ caveri curabimus, arces earum, cum opus erit, ipſi tradendas eſſe, eaſdemque & civitates præſidio Brabantorum, aut indigenarum firmaturos, qui datis cis Moſam Fidejuſſoribus, nobis noſtræque Provinciæ Brabantiæ ſecuritatem præſtabunt, eas nullo modo à Brabantia ſejungendas eſſe. Atque tum quidem Trans-moſanas illas ditiones, arces, & civitates nullo pacto poſthac pignori dabimus aut alienabimus. Cæterùm ſubjectis noſtris Trans-moſanis jus dicemus, juxtà cujuſlibet fori leges & ſtatuta.

X I I I.

De libera Brabātorum ſub conſueto vectigali commeatione &c.

Præſtabimus, ut ſubjecti noſtri Provinciæ Brabantiæ, & ditionum Trans-moſanarum, ſub juſto & æquo vectigali, quietè & tranqui-

tranquillè commeare possint, per Provincias nostras Hollandiam & Zelandiam, omnesque alias, quemadmodùm hactenùs consuevêre. Insuper curabimus, ut iidem nostri subjecti, per quascumque regiones, ultrò citroque commeare possint, soluti & liberi ab omni ære alieno & promissis, quod, quævè Nos, aut Majores nostri contraximus, aut fecimus: aut quæ nos in posterum contrahemus, aut faciemus. Ad hæc civibus civitatis nostræ Sylvæ Ducis confirmavimus & sancivimus, confirmamus & sancimus eas tabulas, quas habent à felicis memoriæ *Ioanne* Duce Brabantiæ, & Domina *Iacoba* Ducissa Bavariæ, quoad merces eorum & res commeantes per Hollandiam & Zelandiam, vectigalis immunes & liberas esse: Jubemusque nostra ea de re diplomata, secundùm argumentum memoratarum, quas habent, tabularum, perfecta confieri. Et quantum ad Geldriam attinet, per eam quoque Provinciam iidem cum mercibus suis, immunes à vectigalibus, ultrò citroque commeabunt, juxtà argumentum codicillorum, quos similiter ea de re habent. Si quis verò nostrorum subjectorum ob debita, promissave nostra, aut decessorum nostrorum prehendatur, damnovè afficiatur, eum liberabimus, omneque damnum resarciemus, secundùm ea, quæ ea de re, editâ Constitutione, Gallicâ vocatâ, continentur.

XIV.

De viis publicis expeditis servandis.

Vias publicas Ditionum nostrarum, prout tenemur, expeditas & liberas, citrà fraudem, servabimus: Ità, ut quisque, sub legitimo vectigali, per eas ultrò citroque commeare possit: prætorquam, si ob nomina, promissaque facta, aut pecuniam multatitiam crimenvè, impediatur.

XV.

De viis publ. & pontibus reficiendis.

Eos, qui prædiorum bonorumvè suorum causâ, vias aliquas, pontes, aut transitus expeditos præstare, obnoxii sunt, compellemus, cõpellendosque curabimus, ut eas vias, pontes & transitus, de tempore in tempus, probè reficiant & instaurent, atque tersos, expeditosque servent. Et si secus fiat, Metropolis, cui viæ eæ, pontes, aut transitus subjacent, reficiendos illos curare poterit, ejus sumptibus & impensis, qui ad id obstrictus erit. Neque in eo, ut neque in ullo vicinalis juris genere, quisquam excusabitur.

XVI.

Vectigalium Collectoribus neque monetariorum sociis in Magistratu esse licet.

Deinceps, ii, qui vectigalia nostra, quocumque loco in Provinciis nostris sita, conducta habebunt, in eove socii erunt, tempore conductionis, aut societatis: similiter & ii, qui in re monetaria

taria consortes erunt, non poterunt in nostrarum civitatum Magistratu, neque constitui, neque legi, neque recipi.

XVII.

Non licet ullos captivos extra Brabantiam duci.

Quicumque in Provincia nostra Brabantia, Trans-mosanavè apprehendetur, eum extra eas Provincias evehendum non curabibmus, neque evehi permittemus.

XVIII.

De moneta cudenda.

Nullum nummum in Provincia nostra feriri & procudi curabimus, nisi de consilio, voluntate & assensu totius Provinciæ: neque is nummus unquam laxari aut imminui poterit. Quod si fiat, vindicare id poterimus in fabricæ monetariæ præfectum, ipsiusque facultates, citrà conniventiam & dilationem. Cudetur autem is nummus in aliqua nostrarum liberarum civitatum, & æstimabitur, secundum ea, quæ in tabulis Gallicis, quondam editis, traduntur.

XIX.

Nothi nullo publico munere in Brabantia fungi possunt.

Quicumque Nothus, aut illegitimo concubitu procreatus est, nostro nomine in Brabantia, neque Prætor, neque Judex esse, neque ullo munere publico fungi poterit.

XX.

De insontibus pugna.

Si in dicta nostra Provincia rixam, aut pugnam suboriri contingat, à tempore rixæ, aut pugnæ viginti quatuor horis, firmâ certaque pace potientur insontes: Et qui intereà adversus eos quicquam commolitus fuerit, pacis violator censebitur.

XXI.

De homicidiis.

Neminem homicidam patriâ donabimus, priusquam cum perempti consanguineis in gratiam redierit.

XXII.

Præfecti ipsi munera sua obibunt.

Quibus deinceps Præturas, aut Præfecturas dabimus; Quosvè Prætores, aut Præfectos constituemus: atque etiam qui in præsenti Præturas, aut Præfecturas habent, aut in posterum habituri sunt, eas ipsi obibunt, neque illas in alium transferre, vendere, neque elocare poterunt. Illi etiam Prætores & Præfecti, qui jus carceris habent, aliique ruri Præfecti, qui, ut jus dicatur, curandi auctoritatem habent, priusquam Præfecturas inibunt, ut privatorum res salva & incolumis sit, in judicio cui deservient, locupletes sponsores dabunt.

XXIII.

Officia neque locari neque pignoris jure mancipari poterunt

Officia Provinciæ nostræ Brabantiæ juridicalia, neque locabuntur, neque pignoris jurè mancipabuntur: sed, ut jam indè antiqui-

antiquitus consuevit, administrabuntur. Et si qua elocentur, locatio irrita, cassa & nullius ponderis erit.

XXIV.

Brabantis aliis alios extra Brabantiam neque in jus vocare, neque ad singulare certamen provocare, licet.

Non patiemur, ut quisquam dictarum nostrarum Provinciarum, alter alterum extra fines Regionis manus injectione sistat, molestet, aut in jus vocet, qualemcumque tandem causam obtendat, nisi illum profugum esse revera constet. Similiter quicumque earundem Provinciarum popularem suum extra easdem Provincias ad singulare certamen provocabit, aut provocari curabit, multam ducentarum selibrarum puri & puti auri incurret; alioquive arbitrio Concilii Brabantici multabitur.

XXV.

Subditum bellum movere, hostibusque Brabantiæ suppetias ferre, noxa capitalis est.

Si quis subjectorum nostrorum, Nobis, aut Provinciis nostris Brabantiæ, Trans-mosanæve, aut indigenis earum, bellum denuntiet, bonave pigneretur: aut deinceps nostris, Provinciarumque Brabantiæ, Limburgicæ, Trans-mosanæve hostibus, sciens suppetias feret, eosve hospitio tectove recipiet, capitis, fortunarumve omnium multam committet: neque eum patrio solo restituere poterimus, absque consensu trium Ordinum ejusdem Provinciæ. Et si nos ei gratiam fecerimus, ea irrita erit, & auctoritatis exsors.

XXVI.

De raptu mulierum.

Si qua mulier, aut virgo, cum ei vitium inferretur, ejulaverit: aut eam invitam per vim constupratam esse liquidò constaret; nihiloque minus, stupratori adhæreat, aut cum eo vivat. Nos ipsius bona mobilia solidè integreque obtinebimus; immobilia verò donec vivet, & post ejus mortem, ad eos, ad quos jure pertinebunt, revertentur. Si autem raptori non cohabitet, nulla nos ipsius bona occupabimus. Raptor verò, omnesque subsidiarii facinoris socii: similiter qui destinatâ voluntate illi in Brabantia opem ferent, hospitio domove recipient, capite & fortunis in perpetuum multabuntur, quatenus multari possunt. Si quis verò impuberem, puerum, puellamve vitiarit, aut seduxerit, ille, quique illi operam præbuerint, citrà spem veniæ, pœnam capitis, omniumque facultatum multam committent: Neque cuiquam suffragabitur in eo clientela D. Petri, civium prærogativa, literæ Scabinales; nec aliud quicquam, quò minus ex Provinciæ legibus cum iis agatur.

XXVII.

Si quis de vulnere, aut homicidio accusabitur, id, antequam convi-

convictus sit, illi fraudi periculove non erit, si judicio præsentem se sistere, & innocentiam purgatione tueri velit. Officialis tamen loci prehendere illum, & carcere detinere, ejusve bona sequestri fidei & custodiæ committere poterit, simulque litem contra eundem prosequi, donec aut condemnetur, aut absolvatur. *Si quis homicidii accusatus, judicio ad se purgandum offerat.*

XXVIII.

Subjecti nostri Brabantini, Trans-mosanique, in omnibus evidentibus infortuniis, quæ quocumque modo, citrà dolum tamen, atque culpam, aut ipsis, aut liberis ipsorum, famulis, aut domesticis evenire poterunt, & mortis causam dabunt, à quacumque pœna & publicatione bonorum exortes & liberi erunt. De quibus infortuniis Judices loci, ad postulationem Officialis, diligenter inquirent, judicabuntque an pro casu fortuito haberi debeant, an non: quodque ita judicabunt, ratum erit. Et si qua culpa deprehendatur, pro modo culpæ, Judices obnoxium, extrà ordinem, punire poterunt. *De domesticis infortuniis.*

XXIX.

Quascumque Civitates, Municipia, Dominia, aut Arces communi bello, aut communi è Provincia nostra Brabantia exercitu subigemus, cuicumque eæ adimentur, ità Brabantiæ accedent, ut restitui nequeant: eædemque iisdem, quibus Brabantia, obnoxiæ erunt, neque sejungi poterunt, quemadmodùm ipsa Brabantia individua est. *Ea quæ bello comparabuntur Brabantiæ annexa fore.*

XXX.

Si quis in Brabantia, aut Ditionibus Trans-mosanis, terminos regundis finibus constitui, postulabit, id, & adversus Nos, & adversus quemvis alium fieri jubebimus. *De cõstituendis terminis.*

XXXI.

Homines S. Petri, quique se clientes S. Petri profitentur, habebuntur, cum iisque agetur, uti de jure eos haberi, atque cum iis agi par est. *De iis qui in sodalitio D. Petri sunt.*

XXXII.

Si duo Laïci inter se contendant de prædiis in Brabantia sitis, & re ad judicium deductâ, alter causâ cadat, resque contentiosa ei abjudicetur: ac tum actionem transferat in Sacerdotem, Clericum, aliumve Ecclesiasticum virum, aut etiam in quenquam alium, quò is, secundum quem judicatum est, extrà Brabantiam molestiis afficiatur, atque divexetur: Aut si quis etiam Brabantiæ incola actionem habens, eam in alium transscribat, ut adversario suo extrà Brabantiam negotium facessat: qui quid eorum *De actionibus in alios non transferendis.*

rum commiserit, multam ducentarum selibrarum auri admittet, alioquivè arbitrio Concilii Brabantici coërcebitur.

XXXIII.

Quisque Satorum suorū contra feras arva sua tueri potest.

Unicuique arva sua tueri, tuendaque curare, atque eò impunè canes, non accisis, aut præsectis unguibus, alere licebit: Et si qua fera à canibus aut lædetur, aut occidetur, ea, ut erit, suo in loco relinquetur: Et si ab aliquorum canibus devoretur, id illis non est futurum fraudi. Poterit etiam impunè quisque per totam Brabantiam lepores, atque vulpes venari, & similiter cuniculos, extrà libera vivaria; atque etiam ubicumque plumoso aucupio, aucupari.

XXXIV.

De venatione.

Deinceps, quicumque Equestris Ordinis, Armigeri, aliique etiam quicumque Oppidani & Brabantiæ incolæ, omnem per Brabantiam impunè venari poterunt, congruo & idoneo tempore, quascumque magnas feras, præterquam in Vivariis, nemoribus & sylvis, dictis *Sonyen*, *Groot-heyst*, *Meerdale*, *& Grootenboute.* Et hoc ut firmum sit, atque stabile, promisimus & juravimus, promittimus & juramus, ut supra, Nos nunquam edicturos, aut prohibituros, aut etiam tributum petituros, aut indicturos, aut ullo pacto fieri passuros, per quæ hæc aliquo modo convelli, aut impediri possent.

XXXV.

Non licet nova vivaria facere.

In posterum in provincia nostra Brabantia nulla erunt, nec habebuntur vivaria, præter ea, quæ ab anno 1366. libera vivaria fuère, quæque tandiu ab iis, à quibus oportebat, clientelari jure obtenta sunt: Ut tamen per horum etiam causam subjecti gravioribus damnis & incommodis non afficiantur.

XXXVI.

De debitis juri sylvatico obnoxiis.

Nulla debita ad nemorale, sylvaticumque jus trahentur, præterquam quæ originem habent ex mercatu lignorum, sylvarumve, ex veteribus Principis nemoribus, aut sylvis, aut ex aliis etiam, quæ jam indè antiquitùs sylvatico juri obnoxia fuère.

XXXVII.

De Baillivio Brabantiæ Gallicanæ, & de Curia Genapiensi.

In regione Brabantiæ Gallicana, erit honesti nominis Prætor, sive Baillivius natione Brabantus; cujus Scriba, ipsique obnoxii officiarii; & similiter Præfecti, & Judices aliarum nostrarum sex magnarum Brabantiæ Præfecturarum, natione quoque Brabanti erunt. Et Curia Genapiana administrabitur, uti jam olim consuevit: Ità, ut cui illic negotium sit, cum eo non agatur extrà juris normam.

Posthac

XXXVIII.

Posthac quoque beneficiariorum nostrorum Officiales, Judices, & Quæstores privatos, oportebit natione esse Brabantos: Neque poterunt munera sua administranda committere peregrinis, cujuscumque etiam gradus, aut ordinis sint. Similiter & Arcium Provinciæ nostræ Brabantiæ Præfecti, natione Brabanti erunt, nisi prædia Baronica, suo, aut dotali jure in Brabantia possideant. *Qualescumque Brabantii Officiales oportet esse Brabantos.*

XXXIX.

Fora judiciaria pagorum *Santhoven & Vccle*, reformata, & in melius restituta, in præsenti statu, ut æquum est, servabimus; & Scabini Ucclenses in Civitate Bruxellensi in assidua erunt functione. *De judiciis pagorum Santhoven & Vccle.*

XL.

Antverpia, & quicquid ad eam pertinere demonstrari poterit, Civitatibus communique Provinciæ Brabantiæ, perpetuò connexa manebit, eo modo, quo illi connexa erat eo tempore, quo ab ea sejungebatur. Pariter Nivella etiam, quemadmodum hactenus, Brabantiæ conjuncta manebit. *Antverpia à Brabantia separari non potest, uti nec Nivella.*

XLI.

Ad Comitia, quæ deinceps indicemus, Ordines Provinciæ nostræ Brabantiæ & Trans-mosanæ, quatuordecim diebus antequam habebuntur, scripto convocabimus; nisi habendi conventus causa, præproperam expeditionem postulet. Ea etiam tam opportuno & commodo in Brabantia loco, habenda curabimus, quo liberè, atque securè venire Ordines, indeque se recipere & reverti possint. Poterit autem unusquisque Præsulum, Baronum, Nobilium, Civitatum, aut municipiorum Provinciæ nostræ Brabantiæ, & Trans-mosanæ, coram Nobis, alibive ubi conveniet, aut simul cum aliis, aut sigillatim, mandata sua proferre, aut proponere, eoque se liberare: neque propterea indignationem, vexationemve, aut nostram, aut cujusquam alterius incurret; neque Nos ideò ullo modo eundem aversabimur: Et si eam ob causam cui uni, aut pluribus eorum, adversè quippiam obveniet, pollicemur in caput ejus, qui id perpetraverit, ipsiusque bona & facultates citrà dilationem vindicaturos. *De Comitiis.*

XLII.

Judicia rerum clientelarium, diesque juridicos eò spectantes, constituemus eo loco, quo Nos in Brabantia sedem figemus, ut quibus iis de rebus lis est, cum testibus, necessariisque instrumen- *De Curia clientelari.*

tis commodè cò venire possint. Et si quando Nos peregrè extrà Brabantiam esse continget, potestatem, authoritatemque dabimus honesto cuipiam viro, sive Præfecto Brabantiæ, sive alteri cuipiam, qui Consiliarius in Brabantia esse possit, qui in nostra absentiâ, & quoad nobis visum fuerit, prædia beneficiaria, fidei ac professionis munere nobis obnoxia suscipiat, observetque clientelarium rerum dies judiciales eo loco, ubi Curia nostra Brabantica in assidua erit functione. Qui in omnibus, quæ prædia clientelaria spectant, facere ea poterit, quæ Nos præsentes facere ipsi possemus, ut tamen nihil aut det, aut remittat.

XLIII.

De Nundinis Civitatis Antverpiensis.

Liberas annuasque Civitatis nostræ Antverpiensis nundinas, per omnes nostras Provincias, dominia & ditiones, terrâ marique, quibuscumque hominibus, & mercibus, liberas & expeditas servabimus, servandasque curabimus. Et si eæ nundinæ, ob aliquas causas, ad modicum tempus, quatuordecim noctium, vel infra, à Prætore, Magistratuque Antverpiensi prorogentur, promittimus prorogatas eas nundinas æquè liberas & tutas servare, atque tenemur principales.

XLIV.

De Nundinis anniversariis Civitatû Bruxellæ, Antverpiæ, & Bergæ ad Zomã.

Neque liberas anniversarias nundinas civitatum nostrarum Bruxellæ, Antverpiæ, Bergævè ad Zomam turbabimus, aut turbari curabimus, legis actione, edictis, aut interdictis: aut etiam pigneratione, manus injectione, istiusmodive diplomatibus, quæ contra libertatem earum concedere possemus: exceptis tamen propriis nostris debitis, simulque jam de re monetaria facto, aut etiamnum faciendo edicto, quod tam intrà easdem nundinas, quàm extrà observari volumus, ut ejus prævaricatores coërceantur & puniantur.

XLV.

De nationibus mercatorum in Flandria.

Nationibus negotiatorum, in Provincia nostra Flandria, stationem habentibus, nulla deinceps privilegia, immunitatesve dabimus, aut concedemus, quæ ullo modo Provinciæ nostræ Brabantiæ, ejusque incolis fraudi detrimentove esse possint.

XLVI.

De libertate commerciorum.

Permittemus & curabimus, ut incolæ Provinciæ nostræ Brabantiæ, placidè & pacificè utantur fruantur suis bonis, quæ in aliis nostris Provinciis, aut ditionibus habent, aut postmodum comparabunt: nihil prohibentibus ullis edictis interdictisve, quæ in contrarium statui possent. Similiter mercatores, & incolæ quarumcum-

rumcumque nostrarum Provinciarum, dominiorum & ditionum, poterunt cum bonis suis & mercibus commeare, frequentare, & mercari, mercesque suas quocumque visum fuerit, sub legitimo vectigali & tributo venales exponere.

XLVII.

Operam dabimus, ut retineantur, maneantque Brabantiæ annexa, atque adeò inseparabiliter in ejusdem potestate, territoria, arces & oppida Heusdenum, & Berga D. Gertrudis, & quicquid ad ea pertinet; dummodò quidem jure, & ex æquo id facere poterimus. Aut saltem illa Provinciæ nostræ Brabantiæ annexa retinebimus, retinendave curabimus, donec pecunia, quæ eorum nomine justè debetur (ob sumptus videlicet in obsidione D. Gertrudis Bergæ, & expugnatione, præsidioque Heusdeno imponendo, aliterve factos, atque ex hoc passa damna) bonâ fide, solidè, integrèque restituatur & solvatur. *Heusdenum & Bergam D. Gertrudis Brabantiæ annexa manere debere.*

XLVIII.

Si contingat Civitates Hollandiæ, Zelandiæque pacta inter ipsas & Brabantos, de pensionibus solvendis, inita, non servare, neque exequi, Provinciæ nostræ Brabantiæ indigenis, quibus ex Civitatibus Hollandiæ, & Zelandiæ pensiones debentur, adversus incolas Hollandiæ, & Zelandiæ, per omnes nostras Provincias, dominia & ditiones, jus strictè administrabimus, administrandumve curabimus, haud secus, quàm in ullis aliis debitis. *De pensionibus, quæ Brabantis debentur à Civitatibus Hollandiæ & Zelandiæ.*

XLIX.

Prætereà Ordinibus Provinciæ nostræ Brabantiæ, & Trans-mosanæ promisimus, & promittimus, ditionem nostram, atque Civitatem Graviensem, cum ditionibus *Cuyck*, *Kessel*, *& Oyen*, (quatenus jure fieri poterit) insolubili nexu Provinciæ nostræ Brabantiæ alligatas, atque unum in corpus conflatas permansuras: atque incolas ejusdem ditionis atque Civitatis Graviensis, cæterarumque ditionum *Cuyck*, *Kessel*, *& Oyen*, ad Concilium nostrum Brabanticum jus provocationis habituros, neque ullo modo ab eo sejungendos. *Graviam, &c. Brabantiæ inseparabiliter annexam debere: atque inde ad Concilium Brabanticū provocari.*

L.

Mercatores cujuscumque Provinciæ, aut gentis sint, peregrini, aut indigenæ, poterunt cum bonis mercibusque suis, sub legitimo vectigali & tributo, liberè atque pacificè ultrò, citròque commeare, frequentare, emere, vendere in Provincia nostra Brabantia, & Trans-mosana, sive in nostris, sive clientum ditionibus, in quibus ipsis videbitur, commodumque erit civitatibus, aut locis: Ità, ut iidem mercatores nullâ restrictione, edicto, *De libertate mercatorum exterorum in Brabantia.*

interdicto, aliove modo, uno magis loco, quàm alio, mercari negotiarive cogi possint. Poterunt item iidem mercatores in dicta nostra Provincia, ubi libet, sibi habitationem assiduam deligere, sumere & tenere; ità, ut in suo illo arbitrio, ob causam stapulæ, atque Privilegium sistendi merces extrarias, nimirum eo loco, quo venum prostituuntur, aliove modo impediri nequeant: ut tamen idipsum non exporrigatur latiùs, quàm ad ea Brabantiæ loca, quæ modò ejusmodi stapulæ prærogativâ potiuntur.

L I.

De Custodia debitorum.

Non feremus, neque fieri permittemus, ut quisquam incolarum Provinciæ nostræ Brabantiæ & Trans-mosanæ, ob civiles causas, in ullis arcibus earundem provinciarum apprehendatur, aut detineatur: Sed in carcere ejus loci asservabitur, ubi comprehensus fuit, nisi fortè eo loco carcer nullus sit: Si tamen ob civiles causas prehensi, quo loco, quomodoque oporteat, judicio sisti, judicatumque solvi caveant, liberabuntur, nisi ob rem judicatam, nostramve pecuniam, aut debita comprehensi sunt.

L I I.

De piscatione in flumine Zenna.

Unusquisque, cujuscumque gradus & conditionis sit, poterit piscari in flumine *Zenna*, quo modo assolet, licitumque erat tempore Atavi nostri, Ducis *Philippi*, cui Deus sit propitius.

L I I I.

De rebus furto ablatis persequendis.

Si quando nostri, clientumve nostrorum Officiales, terrâ marive aliquem comprehenderint, qui cuipiam bona sua, pecuniam, aliave mobilia furto abstulerit, rapuerit, ademerit, aut averterit, isque ea adhuc habeat, aut suo nomine non sint alienata, aut distracta: tùm ea bona in commissi noxam non cadent: Sed Officialis, in cujus manus ille incidit, tenebitur ei, cui furto ablata, aut vi rapta, surrepta, substractave erunt, restituere restituendave curare: Si tamen ille ea sua esse legitimè probet, aut id, quantum par est, appareat. Officiali autem, qui talem comprehenderit, debebit dari consentaneum pretium operæ, arbitrio Magistratus ejus loci, ubi istud continget.

L I V.

De nemine quæstio haberi potest nisi judices loci examinatis indiciis quæstioni adjudicarint.

Nemo deinceps, tametsi nullam cujusquam Civitatis, aliamve prærogativam habeat, modò integræ famæ sit, sive in nostris, sive in Clientum nostrorum ditionibus, prehendi, aut in carcerem rapi poterit, priusquam Officialis loci de suspicione inquisiverit, propter quam illum comprehendere, & in carcerem condere

re velit. Nemo item tormentis ad quæſtionem addici poterit, niſi Officialis, judicibus loci perſcriptas inquiſitionis tabulas exhibuerit, illique reum cruciatibus admovendum, judicaverint, niſi in crimine prærogativi juris, cujus cognitio judicibus Civitatum, agrorumve non competit, ſed Nobis, noſtrove Concilio.

L V.

Deinceps in perpetuum nullis rerum capitalium, aut civilium Præfectis, aliiſve Officialibus, Provinciæ noſtræ Brabantiæ licebit vigore juris tranſcriptitii, aut tabularum poteſtatis gerendi negotii, per ſe, aut per quemvis alium, manus injicere, detinere, aut divexare aliquem Provinciæ noſtræ Brabantiæ indigenam, ejuſque bona, ratione debitorum, quæ Civitates, municipia, aut pagi, ob penſiones in vitam attributas, aut reditus anniverſarios, aliorumve debitorum nomine, debent: Si ſecus faciant, irritum id erit, & ſub quo Domino fiet, ei decem aureorum Andreanorum multam luent.

Officialibus neminem ob debita in ſe tranſcripta aut vi data procurationis in ſua jurisdictione vexare licet.

L V I.

Nullo modo inpoſterum ullæ Abbatiæ, Præſulumque dignitates Provinciæ noſtræ Brabantiæ, beneficiaria fiduciâ, ſive, ut loquuntur in commendam, donabuntur, donarive permittentur: Et nos intentè navabimus operam, ut à Sede Rom. impetretur, obtineaturque reductio annui vectigalis, omnium eorum Monaſteriorum, atque Religioſarum Domuum, quæ eo, aut prægravantur, aut prægravari poſſent, quàm ſuperioribus temporibus pendere ſolent. Ità tamen, ut Antiſtites, Religioſæ Domus, & Monaſteria ſumptus ad impetrandam reductionem neceſſarios, dependant & ſolvant.

Eccleſiaſtica beneficia non poſſe in Commendam dari: & de annui tributi Monaſteriorum remiſſione impetranda.

L V I I.

Cæterum confirmavimus & approbavimus, confirmamus & approbamus omnibus noſtris Præſulibus, Religioſis Domibus, Monaſteriis, Baronibus, Equitibus, Civitatibus, Municipiis, omnibuſque aliis fidelibus noſtris ſubjectis & incolis noſtrarum Provinciarum Brabantiæ & Trans-moſanæ, omnia ipſorum jura, immunitates, Privilegia, tabulas publicas, conſuetudines, uſus, atque inſtituta vetera, quæ habent, quæque ipſis à Majoribus noſtris Ducibus & Duciſſis, data, conceſſa, & conſignata ſunt: ea quoque quæ uſu & conſuetudine recepta, & à majoribus tradita, in uſu retenta ſunt: præcipuè verò literas, fælicis memoriæ, Ducis *Philippi*, Atavi noſtri, tempore inaugurationis ſuæ, tribus Ordinibus conceſſas, eodem die, quo tabulæ inaugurales, editæ.

Confirmatio omnium privilegiorũ & exceptionum renuntiatio.

Simi-

Similiter alios duos codicillos, iisdem Ordinibus ab eodem Atavo nostro tributos: unum anno supra Millesimum, quadringentesimum, quinquagesimo primo, duodecimo Cal. Octobris.: Alterum anno Millesimo, supra quadringentesimum, quinquagesimo septimo, decimo quarto Cal. Decembris editum. Adæquè etiam duas appendices inaugurationi Domini nostri Imperatoris additas: unam Gandavi, pridiè Idus Aprilis, anno supra sesquimillesimum, decimo quinto, post Pascha: Alteram Brugis, sexto Cal. Maii, eodem anno exaratam. Et promittimus pro nobis, hæredibus, posterisve nostris, ea omnia (quatenus observari debent, aut possunt) universè, & singulatim in perpetuum firmiter & incorruptè observare, neque quicquam hisce contrarium committere, aut committi permissuros.

LVIII.

Ad hæc pollicemur pro nobis, hæredibus, posterisve nostris, Nos nunquam adducturos, neque in medium prolaturos, aut adducendum, proferendumque curaturos; Nos ipsis jam dictas immunitates, jura, privilegia, monumenta, consuetudines, usus, & traditiones, quas jam supra confirmavimus, ratasque habuimus, non teneri servare, eò quod ista capita separatim speciatimque illis non donavimus, concessimus, aut spopondimus: quod ipsum nolumus in eo illis obesse, damnumve afferre, aut fraudi esse.

Confirmatio inaugurationis.

Et quandoquidem volumus & cupimus, ut omnia jam dicta capita, concessiones, promissa, confirmationes, & approbationes, sanctè & religiosè observentur, neque unquam labefactentur; omnibus in universum Præsulibus, Monasteriis, & Religiosis dominibus: Baronibus, Equitibus, Civitatibus, Municipiis, & omnibus fidelibus nostris subjectis Provinciarum Brabantiæ, & Transmosanæ incolis, ipsorumque hæredibus & posteris, bonâ fide pro Nobis, hæredibus nostris, & posteris promisimus, tactisque sacro sanctis Evangeliis, corporaliter juravimus, ea omnia post obitum Domini nostri Patris, firmiter & constanter observare, neque ullo modo unquam adversus ea facere, faciendumve curare, aut ut contra fiat permittere.

Solenne Principis jusjurandum.

Et si Nos, hæredes, posterive nostri, hisce contrarium, quocumque modo, aut per Nos, aut per alium quemvis, commiserimus: Consentimus, & concedimus iisdem nostris Antistitibus, Baronibus, Equitibus, Civitatibus, Municipiis, omnibusque aliis nostris jam dictis subjectis, ut Nobis nostrisve hæredibus & posteris, nullum omninò obsequium præstent, neque in re ulla, quâ Nobis opus sit, quamve ab ipsis pete-

petemus, aut rogabimus, pareant, donec, quod ità commissum fuerit, correxerimus, atque in integrum restituerimus, ab eoque prorsus abstinuerimus, destiterimusque. Præterea volumus, decernimus, & declaramus, ut qualescumque Officiales adversum hanc nostram inaugurationem constituti, continuò pro summotis censeantur: Et ut insuper, quicquid deinceps contrà prædicta emoliri, aut attentari poterit, irritum sit, neque pro legitimo, rato, & justo unquam haberi possit. Atque hæc omnia dolo malo, fallaciâ, & fraude seclusis. In quarum rerum fidem, atque perpetuam firmitatem, Nos Imperator, & Princeps prædicti, literas hasce, appensis sigillis nostris, consignavimus. Datum in Civitate nostra Lovaniensi Nonis Junii, Anno Domini supra Sesquimillesimum, quadragesimo nono, Imperii nostri trigesimo, Regni Castiliæ, aliorumque trigesimo quarto. Eratque archetypum consignatum chirographis Caroli, & Philippi; subscriptum Verreyken, & obsignatum sigillis Imperatoris & Principis, ceræ miniatæ impressis, & propendentibus è funiculis auro & atro serico contextis.

ADDITIO PRIMA.

CAROLVS Dei gratiâ Princeps Hispaniarum, &c. Vniversis has literas visuris, aut audituris Salutem. Quandoquidem post varia comitia habita cum tribus Ordinibus, ut nobis in rebus Inaugurationis Provinciæ nostræ Brabantiæ subvenirent, præsertim ad exolvendas centum aureorum millia, quæ dilecto Domino & Avo nostro Imperatori dare promisimus, pro sumptibus & impensis à Majestate sua factis, durante tempore nostræ tutelæ. Ad hæc, ad persolvendum trientem ducentorum & quinquaginta millium aureorum, pro quo fidem obstrinximus Dominæ Elisabethæ *Sorori nostræ, in pactione connubii cum Rege Daniæ. Ac insuper, ad sustentandam dignitatem nostram, aliaq; ingentia & varia onera, quæ dudum sustinuimus, & indies ferenda nobis sunt, in Legatorum missionibus ad varios Reges & Principes, atque in procuranda harum Provinciarum incolumitate: præcipuè verò, ut Provinciam Brabantiæ in securitate, pace, concordia, justitiaq; servemus: peculiari, primaq; nostræ postulationi, spontè ac prolixè concesserint, centum & quinquaginta millia florenorum Rhenensium annuatim, pro triennio, singulos florenos valoris quadraginta grossarum Flandricarum, idq; in tali pecunia, quæ die solutioni præfinitâ, in dicta nostra Provincia erit in*

 usu

usu publico. Propterea notum facimus, quod freti ipsorum fide, & ope, assensum eorum, studiumq; boni consulentes, iisdem tribus Ordinibus ad humiles eorum preces vicissim indulsimus & concessimus per præsentes, pro Nobis, hæredibus, & successoribus nostris Ducibus, & Ducissis Brabantiæ, inter cætera capita sequentia.

I.

PRomittimus in verbo Principis, quod illicò operam dabimus, sicuti jam cœpimus dare, ut pedestres, aliæque militares copiæ, quæ in tractu Lovaniensi, & Sylvæducensi, agunt, à Brabantia discedant; ejusque finibus arcebuntur, aut gratiâ, aut disciplinâ, aut vi, eamque Provinciam ab aliis militum copiis ità protegemus, ut homines villatici nullo damno afficiantur.

II.

Præterea, quod memorata oblatio solvetur Quæstoribus nostris cujusque regionis, incolentibus urbes primarias, videlicet, per sex dies pensionis, pro triennio: quorum primus incurret in festum S. Joannis 1515. alter cedet ad Natale Domini proximè sequens: & sic deinceps annuatim, dicto triennio durante, annis singulis centum & quinquaginta florenorum Rhenensium millia, in nummis usualibus.

III.

Insuper, quod nummi dictæ oblationis cogentur ad normam & regulam præscriptam in instructione collectarum anni primi & quinquagesimi, aliaque condita super exactione tributariæ pecuniæ, sive generatim, sive singulatim. Quod si tamen aliquæ primariarum urbium cum oppidis, municipiis, & pagis suæ jurisdictionis quondam pactæ essent, aut continget pro futuro pacisci super solutione tributorum, ejusmodi pacta & conventa rata & firma erunt.

IV.

Ad hæc, quod intra jam dictum triennium, à memoratis tribus Ordinibus nullum assensum rogationum, subsidiorum, aliorumve onerum, cujuscumque naturæ, & ob quascumque causas petemus aut exigemus: neque fas nobis erit interim memoratas summas antevertere, augere, neque diem solutionis die breviore ullo pacto occupare: dictoque triennio Provinciam Brabantiæ, ejusque incolas ab omni militari hospitia, vexatione, ac bello liberam & immunem servabimus. Quod si contra contingat evenire, consensimus & permisimus illis, ut residuum pecuniarum, quod tunc supererit impendatur in belli sumptus, defensionemque Provinciæ. Cæte-

V.

Cæterùm promisimus tribus Brabantiæ Ordinibus præfatis, vias publicas, itinera tuta & secura reddere, ità ut mercatores cum suis mercibus liberè possint ultrò citroque commeare, neque damnum ullum patiantur.

VI.

Quin etiam, quod cuique Civitati, municipio, & pago Provinciæ nostræ Brabantiæ constituetur, mitteturve sua taxatio, interveniente certissimâ & justissimâ auctoritate, idque sex septimanis ante lapsum diei solutionis, super tributa in familias, quod propositum est, nosque concessimus, ne incolæ præter fas & æquum prægraventur: Neque pigneratio ulla fiet, ratione dictorum tributorum, nisi postquam dictæ sex septimanæ post quemque solutionis diem exierint.

VII.

Ad hoc, quod unaquæque Civitas, Municipium, & Pagus satisfaciet, solvendo virilem suam partem hujus subsidii, die & juxtà taxationem præscriptam, ità ut nemo pro alterius defectu, molestiâ afficiatur.

VIII.

Hoc ampliùs, quod cuique Civitati, Municipio, & Pago, dum ratam suam partem solvent, acceptilatione cavebitur, absque ullo illorum sumptu.

IX.

Ultra quod Quæstores, Præfecti officio publico, vel Censores nullas pecuniæ summas emittere poterunt, nisi distinctè & nominatim exprimant causam ob quam.

X.

Quod omnes contentiones & controversiæ, quæ orientur ratione hujus tributi uti gravioris oneris, aut ex alia quacumque causa, quocumque ea vocabulo indigitetur, nullo discrimine, componentur, expedientur, dirimenturque per proximam Metropolium Brabantiæ, sub qua tales controversiæ nascentur. Ac præterea super aliis capitibus, conditionibus & pactionibus, declaratis, & comprehensis instructione collectarum anni 51. Quæ capita, habitâ ratione singularis studii, quod tres Brabantiæ Ordines nobis exhibuerunt in assensu memorati subsidii, promisimus & spopondimus dictis tribus Ordinibus, promittimus & spondemus, optimâ fide per præsentes, quod confestim curabimus expediri & tradi absque illorum sumptu, pro Nobis, hæredibus,

 poste-

posterisque nostris, quod ea, cæterasque omnes & singulas conditiones præmemoratas integrè & axactè servabimus, & per Cancellarium, Consiliariosque nostros. Quæstorem generalem Brabantiæ, tributariæ pecuniæ modo præfectum aut deinceps præficiendum, omnesque alios ad quos ea res attinet, servari curabimus; quibus id ita exequi mandamus: Neque Nos adversum hæc quicquam faciemus, aut moliemur, fieri, aut moliri permittemus, per Nos, aut alium quempiam ullo pacto: idque fraude, dolovè procul amoto: Præterquam Provinciæ, Urbibusque nostris Brabantiæ, suis privilegiis, juribus, immunitatibus & consuetudinibus semper salvis. In quorum fidem hasce sigillo nostro muniri jussimus. Datum Gandavi pridie Id. Apr. Anno Domini 1515. post Pascha. Subscriptum: Per Dominum Principem in suo Concilio. Subsignatum per Secretarium Haneton.

Altera additio inaugurationis Caroli Imperatoris, à Philippo Hispaniarum Principe jurejurando confirmata.

CAROLUS Dei gratiâ, Princeps Hispaniarum, utriusq; Siciliæ, Hierosolymæ, &c. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, &c. Omnibus qui has literas inspecturi & lecturi sunt, Salutem. Quum chari nostri, delecti Civitatum, Municipiorum, agrorumq; Provinciæ, Ducatusq; nostri Brabantiæ, postquam inaugurati, atque in Dominum ejusdem Provinciæ recepti fuimus, libellum nobis obtulissent, complectentem multas variasq; queremonias & defectus, circà disciplinam civilem & politicam, atque incolumitatem earundem Civitatum, municipiorum, pagorum & incolarum, flagitantes, atque rogantes, ut in eo ipsis de consentaneo remedio prospicere velimus. Nos pronis auribus accipientes supplices earundem Civitatum, municipiorum, pagorum, totiusq; Provinciæ incolarum preces, posteaquam super iisdem queremoniis & defectibus, inquisitione factâ, habitâque sententiâ dilectorum nobis & fidelium Cancellarii, aliorumq; virorum Concilii nostri Brabantici, nec non Curiæ regiarum rationum: auctoritate & consilio nobis dilectorum atque fidelium Cancellarii, aliorumque nobis à Sanctioribus consilis, decrevimus, statuimus & concessimus, decernimus statuimus & concedimus per nostras hasce literas, capita quæ proximè sequuntur

Ac

I.

AC primò quidem, quod nullus mercator in nostra Provincia à vectigalibus eximius, debebit deinceps bonis suis præsens coram adesse, ut sua esse doceat: Sed sufficiet, si pro veteri more, schedam assertoriam, aut ejus loci ubi degit, plenissimæ auctoritatis, ac fidei, de immunitate tabellas mittat.

Vectigalium immunis, cũ bonis suis missis justis testationibus ad publicanos, ipse adesse non debet.

II.

Unicuique Civitati Provinciæ nostræ Brabantiæ, quæ concessione & veniâ nostrâ Majorumvè nostrorum, indictiones aliquas, aut vectigalia ex evectis invectisque mercibus coëgit, aut adhuc spatio aliquot annorum coäctura est: Idem illud beneficium, postquam præstituta dies exierit, in annos duodecim prorogabitur, eâ lege, ut quotannis nobis, pro dicta concessione, pendatur ea pecuniarum summa, quæ nobis juxtà argumentum tabularum, ea de re confectarum, debetur. Quæ tabulæ, quotiescumque Civitates postulabunt, innovabuntur.

De prolongatione vectigalium.

III.

Municipes Provinciæ nostræ Brabantiæ non poterunt in jus pertrahi, aut evocari ad Ecclesiastica tribunalia Episcoporum Leodiensis, aut Cameracensis, extrà fines Brabantiæ sita, sive ob personas suas, sive ob bona sua: dummodò ipsi in Brabantia degant, & bona ibidem sita sint. Sed evocabuntur ad Curias Ecclesiasticas eorundem Episcoporum, in Brabantia constitutas, quandiu quidem illæ in Brabantia existent. Ecclesiastici autem illi judices, de trium dumtaxat causarum speciebus cognoscent, videlicet de testamentis, an ea rata sunt, an irrita; de pactis matrimonialibus; & de bonis Ecclesiasticis humano commercio exemptis.

Brabantus ad tribunalia Ecclesiastica extra Brabantiam evocari non posse. Et de quibus causis Ecclesiastici cognoscant.

IV.

Nemo sub titulo, aut auctoritate diplomatis nostri tutelaris, neque civiliter, neque criminaliter constringi poterit: nisi in tabulis tutelaribus nomina personarum speciatim expressa sint, eædemque tabulæ denunciatæ per aliquem clientum, officialiumve nostrorum: ut tamen in hoc Præsulibus, omnibusque aliis ipsorum jus servetur.

Diplomata tutelaria nemini fraudi esse.

V.

Nullis in posterum privatis personis, cujuscumque gradus, gentis, Provinciæ, aut conditionis sint; aut etiam Civitatibus extrà limites Provinciæ nostræ Brabantiæ sitis, concedentur ulla diplomata induciarum dissolvendi æris alieni, nisi in forma juris,

De diplomatibus prorogatoriis solutionis.

 datisque

datisque in Brabantia sponsoribus, qui rem Creditori tutam præstent: & istiusmodi diplomata non nisi semel concedi poterunt.

VI.

De vagabundis qui se Ægyptios nominant, & chiromantiam & medendi artem mentiuntur.

Errones illi, qui se ex minore Ægypto oriundos venditant, non poterunt deinceps in Provinciam nostram Brabantiam venire, nedum commeare, inibique versari: Sed debebunt se foris continere, sub pœna capitis, & publicatione bonorum, juxtà argumentum quorundam Edictorum nostro nomine olim, voce præconis, promulgatorum.

VII.

Delegati Civitatis nostræ Sylvæ-Ducensis, diruere poterunt collapsas arces, in eadem Civitate quondam exstrui cœptas, in dispendium magis ejusdem, quàm securitatem: Ità tamen, ut lapides, materiesvè earundem arcium in instaurationem munitionemvè ejusdem urbis insumantur.

VIII.

De locis promiscui usus pro vivariis non locandis.

Adversus contentum capitis trigesimi-primi lætæ inaugurationis Regis Castiliæ, Domini nostri parentis, fœlicis memoriæ, non amplius locabuntur vivaria, à promiscuo usu non secreta.

IX.

Varia tributa in viarū refectionem impendi debent.

Vectigal, quod exigitur & penditur pro restauratione viarum, pontium transmeatuumque Provinciæ nostræ Brabantiæ, non in alios usus, quàm in eam restaurationem, insumetur.

X.

De apprehēsione & inquisitione in privatis adibus facienda.

Officiales Civitatum, municipiorum, aut pagorum Provinciæ nostræ Brabantiæ, eorumvè ministri, non poterunt in posterum quemquam domo suâ extrahere, ducere, aut in ea inquisitionem facere, quæcumque tandem causa sit, secus quàm ferant privilegia, consuetudines, ususvè loci, quo id fieri continget: aut etiam aliter, quàm pro jure scripto conveniat, aut licitum sit. Nostris autem Civitatibus Lovanio, Antverpiæ, & Sylvæ-Ducis, ampla ipsarum ea de re privilegia, consuetudines & usus, hactenus observati, servabuntur.

XI.

Pecunia pretio mutato, quomodò solvatur.

Unusquisque, cujuscumque sit ordinis, gradus, aut conditionis, in annuis solutionibus quorumcumque aureorum nummorum, deinceps liberabit se & satisfaciet, si eos solvat eo valore, aut pretio, quo hactenus solvere consuevit: neque majore pretio eos solvere, cogi poterit. Litteræ tamen constitutionis eorundem aureorum nummorum, quatenus ad principales reditus

atti-

attinet, æstimationem & vim suam obtinebunt, nisi sicubi sententia data sit in contrarium: & durabit hoc quidem donec tempus petitæ à Nobis collationis, in Provincia nostra Brabantia, intuitu inaugurationis nostræ, atque receptionis nobis consensæ, decurret. Neque poterunt, tùm nostri, tum Clientum nostrorum census, aut pensitationes annuæ veterum aureorum, argenteorumvè nummorum, trientium, solidorum argenteorum, denariorum, obolorum aliorumvè quomodocumque appellentur, pluris æstimari, quàm quanti nunc sunt, & quotannis solvuntur: & subjecti nostri Brabantiæ ità solvendo, facient satis.

XII.

Deinceps nostri, clientumvè nostrorum Officiales, Judices Civitatum, municipiorum, aut pagorum, Publicani, Teloniique custodes Provinciæ nostræ Brabantiæ, aut eorum in causis Justitiæ, aut collectione ministri, non poterunt eos, qui ipsorum jurisdictionibus, aut officiis obnoxii sunt, molestare de præstandis operis, canibus, ovibus, aliisvè pecoribus alendis: neque à nostris subjectis segetum manipulos, carnes frumentum, aliavè istiusmodi dona capere: neque à nostris subjectis segetam manipulos, carnes, frumentum, aliave istiusmodi dona capere: neque item cauponam exercere, unde iis, qui ipsorum officiis subsunt, aut aliis, qui ipsorum operâ uti debent, detrimenti aliquid, quoquo modo, obveniat. Præterquam quod ab his excipiantur longâ consuetudine visitata jura, emolumenta, salaria, aliæque obventiones, quæ officii ratione Officialibus competunt, quibus contenti omninò esse debebunt, neque quicquam præter ea à quoquam exigere poterunt. Et si quisquam eorundem Officialium adversus hæc peccet, id loco pœnâque competenti vindicabitur.

De concussione.

XIII.

Nulla deinceps Monasteria, Religiosaque Collegia, comparare, aliove modo acquirere poterunt bona hæreditaria in Brabantia sita, sive sint latifundia, sive census, sive reditus prædiatorii, sive pensitationes & proventus annui.

Religiosa collegia, nulla bona immobilia in Brabantia acquirere possunt.

XIV.

Nulla bona soli, sive sint propria & alieno jure soluta, sive clientelaria, siue emphyteutica, sive censui obnoxia, in Provincia nostra Brabantia, Limburgica, aliisvè Trans-mosanis sita, poterunt vendi, cedi, aut transcribi, quacumque etiam de causa, aut quocumque titulo, aut permutari ad usum ullorum Monasteriorũ, Religiosarum domuum, Collegiorum, alteriusvè manus emortuæ: nisi

Nulla immobilia in Brabantia sita, morticinii jure mancipari possunt.

nisi istiusmodi venditiones, cessiones, transcriptiones, aut permutationes fierent nostro, Judicumque metropolium, sub quibus vendenda, cedenda, transcribenda, permutandavè bona sita sunt, permissu & communi assensu. Neque ulli Scabini, Clientes, Judices fundiarii, aliique Judices adesse, aut interesse poterunt, ubi istiusmodi venditiones, cessiones, trãscriptiones, aut permutationes ad manus emortuæ usum fient: Quicumque autem contrà facient, in indignationis nostræ pœnam, & in se libræ auri multam, in nostrum usum citrà tolerantiam, aut dissimulationem pendendam, incident. Et quicquid istiusmodi emoliri, aut attentari poterit, pronuntiavimus, atque pronuntiamus per hasce literas, per se nullius momenti, invalidum, atque irritum, ac pro tali in perpetuum æstimandum, atque habendum esse.

XV.

Bona immobilia per causam hæreditariam testamentariamve aut per donationem, mortiticinii iure effici non posse.

Similiter, neque titulo generalis, aut particularis successionis, neque testamento, aliavè extrema voluntate, neque donatione, sive causâ mortis, sive inter vivos, neque ab intestato etiam, ulla bona immobilia obvenire, succedere, aut conferri poterunt in Monasteria, Cœnobia, Religiosas domos, Collegia, aliasvè manus mortuas. Denuntiantes pariter, quicquid per aliquem è contra fieri, attentarivè contigerit, id nullius esse ponderis, cassum & irritum, ac pro tali perpetim habendum.

XVI.

Brabantiæ præfectus, Tribunus capitalis, Vivariorum Præfectus, Saltuarius, aut alii, non poterunt aliter in nostris Brabantiæ civitatibus quemquam prehendere, aut quicquam exequi, quàm juxtà formulam illis præscriptam & priscum morem usumque, æquum est, licitumque facere. *Denuntiamus igitur*, adeoque jubemus prædicto Cancellario nostro, cæterisque Concilii nostri Brabantici Senatoribus, regiarum rationum Tribunis, Brabantiæ præfecto, Lovaniensi, Bruxellensi, Antverpiensi Prætoribus, Præfecto limitaneo regionis nostræ Riensis, Prætori Sylvæ-Ducensi, omnibusque aliis nostris & Clientum nostrorum Judicibus, Prætoribus, Officiariis, Ministris & subjectis, ad quos id pertinebit, eorumque vicariis & cuique singulatim, quatenus quemque attingit, ut civibus & incolis Civitatum, municipiorum & pagorum Provinciæ nostræ Brabantiæ, & cuique eorum sigillatim, quatenus quemque contingit, procurent, permittant & patiantur hisce nostris gratiis, indultis, & statutis, simulque capitibus, antè memoratis, & iis quæ in illis continentur, tranquillè, pacatè, pleneque uti & frui; ità ut illis in eo è contrario neque

Exequendæ inaugurationis mandatum.

impedi-

„ impedimentum, aut molestiam creent, neque fieri patiantur. „ Quia ita nobis fieri placet. Atque ad fidem faciendam, sigillo no- „ stro hasce consignandas mandavimus, datas Brugis Sexto Cal. „ Maii, anno Domini supra sesquimillesimum, decimo quinto. Su- „ per reflexâ Cæsarei Diplomatis orâ, scriptum erat: Ad mandatum „ Domini Principis in suo Concilio, & Subscriptum Hancton.

Hæc inter cætera cum Princeps solemniter jurasset, aureaque & argentea numismata pro more, in populum sparsisset, ad prandium itum est. Octavo Idus Julii Princeps *Philippus* Bruxellæ etiam principatui initiatur: atque exindè, dum per omnes Belgii Civitates inaugurandi causâ deducitur, eæ officiosâ quadam ambitione inter se concertantes, incredibili apparatu festivissimos triumphos exhibuerunt, publicaque gaudia instaurarunt adeò, ut solos Antverpienses in publica hac congratulatione, supra centenatricena coronatorum aureorum millia expendisse, in commentarios relatum sit. Sicque ab urbium singulis Principatui, solemnibus ceremoniis, insitus, inauguratusque est, ac miro consensu, omniumque studio in ejus verba juratum. Quibus peractis, Princeps *Philippus* cum Regina *Maria* amita sua, regioque comitatu sub finem Octobris Bruxellas reversus est. Instruxerant se Proceres Belgæ & Hispani, Nobilesque non pauci, ut Principi reduci, ludicris decursionibus & certaminibus, feliciter peractam inaugurationem gratularentur, verùm Cæsaris arthritis, quâ is tùm temporis acerbè cruciabatur, ac mors Summi Pontificis *Pauli III.* quæ incidit in 4. Idus Novemb. 1549. triumphalia ac ludicra illa exercitia ad initium usque anni insequentis distulêre. *Obitus Pauli III. Pontif. Max.*

Hoc anno 1550. 7. Idus Februarii in Comitiis Patrum, communibus Cardinalium suffragiis, in defuncti Pontificis *Pauli* locum subrogatur, *Ioannes Maria de Monte*, qui ob gratam Maximi Pontificis Julii II. memoriam (à quo prima suæ gentis incrementa fluxerant) *Iulius III.* appellari voluit. Ad hunc Cæsar, Ludovicum à Zuniga, Alcantaræ Commendatorem; Princeps verò *Philippus* Gomezium à Figueroâ, Oratores legat, qui summum dignitatis apicem ei gratulentur. Intereà cum Cæsar ad sanitatem rediisset, 6. Cal. Martii Princeps *Philippus*, Bruxellæ cum Proceribus Belgis, armatus ex equo in catadromo velitari hastâ, cum Ludovico à Zuniga decurrit, & inter se promiscuè Belgæ & Hispani summâ animorum contentione, pro gloria quique certarunt. 1550. *Succedit Iulius III.*

Tertio Idus Martii, Cæsar ad Ordines Imperii è Belgio literas

 mittit,

Cæsar Comitia indicit Augustæ Vindelicorum.

mittit, quibus significabat sibi decretum fuisse, superiori anno in Germaniam redire, sed majorem ejus partem rebus Belgii ordinandis, & filio accipiendo insumptam: Tum & impeditum adversâ valetudine, & morte quoque Summi Pontificis. Decrevisse idcircò Imperii conventum habere Augustæ Vindelicorum ad 7. Cal. Julii, quibus ut omnes frequentesque intersint, & rogat, & jubet, nisi sonticâ fortasse causâ impediantur; cujus tamen rationem reddere teneantur. Et ea, si esse ejusmodi comperiatur, ne qua mora deliberationi interponatur, legatos saltem cum mandatis de rebus omnibus, quæ ad Rempub. pertinebunt, mittant.

Edictum Cæsaris ut orthodoxa religio sarta tecta servetur.

Antequam Cæsar è Belgio in Germaniam contenderet, tertio Cal. Maii edictum gravissimum per universum Belgium promulgari jubet in eos, qui alio cultu adorandum numen, quærendumque æternæ salutis mysterium arbitrabantur, his inter cætera verbis: Tametsi id operam semper dedimus, ut nostros intrà fines, „ vera & orthodoxa religio sarta tecta servaretur:& qui multis nunc „ annis disseminati sunt per orbem Christianum errores, hæreses, „ atque sectæ funditùs tollerentur, eamque in rem plurima edicta „ nostra facta, ac vulgata fuerint, pœnæque isti rei decretæ, ter- „ rere hominum animos debuissent, quò minùs in iisdem erroribus „ perseverarent: tamen cum magno animi dolore accepimus, non „ nostræ solum ditionis homines, verùm exteros etiam, qui no- „ stris in provinciis habitant, atque negotiantur, hujus mali con- „ tagionem longè latèque, in promiscuam multitudinem diffunde- „ re, sic ut planè sit opus acrem aliquam adhibere medicinam, & „ in fontes diligenter inquirere, ut ea pestis stirpitùs evellatur, præ- „ sertim cum sit omnium oculis expositum, quas turbas, atque se- „ ditiones in vicinis populis ea labes excitârit, ut interim de salutis „ & animarum dispendio nihil dicamus. Itaque de consilio charissi- „ mæ sororis Germanæ, & reliquorum Procerum statuimus & edi- „ cimus. Primùm, ne quis typis excudat, divendat, distrahat, „ emat, aut domi habeat libros à Martino Luthero, Joanne Oeco- „ lampadio, Hulrico Zuinglio, M. Bucero, Calvino, aut illius se- „ ctæ asseclis & fautoribus, annis abhinc triginta, incertis aucto- „ ribus, editis, qui Lovaniensium Theologorum indice continen- „ tur. Ne quis domum suam occultis conventibus aperiat, in quibus „ & disseminari errores solent, & conspirationes in Ecclesiam & „ Rempub. conflari. Ne quis de S. Scriptura privatim, aut publicè „ disputet, aut ejus interpretationem sibi sumat: Ne quis ullam „ habeat picturam atque imaginem, fictam in ludibrium D. Vir- „ ginis

Pœna decreta in transgressores.

„ginis, atque Sanctorum, neve dejiciat, aut comminuat ullam „imaginem in honorem alicujus Divi depictam. Qui secus fecerint, „punientur ut seditiosi & publicæ tranquillitatis perturbatores. Ad „hæc testamenti faciendi potestatem nullam habebunt, & quicquid „ejus rei fecerint, à quo primùm tempore has Edicti nostri leges „violare cœperint, irritum esse jubemus. Præterea, ne quis ho„spitium præbeat, aut ullâ re subveniat iis, quos de hæresi novit „suspectos; verùm denuntiet confestim loci Præfecto, aut Pro„curatori publico, ni faciat, eandem quam illi pœnam luet.

Quo edicto, cùm ansa esset data calumniatoribus intendendi in omnes falsa crimina, hinc factum est, ut qui negotiandi causâ magno numero quotidie in Belgium confluebant, ut Angli inter cæteros, indè sensim demigrarent. Quod ubi magno suo dispendio fieri animadverteret Senatus Antverpiensis, Edicti asperitatem deprecatus est apud *Mariam* Reginam, quæ Cæsaris nomine Belgio præsidebat, evicitque tandem, ut decretum illud, donec de re tota ad Cæsarem referretur, cohiberetur. *Maria* igitur ipsa, ea de causa Augustam ad Cæsarem contendit, & ægrè tandem à fratre impetravit Edicti temperamentum, in hunc videlicet sensum: De„claramus, nostram intentionem nequaquam fuisse (ut quidam in„terpretantur) negotiationes, legitimosque contractus ullâ ratione „impedire, aut quod tales non possint de suis bonis disponere se„cundùm jus scriptum, & consuetudinarium locorum; sed benè ad „impediendum, quod illi deceptoriè vellent facere in fraudem Edi„cti, ad evadendas pœnas in eo decretas.

Temperamentum ejusdem Edicti.

Julii mensis die 26. Cæsar Comitia auspicatur Augustæ. Ibi de continuando Tridentino Concilio, de servando Augustæ facto decreto, de perduellibus compescendis, de jurisdictione constituenda, de bonorum sacrorum belli tempore usurpatorum restitutione actitatum. Adfuêre Moguntinus, & Trevirensis Septemviri: Ex Principibus Gulielmus Bojarius, & Henricus Brunsuicensis. Item Prussiæ magister, & Episcopus Herbipolensis, Augustanus, Tridentinus, Constantiensis, Eisstetensis, Cameracensis, & Mersburgensis. Cæteri Principes legatos suos misêre. Ac Mauritius quidem Saxoniæ Septemvir, qui anteà Cæsari se submiserat, ad hunc Conventum mittit Legatos, per quos significat, haud aliter se probaturum Concilium Tridentinum, nisi etiam Augustanæ confessionis Theologi habeant liberam definiendi potestatem, & Pontifex summi Præsidis munere cedat.

Comitia Augustana.

Sub exitum mensis Augusti, Nicolaus Perenotus, Granuellæ

Obitus Nicolai Perenot ti ei succedit Antonius filius. Dominus, qui jam totos viginti annos apud Cæsarem obtinuerat dignitatis locum, senio, laboribusque exhaustus, magno Cæsaris dolore è vivis ibidem Augustæ migrat, succedente patri Antonio filio, tum temporis Atrebatensium Antistite, posteà verò Mechliniensi Archiepiscopo & Cardinale. Valebat is quoque, ob exactam rerum agendarum solertiam, gratiâ & auctoritate apud Cæsarem. Eâdemque gratiâ posteà floruit apud *Philippum*, Cæsaris filium, ob egregias dotes, multamque in rebus dexteritatem.

Obsidio Magdeburgensis. Ea inter, cùm Magdeburgenses, præfractâ audaciâ in rebellione persisterent, Georgio Duci Magnopolensi negotium Cæsar dat cogendi exercitus, urbisque obsidendæ. Magdeburgenses, præsidio, ac civibus eductis, junctaque agrestium hominum cõfusâ multitudine, Duci instructâ acie obviam progrediuntur, atque per horam fortiter pugnantes, non sine multorum cæde vincuntur: Capti sunt plurimi, & tormenta, currus, & instrumenta militaria omnia in Ducis Georgii potestatẽ venêre. Eâ de Magdeburgicis partâ victoriâ, Principes, qui Augustæ convenerant, pro eis apud Cæsarem deprecatores intercedunt Præscribit Cæsar conditiones, quibus cum eis paciscendum censet, sed eas admittere recusant. Quare jussu Cæsaris, Duci Georgio se jungunt Mauritius Saxo, & Brandeburgicus Septemviri, cum Alberto patruele, & Henrico Brunsuicensi; & Mauritius rerum summæ præficitur, ac circiter Nonas Octob. ad Magdeburgum castra locant. In Augustanis hisce Comitiis, multùm fertur Carolus Cæsar egisse cum Ferdinando fratre, de filio *Philippo* sibi subrogando. Sed nihil ea in re effici potuit: Cur autem Ferdinandus in eo Cæsari non acquieverit, non est privatorum arcana Principum consilia scrutari.

Finitis Comitiis, postquam dierum aliquot ludrico peditum, equitumque decursu Augustæ inter se Principes certassent, ad sua quisque revertitur. Princeps *Philippus* cum patruele Maximiliano Tridentum pergit, indè Mantuam, Mediolanum, tandemque Genuam; ubi conscensis Andreæ Auriæ triremibus, Barcinonam in Hispaniam tertio Idus Julii appellit, terrestrique itinere, salvi utrique, Madriliam perveniunt. *Philippus Hispan. Princeps revertitur in Hispaniam.*

Interea sub Idus Novembris *Iulius Pontifex*, qui Paulo III. successerat, rogatu Cæsaris, translatum Bononiam Anno 1547. Concilium revocari Tridentum, ibique instaurari ad Cal. Maii Anno 1551. & continuato ordine peragi jussit. De qua re, die octavo Cal. Decemb. Anno 1550. ab ipso Pontifice, admirabili eloquentiæ gravitate, diploma compositum, in Conventu, qui Augustæ Vindelicorum agebatur, publicatum fuit. Quod Julius

Ter-

Tertius quum Carolo Cæsari, id præcupienti, mitteret, eodem se iturum, si per ætatem, quæ sexaginta quinque annorum erat, sibi liceret, aut Legatos confestim mandaturum, promisit.

Septemvir intereà Mauritius, obsidium Magdeburgicum acriter urget, multaque illis clade illatâ, novam urbem (est enim urbs ipsa tripartita) multis cæsis civibus, occupat: ac cum Marchione Brandeburgico instat apud Cæsarem de dimittendo Lantgravio Hassiæ, socero suo: Respondet Cæsar, non ipsum modò, sed & filios ejus, & Consiliarios ità se gerere; ut nondum possit in libertatem restitui. Inter hæc Hessus captivitatis pertæsus, consilia fugæ, cum suis ex Hassia evocatis, init. Hi toto itinere, ab Hassiæ finibus, Mechliniam usque, celeres disposuerant equos, & jam parùm aberat, quin res prosperos haberet successus: sed ad Hispani Præfecti notitiam perlata, in ipso fugæ momento, duo ex Lantgravianis confodiuntur, & ipse Lantgravius arctiori custodiæ mandatur. *Hessus meditatur fugam.*

Anno 1551. Julius Pontifex, ad extinguenda bellorum incendia, revocato Ursino, quem Paulus III. Parmæ dominatui præfecerat, urbem Duci Octavio Farnesio concessit, eâ lege, ut se inconsulto, nullum intra eandem externi Principis præsidium admitteret. Id ut faciliùs præstare posset, ac se, & urbem ab insidiis tueri, singulis mensibus, duo aureorum millia Pontifex attribuit. Exindè Octavius diffidens se, invito Cæsare, (quanquam ductâ Margaritâ ejus esset gener) eam tueri posse, Julium Pontificem, per fratrem Card. Farnesium rogaverat, ut aut sibi menstrua stipendia augeret & confirmaret, aut Principis alicujus amicitiam sequi permitteret, cujus ope, initæ societatis jure, contra Cæsarem adjutus, Parmam sibi creditam defenderet. Pontifex, aut re non benè intellectâ, aut malè perpensâ, ex tempore Cardinali respondit, ut quâ posset Dux ratione, commodiùs rebus suis prospiceret, Hoc accepto responso, ac si plenam Julius facultatem fecisset, *Henrico* Galliæ Regi Octavius adhæsit, & Gallorum copias in urbis præsidium recepit. Hujus occasione belli, alia ex aliis inter Carolum Cæsarem, Henricum Gallorum Regem, & Mauritium Saxonum Ducem, bellorum semina prodierunt. Nam Pontifex Cæsaris, tanquam defensoris Ecclesiæ, opem imploravit contrà Farnesium, nec eam Cæsar abnuere potuit, quod Parma esset feudum Ecclesiæ. *Henricus*, ut Cæsaris vires, toti Europæ formidabiles, frangeret, aliquot Germaniæ Principes, & ipsum præcipuè Mauritium, ut à Cæsare deficerent, sollicitabat. Eam ob causam, nec non Philippi Hassiæ Lantgravii, soceri sui, *1551.* *Octavius Farnesius præsidiū Gallicum Parmæ admittit.* *Mauritius Septemvir cū Gallo fœdus init.*

 diutino

diutino carcere, provocatus Mauritius, cum Gallo fœdus ferit, eam gratiam Cæsari, qui haud ita pridem in eum Saxoniam contulerat, rependens. Cogebantur interim in Italia à Pontificiis, Cæsarianis & Gallis, summa cum diligentia veteres, novæque copiæ. Parmam Cæsarianis copiis Gonzaga obsidet, Mirandulam Pontificiis Cardinalis Montanus. Porrò id bellum nullo facinore magno inclaruit; cùm enim Franci, penuriâ militum, arcibus se continerent, tentata hinc indè plurima; pauca patrata. Unus hujus belli partus, quod tandem Henricus Cæsari bellum indixit.

Bellum Italicum.

Causa belli inter Cæsarem & Henricum II. Galliæ Regē.

Dum hæc in Italiâ geruntur, Gallus naves aliquot Belgicas capit & diripit. Viginti & duæ erant onerariæ, multis mercibus onustæ, quæ fretæ induciis, è Belgio tendebant in Hispanias. Ejus rei per navem speculatoriam certior factus Palinus Gallus, adnavigat ad naves, ait: se vehere Reginam Scotiæ, orat, ut recepto nautico more, congratulationis & honoris causâ tormenta omnia displodant. Faciunt id nimium creduli, & ecce repentè ille in exarmatas naves impetum facit, & novem dumtaxat evadentibus, reliquas cum mercibus, quarum pretium, quingenties mille aureis scutatis, æstimaretur, Rotomagum avexit.

Tum & libelli utrimque in publicum editi, quibus alter alteri violati pacis fœderis causas affingebat. Incusabat Cæsar Regem, quod Concilium Tridentinum interturbaret, quod amicitiam cum Turca aleret, quod Protestantes, urbesque Germaniæ in suum fœdus alliceret, quod naves Belgicas nusquam indicto bello, diripuisset & spoliasset. Reponebat Henricus, Andelotium missum in Angliam, ac persequentibus eum Flandrorum navibus, ægrè evasisse, eundem modo cum Cipetra captum, Mediolani teneri: Flandros ipsos, *Mariæ* Scotiæ Reginæ insidias posuisse, mercatores Francos à Belgis direptos, tùm inter navigandum, tùm in ipso portuum asylo: *Mariam* Belgii Gubernatricem, Legatum Francicum, expostulantem injuriam, in arcem conjecisse. Cæsarem in Germaniæ Comitiis crebrò dixisse, profligandam Franciam, & subjiciendam Imperio, & ea quidem ultrò citròque proposita, tanti momenti non erant, ut Principes in bellum prorueerent, nisi Henrici insanabile odium adversus Cæsarem, Italiæ recuperandæ cupiditas, æstus ultionis, ac belli ardor juvenilis, animum corrupisset.

Magdeburgum in Cæsaris potestatem redactū.

Novembri mense, Magdeburgenses longa jam obsidione pressi, cum Mauritio Septem-viro Saxone, his legibus pasciscuntur: Supplices à Cæsare veniam rebellionis petant. In Austriacam, & Bur-

„ gundicam familiam nihil moliantur: Cameræ Imperii judicio se „ submittant: Postremò Augustano decreto pareant: Urbis muni- „ tiones è Cæsaris arbitrio diruant: Cæsaris præsidia omni tempore „ admittant: Aureorum quinquaginta millia persolvant in usum fisci „ pro belli sumptu: Tormenta majora duodecim Cæsari tradant. Postero die Mauritius Magdeburgum in Cæsaris, Imperii, & suam fidem adigit, & relicto in urbe præsidio, abscedit.

Sub initium Decembris Mauritius Septemvir, Brandeburgicus, multique alii Principes, partim per literas, partim per Legatos Cæsarem pro Lantgravio rursus deprecantur. Cæsar, qui ignarus erat fœderis, Mauritium inter & Regem Gallorum, percussi, respondit: rem majoris esse momenti, & quæ maturâ deliberatione, & inprimis Mauritii, qui propediem venturus sit, præsentiâ egeat; itaque eò usque velle differre: licere interim ipsis domum reverti ad suos Principes, eisque suo nomine renuntiare, facturum se, ut intelligant, eorum deprecationes apud se pondus habuisse. Ità Mauritius, quia sua consilia mirificè celârat, hoc Cæsaris non incommodo accepto responso, statim ad bellum gerendum animum adjicit, tempusque anni idoneum opperitur. Nec mora, copias omnes, tàm quæ Magdeburgum obsederant, quàm quæ propugnaverant, per Thuringiam, hyemandi specie, distribuit.

Anno 1552. Cum Mauritii copiæ in effrenatam licentiam effusæ, multa hinc indè, præsertim Ecclesiasticis, & in iis Moguntino Episcopo, damna inferrent, & rei causam Cæsar ex Mauritio requireret, ille ob non soluta stipendia, militem tumultuari, respondit: & ut omnem suspicionem expurgaret, omne studium Cæsari, qui Oeniponte erat, per literas & Legatos pollicetur. Atque ita scelerato dolo, eluso Cæsare, delectus habere cœpit, & vulgato scripto apologetico, facti sui rationem reddit: nempe, arma sumpta pro vindiciis libertatis Germanicæ, proque tuenda religione: Hessum quoque, Socerum suum, cavillatoriâ fraude, totos jam quinque annos carceri mancipatum teneri; & licet ejus emittendi fides sæpiùs data sit, nondum tamen eam exolvi, sed exquisitis ludificationibus, diem ex die trahi, non sine magna honoris sui & existimationis jacturâ: nullius præterea Ordinis, Principis, ac nec ipsorum quidem Septem-virorum rationem haberi: Principes verò exteros, qui ex fœdere Germaniæ conjuncti sunt, à publicis conventibus longè arceri, haud alio fine, quàm ut missâ in vincula & duram servitutem Germaniâ, exurgat tan dem

1552.

Mauritius Septem-vir contra Cæsarem armat.

dem Europæ Monarchia. His & ejuſmodi rationibus ſe, & fœderatos excitatos, ut fœdus cum Gallo, pro Religione, proque Heſſi, & Saxonis libertate, ac communi denique ſalute cierent. Gallicæ quoque Rex ſcriptum, populari linguâ, typis excuſum vulgat, quod in fronte præferebat pileum inter duos pugiones. Subtus erat titulus Regis, qui ſe libertatis Germaniæ, & Principum captivorum vindicem nuncupabat.

Concilium Tridentinum ſolutum. Intereà, qui Tridenti erant, Moguntinus, Colonienſis, ac Trevirenſis Septem-viri, reliquique Concilii Patres, exiſtimantes tutum non eſſe, cum armato milite, de religione diſceptare, domum abeunt: ac ità tot Cæſaris egregii conatus, tot ſumptus, & labores, eo importuno bello perierunt.

Mauritius varias urbes occupat Indè Mauritius, ad illas, quæ per Thuringiam hybernabant copias, contendit, quibus, cùm Wilhelmus Heſſi filius, & Albertus Brandeburgicus, ſuas quoque junxiſſent, Rotenburgum, Dingeſpulum, Norlingam, Donaverdam, Auguſtam, aliaſque Germaniæ urbes occupant, Magiſtratus à Cæſare inſtitutos, abrogant, novis in eorum locis ſuffectis: nec hoc contenti, pecuniam denique imperant, & in uſum belli tormenta exigunt. Et hoc erat Germaniæ reſtituere libertatem. *Gallus Tullum, Metim & Verdunũ ſub jugum mittit.* Interim Galliæ Rex cum maximis copiis Tullum, Metim, & Verdunum, urbes Imperii, ſub jugum Franciæ mittit. Simul in Lotharingiam penetrat, & provinciam totam in ſuas partes traducit; Ducem Carolum, puerum novem annorum, in Gallias mittit, cum Delphino inſtituendum, Chriſtinâ matre, quæ Cæſaris ex ſorore neptis, in Flandriam faceſſere juſsâ. Ita Rex Galliæ, qui ſe libertatis Germanicæ vindicem ſcribebat, adjutus Germanorum auxiliis, brevi admodùm tempore ab Imperio tres avulſit Epiſcopatus. Indè Rex luſtrato exercitu, quem conflabant peditum triginta ſex millia, equitum ſena, Argentinenſes tentat, de tranſitu permittendo. Illi Metenſium exemplo edocti, tranſitum pernegant. Inter hæc Mauritius cum ſociis, ſex diebus Ulmam, munitiſſimum Sueviæ oppidum, fruſtrà oppugnat. *Agitur de pace.* Exindè convenitur Lincii, quod eſt Ferdinandi Regis oppidum, Danubio adſitum, atque ibi cum Ferdinando Mauritius de pacis conditionibus agit, nec Cæſaris Legati, ſe difficiles præbent, modò diſcedatur ab armis. Quibus, cùm reſpondiſſet Mauritius: non licere ſibi quidquam inconſultis ſociis ſtatuere, utrimque diſceſſum eſt, indicto rurſus in 7. Cal. Junias conventu Paſſavii. Ubi rediiſſet ad ſocios Mauritius, poſtridie recenſetur exercitus. Menſe Aprili Cæſar copias tumultuarias,

rias iuxtà Rutam oppidum, ad Alpium radices ſitum, cogit. Mauritius per exploratores edoctus, hoſtem montium clauſtra & anguſtias inſidere, delectos ex omni exercitu mittit, qui velitando, hoſtem laceſſerent: Ipſe poſtridie cum omni peditatu ſubſequitur, in Cæſarianos impreſſionem facit, caſtris exuit, ac nullo ferè negotio profligat. Tùm ſucceſſum urget, & ad arcem Ereburgam, prærupto undique ſaxo impoſitam, copias ducit, improboque militum labore, in proximos colles evadens, arcemque tormentis quatiens, præſidiarios ad deditionem adigit, captis novem ex XIII. cohortibus, cæteris per avia, & quà poterant, dilapſis. Hinc eâdem uſus celeritate, exercitum Oenipontem, ubi tùm Cæſar erat, ducit, qui ubi de capto Ereburgo, ac improviſo Mauritii adventu cognovit, intempeſtâ nocte, & cœlo pluvio, lecticâ vectus ad tædarum lumen, cum fratre Ferdinando, cæteroque aulico comitatu, Oeniponte diſcedit, relictâ impedimentorum magnâ parte, ac Villacum, quod eſt in Carinthia oppidum, ad Dravum flumen, in Fori Julii, & Norici finibus, feſtinabundus contendit. Paulò ante quàm diſcederet, Saxoni captivo libertatem reſtituerat, poſt quintum à captivitate annum; at ille Cæſarem eo rerum ſtatu deſerere noluit, ſed ſummâ cum fide abeuntem ſecutus eſt. Vix Cæſar abierat, cùm Mauritius adeſt cum ſuis, ingreſſuſque Oenipontem, res omnes Cæſaris, Antiſtitis Auguſtani, & eorum qui hos ſequebantur, militi diripiendas concedit, rebus Ferdinandi Rom. Regis, ac civium nihil læſis, quod induciæ Lincii cum eodem initæ, nondum exierant.

Mauritius Cæſarianos profligat.

Saxo libertati redditur.

Quæ dum in Germania à fœderatis geruntur, Regina Maria, Belgio præfecta, haud levibus ſollicitudinibus urgebatur, ut fratri Cæſari opem ferret. Idcircò Aquiſgrani convocatis vicinis Principibus, Imperio, ac veteri religioni ſtudioſis, fœdus cum iis contra religionis Catholicæ, Cæſariſque hoſtes init. Intereà, ut erat condictum, Mauritiani cum Cæſarianis menſe Julio Paſſavii de pace cœperunt agere; Et Rex quidem Romanorum Paſſavio ad Cæſarem, ab eoque, Paſſavium ultrò citròque commeans, Cæſariſque reſponſa referens, tandem pridie Cal. Auguſti, pacem inter „ eos pepigit, his legibus: Confœderati Principes ante duodeci„ mum Auguſti diem ab armis diſcedunto, copiaſque dimittunto: „ Ad duodecimum Auguſti, Philippus Haſſiæ Lantgravius, in „ ſua ad Rhenum arce Rynefeldia liber conſtituitor, cum priùs „ Cæſari de implendis conditionibus, tempore captivitatis pactis, „ caverit; quam in rem Mauritius, Brandeburgiuſque Septem-viri,

Pax inita inter Ferdinandum Rom. Regem, & Mauritium.

„ac Wolfangus Biponti Dux, fidem interponunto. Post sextum „mensem, in convocatis à Cæsare Comitiis, de pace Religionis „agitor; intereà omnes ac singuli pacem colunto. Ad Cameræ ju„dicium Protestantes etiam admittuntor. Confœderati Principes „fœderi inter se icto, Francicoque renuntianto. Qui hoc bello „damnum accepêre, litem ea de causa non movento, sed proximis „Comitiis eorum rationem habento: Proscripti, modò nil novi „contra Cæsarem, nec Imperium commiserint, Francoque mili„tantes, intrà tres menses, eo deserto, domum redeuntes, in gra„tiam recipiuntor. Albertus Brandeburgicus, si ab armis, ante „dictum diem, dimissis copiis, discedat, hâc pace comprehendi„tor. Qui has pacis leges violarit, hostis Imperii esto. Hæc à Cæsare, Rom. Rege, Mauritio, ac Principibus confœderatis sunt subsignata. Albertus Brandeburgicus subscribere detrectavit: & bellicum canere pergens, Noribergensium agros immaniter vastat, populatur, & exurit. Bambergensis Episcopus, durissimis conditionibus pacem ab eo redimit. Uniciburgicus aureorum millia ducenta numerare cogitur, & prætereà ejus debita luere, quæ erant circiter trecenta, quinquaginta aureorum millia. Hoc successu fretus pergit, Moguntinum, Trevirensem, & alios per Germaniam, multis illatis damnis, affligere. Wormatiam, & Spiram occupat. Mauritius pace cum Cæsare conciliatâ, exercitus sui partem in Hungariam Rom. Regi contra Turcas in auxilium misit.

Albertus Brandeburgicus Germaniam vastat populationibusq; grassatur.

Inter hæc, cùm Rex Galliæ juxtà Argentoratum castra haberet, veniunt ad eum ab Imperii Principibus Oratores, qui Regem, post plurimas gratias, rogant, ne pergat ulteriùs, susceptam expeditionem libertatis Germanicæ causâ, eam propemodum jam comparatam; nec ipsi injucundum fore, si icto fœdere à Cæsare impetrent, quod multis periculis armorum ope vix conficeretur. Rex, tametsi hac oratione attonitus, tamen sensu animi dissimulato, reditum in Gallias parat. Movitque eum, præter cætera, quod *Martinus Rossemius*, ferro & flammâ Campaniam evastando, Estainæum, munitum ad Mosam oppidum, cepisset.

Rossemius Campaniam evastat, plurima oppida capit & terrorem latè spargit.

Rex haud multò post Lucemburgensem ditionem invadit, populationibus, & incendiis vicissim grassatur. Danvillerium, & posteà Juosium ab eodem vi captum & direptum. At intereà, cum Rensio Rossemius aliò arma vertens, Picardos omni cladis genere afflixit, captis, incensisque Novioduno, Nessa, Chaunio, Roja, Follembrana, Regia, aliisque ejusdem tractus non ignobilibus oppidis: Ac ultimò tandem Lutetianis tantum incussit metum, ut

de

de defendenda urbe prorsus desperarent, nulliusque imperio sisti à fuga possent. Interim dum Rex duce Vendomio partem sui exercitus in Picardiam mittit ad hostes retundendos, Antonius Croius, Rutii Comes, & Rossemius, oppidum arcemque Hesdinensem, exeunte sine tormentis, & impedimentis Jenlisio, ac Ransa cum præsidiariis, in suam potestatem redegêre.

Regresso è Germania Gallo, Cæsar Villaco Oenipontem reversus, decimo tertio Cal. Septembris Augustam proficiscitur, Senatum à Principibus institutum, abrogat, & priorem, quem ipse creârat, restituit. Advenerant jam cohortes Germanorum, Bohemorum, Italorum, & Hispanorum, quæ recenter cum Duce Albano, sub initium Julii, Genuam appulerant, quæ justum conflabant exercitum. Hoc etiam tempore, Senensis populus, ad Henricum Gallorum Regem, urbe & arce pulsis Hispanorum præsidiis, defecit: quod à Didaco Hurtado Mendozio, in ea civitate Procuratore Cæsaris, arx ædificari cœpta fuisset, ut faciliùs Senenses in officio & obsequio continerentur. Intereà Cæsar decimo septimo Cal. Octobris cum omnibus copiis Argentinam venit, sed non nisi cum paucis urbem ingressus, sumptoque illic prandio, rursus egreditur. Inde Haganoam contendit, ac tandem undecimo Cal. Novembris, jam appetente hyeme, alieno tempore, castra ad Metim figit, Duce Albano exercitus Legato dicto, dùm ipse vexatus podagrâ, Thionvillæ subsistit. Urbem propugnabat Franciscus Dux Guisius: Præsidium conflabant tria equitum millia, quâ gravis armaturæ, quâ levis, & octo peditum millia. Agebat hoc tempore haud procul Pontmussonio Albertus Marchio Brandeburgicus, cum quinquaginta peditum signis, ac valido equitatu; qui cùm non posset cum Galliæ Rege de stipendio convenire, Procerum Germaniæ precibus, cum Cæsare redit in gratiam. Aumalius Guisii Principis frater, cognitâ ejus à Rege defectione, cùm jam ei legionem unam peditum, cui Rifebergus præerat, Galli detraxissent, cum quatuor equitum millibus in eum invehitur: Sed Albertus, licet longè pauciores haberet equites, magnâ vi Gallorum impetum sustinet & frangit, multos cædit, Aumalium ipsum capit, & in Germaniam custodiendum mittit: moxque ad Metim se cum Cæsaris exercitu conjungit. Duodecimo Cal. Decembris Cæsar Thionvilla in castra lecticâ vehitur, & candido equo ad ea inspicienda inscenso, lustrat singulas stationes, præsentiâ suâ animos militi facit, jubetque tormentis murum quati. Tùm verò tantâ vi urbs oppugnari cœpta est, & quidem frago-

Senenses à Cæsare desciunt.

Metis obsessa.

Albertus Marchio Brandeburgicus redit cum Cæsare in gratiam.

re tanto, ut quarto ultrà Argentoratum milliari, hoc eſt, ultra viginti duo Germanica milliaria, exauditus ſit machinarum tonantium ſonitus. Egmundanus intereà cum duodecim equitum Belgicorum millibus, juſtaque peditum manu, Pontmuſſonium in poteſtatem redigit. Tandem cùm Cæſar ad Metim nec tormentis, nec cuniculis quidquam proficeret, & è centum millibus peditum, quæ ad urbem adduxerat, ultrà quadraginta millia morborum calamitas, hyemiſque ſævitia, abſumpſiſſet: ad hæc pabulorum, & cibariorum premeret penuria, nullâ ratione conſultum judicans, reliquias exercitus, cum dubio expugnationis eventu, firmiſſimo præſidio objicere, ſub finem Decembris obſidionem ſolvit, ac Cal. Januariis 1553. Thionvillam lecticâ vectus, indeque in Belgium eſt profectus.

Egmundanus Pontmuſſonium in poteſtatem redigit.

1553. Cæſar obſidionem Metenſē ſolvit.

Inter hæc, Dux Vendomæ, cui Picardiæ præfectura incumbebat, nihil hiberno frigore territus, de obſidendo Heſdino conſilium capit. Nec mora, cum delecta militum manu urbem cingit, mirabilique arte per loca paludoſa tormentis viam molitus, diutinâque diſploſione ruinâ editâ, quantum in oppugnationem ſatis, Reuſſii Comitis filium, Præfectum, ſalvis vitâ, libertate & bonis, deditioni ſubſcribere adegit.

Heſdinum à Gallis receptum.

Jam ſupra, ſolutæ Metenſis obſidionis cauſas, diſtrictè retulimus. Cæſar, ut erat exaggerato ſupra fortunam animo, facinus aliquod tacitus moliebatur, atque eam ob rem milites conſcribit, urbibus, oppidis, municipiiſque foſſores, & commeatum imperat, machinas aheneas, magnamque vim pulveris ſulphurei, & globorum convehi jubet. Martinum Roſſemium in Lucemburgicos amandat, ut illi Provinciæ, capto nuper à Gallis Mansfeldio, præeſſet. Reliquis copiis Reuſſium cum imperio præficit, placuitque Terouanam, vetus Morinorum oppidum obſidere, Flandris infeſtiſſimum, quod omnes circum agros, pluraque oppida, quà diriperet, quà prædaretur, quà ingenti pecuniâ redimere ſalutem, & ubertatem agrorum cogeret. Reuſſius poſtquam caſtris poſitis urbem obvallarat, omni machinarum genere oppugnare aggreditur. Adeſt etiam cum copiarum ſupplemento Pontus Lalainus, Bignicurtii Regulus, ſocia arma juncturus; duobuſque ſimul locis oppidum premunt. Vendomius Gallus, eam ut ſpinam revelleret, magnis delectibus habitis, imminebat Flandriæ, & fœdâ populatione agros evaſtabat: Sed nihilo ſegnius Terouanam Bignicurtius (poſt obitum Reuſſii Comitis, in ejus locum ſuffectus) premere pergit, ac ſubrutis infeſtâ tormentorum diſploſione, non uno loco,

Terouana obſidio.

co muris, pridie Idus Junii impreſſionem edicit. Extemplò à Belgis oppugnatio omni ex parte tentatur, undequaque intentatur parata vis: Nec Galli ſegnius, juſto pro amplitudine murorum numero, repellendi hoſtis munera obeunt: cadunt utrimque multi, ac è Francis Præfectus Eſſæus, in cujus locum ſuccedens Momorantius, magno animo prælium reſtituit, adeò, ut poſt decem horarum continuam pugnam, Cæſariani receptui canentes, militemſervatis ordinibus, reducerent: moxque alio loco admotis machinis muroq; crebris ictibus quatefacto & decuſſo, in oppidum irrumpunt. Franci, quantum in ſubita trepidatione licuit, arma expediunt, ac præſenti animo repulſant periculum. Verùm cum duobus ſimul locis vim oppugnantium ſuſtinere non poſſent, deditionis ſignum edunt. Dùm de conditionibus dedendæ urbis habetur colloquium, Hiſpani videntes proximo loco muros nudatos propugnatoribus, militareſque ſtationes paſſim deſertas, admotis muro ſcalis, ſcandunt, ac plenis faucibus captum oppidum proclamant: quo tumultu, qui in colloquium deſcenderant, vitam incolumem pacti, deditionem faciunt: Qui verò ab alia parte ad ruinam dimicabant, cæduntur, magna & immani paſſim ſtrage editâ. Nulli ætati, ſexui, ordini ab efferato milite parcitum. Capti ipſe Momorantius, Bangius, Dampetra, aliique viri clari. Urbs ipſa juſſu mox Cæſaris, qui Bruxellis agebat, à fundamentis diruta, tantâ popularium alacritate, ut paucorum dierum ſpatio, vix proſtarent validiſſimæ urbis monimenta, adeò odium propter acceptas vicinorum injurias & calamitates, animis altè inſederat. Et ne victoria hæreret in limine, *Philibertus* Sabaudiæ Princeps, cum imperio in exercitum miſſus, Heſdini arcem, capta urbe, oppugnat. Præerat oppido & arci, juſto cum præſidio, Marcanus Bullonius, multique viri nobiles in propugnationem immiſſi. Sabaudus primùm, cùm crebris tormentorum pilis magnam muri partem diruiſſet, cuniculos in arcem agit; Igitur Franci animis fracti colloquium cum hoſte poſtulant. Sed eodem fato, quo Terouana, inter paciſcendum arx capitur & diripitur: nempe, cùm in arce pulvis tormentarius fortuito igne correptus eſſet, is ſtatim in hoſtiles cuniculos ſerpens, eos, cum ingenti fragore, damnoque Francorum, qui inſidebant muro, excuſſit: undè Cæſariani proditam fidem accuſantes, in arcem proruunt, obvios quoſque interficiunt, Duceſque capiunt, Marcanum ipſum, Comitem Riovem, Villarium, & alios. Et hoc quoque oppidum unà cum arce, ſolo Cæſar æquari, & inter propinquas paludes,

Terouana acriter oppugnata, nec ſegnius propugnata, capitur, & evertitur.

Heſdinum receptum à Cæſarianis & dirutum.

loco amœniore & commodiore, alterum huic cognomine, anno insequenti jussit instaurari.

Albertus Brandeburgicus rursus infestus incumbit Germaniæ.

Dum hæc in Picardia geruntur, ecce improvisum malum Germaniam rursus obruit. Etenim Cæsar initio anni Thionvillâ in Belgium proficiscens, Alberti Brandeburgici copias in Trevirorum agris, donec soluta essent stipendia, manere jusserat: iis solutis, novum militem conscribit, ac prædabundus in Franconiam penetrat, ferro & ignibus grassatur impunè. Communibus ergò studiis Rex Rom. Imperii Senatus, Norimberga, Archipræsules Moguntinus, ac Trevirensis, Henricus Brunsvicensis, Wolfangus Prussiæ magister, aliique fœdere icto, militem legunt, Septem-virum Mauritium, belli socialis Imperatorem dicunt, ac mox Cal. Julii Alberto bellum indicunt. Ridet hæc Albertus, transmissoque amne Visurgi, Saxoniam invadit, & ipsa futura tanti incendii pabulum, nisi Mauritius, cæco fulmini, molem obiecisset. Ille contractis ad Visurgim sociorum copiis, extemplò militem in hostem educit: nec mora, utrimque ardenti animo procursum ad pugnam; at successu impari; Alberto magnâ suorum clade in fugam acto, Mauritio palmam & spolia referente. Nec tamen fœderatis incruenta victoria fuit, quippe Mauritius fortiter dimicans, letali accepto vulnere, postridie animam efflavit, anno ætatis trigesimo tertio necdum impleto. Cecidêre cum Mauritio, duo Henrici, Ducis Brunsuicensis filii, & permulti Nobiles.

Albertus cum Mauritio pugnam conserit & in fugam agitur.

Bellum Anglicum.

Pridie Nonas Julii, Eduardus VI. Angliæ Rex, Henrici VIII. filius, decimosexto ætatis anno, tabe extinctus est: suasuque Northumbriæ Ducis, præteritâ *Mariâ* sorore, Catholicæ religionis studiosissimâ, Johannam Graiam, Gilfordi Dudlæi filii sui uxorem, sanguine, post sorores, proximam, hæredem scripserat. Northumbriæ Dux compos voti, Regni moderationem sibi vendicavit, Johannamque filiam Reginam publicè proclamari jussit. *Maria*, postquam rumor de morte fratris percrebuerat, citatis equis, in Suffolicensem agrum contendit, cui protinus diversi Proceres accessêre. Literis deindè Senatum Londinensem appellat, ut se Reginam salutaret. Proceres, omnium nomine responsum dedêre, quo jus Joannæ ex Eduardi testamento, matrisque Mariæ divortio competere asserebant. Ad arma itaque ventum est. Nothumbriæ Dux, cum modico exercitu Mariæ obviam procedit. Cùm verò lentè cunctanterque rem gereret, per has moras Mariæ copiæ succrescebant. Accesserat Eduardi Hastingii, cum quatuor militum millibus, ad Mariam defectio, quâ jacturâ Londinensium, Procerumque

que animi haud parum consternati, Londinensis Senatus tandem, dejectâ solio Joannâ Graiâ, Mariam Angliæ Reginam publicè salutare jussus est.

Auditâ Senarum defectione, Petrus de Toleto, Neapolitanus Prorex, viginti millia Peditum in Hetruriam misit, quò etiam ipse Neapoli solvens, adnavigavit. At illum mors Florentiæ oppressit, idque bellum exinde Garciæ ipsius filio commissum, haud infeliciter procedebat, captis & expugnatis aliquot Senensium oppidis & arcibus. Cumque Montalcinam aliquandiu circumsedisset, ob adventum classis Turcicæ expugnare non potuit. Ferdinandus enim Sanseverinus, Salernitanus Princeps, alienior à Cæsare factus, in partes Regis Galliæ Henrici transiverat, atque concepto odio, spem Regi fecerat Neapolis, occultis consiliis, obtinendæ. Igitur Constantinopolim navigat, & Turcicam à Solymanno impetrat Classem: & eâ statim Draguto commissâ, is Siciliæ & Calabriæ littoribus evastatis, Corsicam invadit, & Francicis triremibus adjunctis, ingenti classe imminebat Neapoli; ad quam defendendam illicò, dimissâ Montalcinâ, copias Neapolim ducit. Igitur ducta Draguti Classis in Corsicam, ac Tremeus Gallus in eâdem transmittit statimque Bastiæ Portum in potestatem redigit, exin Fanum Florentii, & Laiassam urbes expugnat. Dragutus ab altera Insulæ parte Fanum Bonifacii, præcipuum Corsicæ propugnaculum, obsidet, ac post labem muro illatam, pluresque institutas impressiones, ad deditionem compellit: & præcipiti jam in hyemem Autumno, Constantinopolim revertitur. Intereà Rex Franciæ, ingenti coacto exercitu, in Belgium expeditionem designat, ac primùm frustrà tentatâ Bapalmâ, cum copiis haud longè Cameraco considet, & præsidiarium militem ad deditionem interpellat, at surdis auribus canebat, nec ullâ re patratâ, perrexit ulteriùs ad Valencenas, ubi exercitus Cæsareus citrà Scaldim amnem se munierat. Tandem ingravescente Autumno, militem partim in præsidia distribuit, partim solutis stipendiis exauctorat, atque ità nihil dignum tanto exercitu actum est. *Galli turcicis auxiliis fulti Corsicã invadunt.*

Anno 1554. Postquam *Maria* in Reginam Angliæ esset coöptata, & solemni ritu inuncta, de nuptiis *Philippi* Hispaniarum Principis, Cæsaris Filii, ac Mariæ Reginæ, agi cœptum est. Earum firmandarum causâ, Cæsar amplissimam legationem, cujus erat princeps Lamorallus Egmundanus Comes, adjunctis ei Carolo Lalanio, & Joanne Mommerantio Curettæ Domino, in Angliam mittit. Ubi Londinum venêre, post dies aliquot, stipulatis pactis dotalibus, *1554. Agitur de connubio Philippi Hisp. Principis cũ Maria Angliæ Regina.*

rem

rem conficiunt. Cùm nihil ampliùs impedimenti ſubeſſet, quo minùs nuptiæ celebrarentur, *Philippus* inſtructâ Coronnæ inſigni claſſe, cùm ex Hiſpania ſolviſſet, ſecundo afflante vento, in portum Angliæ oppidi Hamptonii, decimo quarto Cal. Auguſti, appulit. Ea erat octoginta oneraniarum navium, & quadraginta minorum, vehebatque quatuor millia Hiſpanorum peditum, quarũ utrimque latera viginti Anglicæ, & totidẽ Belgicæ naves tegebant. Octavo Cal. Auguſti, qui D. Jacobo, Hiſpaniæ Tutelari ſacer eſt, Vintonii in ſumma Æde, Regiâ pompâ, matrimonio jungitur. Tum Joannes Figueroa, Cæſaris nomine, Regno Neapolitano ceſſit, & jus omne, quod ipſi in eo competebat, in Philippum transtulit.

Cardinalis Polus fruſtrà agit de pace reconciliãda inter Cæſarem & Regem Franciæ.

Intereà *Reginaldus Polus* Cardinalis, cui à Pontifice Max. legationis munus decretum erat, de pace inter Cæſarem, & Gallorum Regem concilianda, quorum mutuis, atque inteſtinis bellis Chriſtiana Reſpub. miſerè vexabatur, Bruxellas venit, humaniterque à Cæſare excipitur. Cùm multa piè, ac prudenter de pace diſſeruiſſet, repoſuit Cæſar: Se nullas pacis conditiones recuſaturum, quæ honeſtæ eſſent, atque ejuſmodi, quibus certa & firma pax conſtitui poſſe videretur. De ea re autem nihil deliberari poſſe, quàm voluntas Regis cognita eſſet. Accepto à Cæſare hoc reſponſo, Polus in Galliam profectus, nullum boni, ac prudentis Legati officium prætermiſit, quod ad pacem conficiendam pertineret, ſcripſitque proficiſcens in Galliam, in ipſo itinere libellum, quo Cæſarem ad pacem ſtudioſè hortabatur: Et cum Regi placuiſſet ne ad ſe prius adiret, quàm elapſi eſſent ſacri dies, quibus mortis Chriſti memoria recolitur, in quos ejus adventus fortè inciderat, idoneum tempus ſibi dari exiſtimavit, ejus libelli, quem ad Cæſarem nondum miſerat, ad Regem mittendi, adjunctâ epiſtolâ. Tùm verò cum ipſo Rege coram, & cum Cardinale Lotharingo, & Anna Momorantio, magiſtro equitum, quorum ſumma apud Regem erat gratia & auctoritas, pluribus verbis & vehementer de pace egit. Tandem non ſine ſpe concordiæ à Rege dimittitur. Sed egregia optimi viri voluntas fruſtrà fuit, adeò exulceratis utriuſque animis, & tam inveteratis vulneribus nondum coäleſcere valentibus. Quapropter Rex, comparatis quæ ad bellum neceſſaria erant, exercitum trifariam partitur, ut ſic ſuſpenſos, quò tenderet, hoſtium animos, teneret. Primus impetus in Arduennam, à Nivernio Campaniæ præfecto, factus, qui *Orſimontium* caſtellum, prærupto ſaxo impoſitum, ad deditionem compulit. Indè aliæ arce

Rex numeroſum cogit exercitum, quem trifariam partitur.

ces Linchatum, Jardinium, Belrinum diffugientibus præsidiariis se Nivernio quoque permiserunt. Mommorantius interim, quasi Avenas petiturus, ad *Mariemburgum* flexit, à Maria Regina Hungariæ, Belgii pro Cæsare fratre, administratice, paucos ante annos conditum, suoque nomine appellatum; Quod Martignius Rissarti Dominus, oppidi Præfectus cervinus vir & ignavus post tertiam ab obsidione diem, in Regis potestatem tradidit, conventumque ut ipse Præfectus cum primipilis captivi essent, gregarii exuti armis, cum sarcinis abirent. Pridie Cal. Julii tres exercitus in unum coëunt, advenienteque Rege, ad Mosam ducit. Rex *Bovinas*, Namurcensis ditionis oppidum, perpusillum, quod ab oppidanis tantum defendebatur, tormentis acriter verberatum, factâ impressione capit. Magna strages hìc primò edita, pars fluvio hausta, qui enataverunt capti, & ob contumaciam in furcam acti sunt, quod audaciâ temerariâ, tormentorum verberationem ausi fuissent sustinere: residente cædium calore, cum reliquis, quæ se in arcem receperant, mitius actum est. Captis Bovinis, ad *Dionanti* obsidionem se accingit. Urbs est secundum ulteriorem Mosæ ripam porrecta, quæ arcem rupi undique ferè præruptæ impositam, ambitu suo complectitur, duobus prominentibus propugnaculis, & altâ admodum fossâ egregiò præcincta, studiò ac diligentiâ Everardi Marcani, Leodiensium Antistitis, qui & in ea Palatium regaliter extructum, à fundamentis olim excitaverat. Dionantenses freti munitionibus arcis, & inani præjudicio gloriæ, quod se septem decies à Regibus, ac Cæsaribus oppugnatos, toties eos repulisse gloriarentur, se ad vim dispellendam comparant. Continuò tormenta ad muros admota, & loco quidem gemino, cis amnem à Regiis, & trans-Mosam à Nivernensibus, biduumque continuatâ verberatione, ac dejectis duabus turribus, Oppidani, qui nullam salutis spem viderent, vitam salvam pacti, deditionem faciunt. Postmodum tamen urbs immaniter direpta est, & arx Regis jussu, eversa & diruta. Ne verò Namurcum Rex aggrederetur, Sabaudus Cæsaris Legatus, validis præsidiis urbem firmavit, idque ab obsidendo Namurco Regem revocavit, qui tertio Idus Julii transmisso amne Sabi, duobus Namurco milliaribus, castra metatur. Indè in Hannoniam penetrat, *Mariemontium*, Mariæ Reginæ delicias, cum arce igni aboleri jubet. Hinc *Binsium*, oppidum item Hungariæ Reginæ, in quo illa superbum admodum Palatium exædificaverat, statuis antiqui operis, tabulis ex Europa tota conquisitis, musivo & tessellato opere, ad regiam magnificen-

Dionantum à Gallis captum & direptum, Arx verò eversa & diruta.

Mariemontiũ & Binsium diripiunt atque in cineres vertunt.

tiam exornatum, admotis tormentis, post brevem verberationem arbitrio Regis permittitur, diripitur, & immisso igne in cineres vertitur. *Mabuga*, cum vicino *Bavaio* idem fatum subeunt. Intereà exercitum Cæsar conflaverat, dederatque ducendum *Philiberto* Duci Sabaudiæ, qui Francorum premens vestigia, assecutus Santandreanum, rivum haud procul Quesnöo transmittentem, invadit, ac post acrem pugnam cædit. Rex interim cum in Cameracensem agrum stragem & incendia intulisset, in Artesiam movens, *Rentiacum* Castellum toto exercitu cingit. Intereà Cæsar cum toto exercitu ad Marquam, unico Rentiaco milliari, considet. Franci tormentis arcem acriter oppugnant. Præsidiarii de Cæsaris præsentia certiores facti, magnis animis repugnant. Circumfusi castello Franci erant, proximos colles Cæsariani occupabant: utrisque castris intercedebat saltus per imminentem collem porrectus, qui alterutri occupanti, magni erat momenti. Itaque consilium erat Ferdinandi Gonzagæ, ut saltus occuparetur, & valido præsidio firmaretur: sic enim fore, ut Galli undique cincti, neque tutò consistere; neque si recedere vellent, id citrà periculum facere possent. Cæsar Gonzagæ consilium secutus, postridie summo mane, cum nebulosum & caliginosum esset cœlum, cum toto exercitu progreditur, saltumque invadit cum quatuor delectis ex omni peditatu, millibus. Galli initio impetum Cæsareanorum fortiter sustinent, sed numero impares, retrocedere coguntur. Jam Cæsariani occupato saltu, se victoriâ potitos rati, confertis ordinibus in Francos impetum faciebant, cum Guisius, & Colinius, qui peditum primarium agmen ducebant, cum hoste manus conferunt. Fit pugna atrox & anceps, cessit tandem victoria Gallis. Ex Cæsarianis desiderati mille quingenti, ex Francis quadringenti quinquaginta, ut Galli scriptores tradunt. Nihil prohibente hâc clade, Cæsar obsessos non deseruit, neque se loco movit. Quod ubi Rex vidit, qui munitis adeò castris hostem inclusum, aggredi tutum non existimaret, & hactenus exiguo profectu arcem verberaverat, deficiente jam commeatu ab obsidione discedere statuit. Itaque decimo octavo Cal. Septembris, castra solvit: Primis castris à Rentiaco Abbevillam itum est, indè Compendium venit, ubi Augusto desinente, persolutis stipendiis, Helvetii & Germani exauctorantur, & regni delectus, qui cum Rege venerant, domum revertuntur; cæteris copiis partim in præsidia distributis, partim Vendomio Picardiæ Præfecto attributis. Cæsar solutâ Rentiaci obsidione, cum aliquot dies sarciendis arcis ruinis impendisset, Audemari fanum se contulit:

Inde Rentiacum exercitu cingunt.

Committitur pugna atrox, in qua Galli victores.

Rex ab obsidione discedit

& mox Rigiacum, unde cum arthitride, morbo sibi familiari, conflictatus, Betunam, ac postremò Bruxellas rediit, tradito exercitu Sabaudo. Is Francos persequens, Auxium castellum expugnat & incendit. Tùm transmisso Somonâ, Dampetram, Durriam, Machium, Maintemaum, Ricarii-fanum & alia flammis consumit: conversoque exercitu ad Comitatum D. Pauli, indeque Monstrolium ac Dorlanium, ut par pari daret hostimentum, per omnem eum Franciæ limitem direptionibus, & incendiis grassatur. Pridie Idus Septemb. Mesnium venit, juxtà amnem Cancem, locum in ampla palude ex adverso Hesdini, superiori anno à Cæsare diruti, situm, quem conquisitis undique operis & fossoribus, festinato opere munire cœpit, in eamque, quæ hodie visitur amplitudinem & firmitudinem perduxit. Hesdino permunito, transmisso rursus Somonâ, Ambianum usque excurrit, vicos, ac castella incendiis deformans. Hinc Corbeiam, & Einchrium contendens, exustis his oppidis, tandem sub initium Decembris Bapalmam venit, exauctoratisque Germanorum legionibus, Belgas per præsidia distributos, in Hyberna mittit, idemque mox facit Vendomius.

Sabaudus ut Gallus par pari referret, Auxium castellū, Dampetram aliaque ad Somonam oppida diripit & flammis vastat.

Intereà in Etruria bellum gravius, quàm superiore anno exarserat, quod Senis ultimam attulit servitutem. Nam Cosmus Medices, quod Ilua, suæ ditionis insula, à Franciæ Rege peteretur, Carolum Cæsarem, ad instaurandum Senarum bellum, se socium laboris pollicitus, crebrò sollicitabat: quippe quas ad Imperium pertinere sciebat; nam in tabulis Imperii perscriptum reperiri, Senenses olim Carolo IV. Imp. fidem addixisse, & ejus auspiciis Reipub. formam, quâ hactenus usi fuerant, instituisse, ac proindè cum à Cæsare defecerint, ejecto Hispanorum præsidio, & eversâ arce, perduellionis crimen incurrisse. Præfecerat Rex Galliæ Senensibus, Francisque copiis Petrum Strossium, Florentinum nobilem, capitalem Mediceæ domus hostem. Ducem copiis suis Cosmus dixerat Marchionem Marinianum. Is noctu Senas occupaturus, primùm ad Camolliæ portæ munimentum, scalis applicitis, vim facit. Eo capto, vario posteà eventu cum Strossio bellum gerebat, donec ad Marcianum Strossius victus & profligatus, Senensium res in angustias magnas perduxit. Hac clade periêre ex Strossianis, præcipuè Gallis, circiter quatuor millia Signa militaria supra centum relata; capti milites bis mille. Desiderati ex hostibus admodum pauci. Strossius saucius in ilibus, pugnæ se eripuit, & cum reliquiis exercitus Lucianum se recepit. Intereà in urbe magnâ penuriâ laborabatur, & in diem novenæ unciæ panis tantum viritim

Instauratur bellum Senense.

 distri-

distribuebantur: jam carnes omnes, etiam equorum, ac mulorum, consumptæ erant, nec ulla spes auxiliorum affulgebat; tandem deditionis præscriptæ sunt conditiones: „Ut Cæsar civitatem ac Remp. Senensem in fidem suam & Imperii acciperet, salvâ libertate, & Magistratuum veteri auctoritate; Cives suis bonis, & dignitati restituerentur; Cæsari ad tuendam urbem jus sit, quantum velit præsidium imponere, ità tamen, ut non nisi de civium consensu arcem in civitate novam exstruat, aut dirutam instauret; propugnacula durante obsidione, aut ante exstructa, statim post introductum præsidium diruantur; Cæsari liceat Rempub. arbitrio suo constituere, salvâ tamen Senatus auctoritate, immunitatibus, ac privilegiis: liberum sit Gallis Ducibus & militibus indè exire cum armis, signis explicatis, tympanis, cæteroque belli instrumento & omnibus impedimentis. Haud multò post Herculis portus Francis quoque ereptus est, ac proxima quæque deditionem faciunt, tandemque universa Senensium ditio, Tusciæque in Cæsaris potestatem concessit.

Conditiones quibus Sena Cæsari dedita.

Indè tota ditio in Cæsaris potestate venit.

1555.

Pontifici Iulio III. suffectus est Marcellus, huic Paulus IV.

Desierat vivere anno 1555. die decimo Cal Aprilis Julius III. Summus Pontifex, in cujus locum suffectus est *Marcellus*, à Cervina nobili familia, Cervinus cognominatus, qui nomen sibi anteà impositum, ad supremum rei sacræ culmen evectus, Adriani Papæ VI. exemplo retinuit. Sed fata Pontificem sanctitate, moribus & doctrinâ mirabilem, tàm citò rapuerunt, quàm citò dederant: nam cum valetudine parum prosperâ uteretur, solemnibus Dominicæ Passionis, & Resurrectionis cœremoniis fatigatus, ex pituita febri corripitur, & pridie Cal. Maii, recrudescente morbo, cum apoplexis invasit, atque sequenti nocte vitam eripuit, Pontificatus sui die vigesimo. In Marcelli locum suffectus est *Io. Petrus Carafa*, qui *Pauli IV.* nomen accepit, natus patre Jo. Antonio, inter Neapolitanos proceres spectatæ virtutis viro, ac Diomedis Carafæ Matalunæ Comitis filio. Sub monte Pincio longè ab hominum conspectu, privatis in ædibus diu consedit, ac novum postea Presbyterorum Collegium instituit, qui Theatini, à Theate oppido, cui Episcopus præfuerat, appellati sunt.

Anglia Regina omni operâ nititur inter Cæsarem & Gallum pacem componere, at incassum.

Dum hæc Romæ geruntur, in Anglia Polus assiduè Reginam hortatur, ut Cæsaris, & Galli animos ad pacis studia excitet. Hi tandem Reginæ rogatu adducti, nonnullos ex suis primarios viros, qui de pace agerent, alter in oppidum Ardeam, Francici juris, alter Gravelingam, Burgundicæ ditionis, miserunt. Regina quoque Caletum suos Legatos ire jussit, in quibus princeps legationis erat ipse

ipse Polus. Ac ne quid ad tam optatam rem deesset, Reginæ jussu, ac sumptibus, patenti in campo, qui medius tribus hisce oppidis interjectus erat, magno apparatu erectum est tabernaculum è tela contextum, quadratâ formâ, porticibus quatuor, è regione formâ decussatâ, positis. Intervalla, quæ inter porticus relinquebantur, telâ, veluti muro quodam septa, ac fossâ valloque circummunita erant. Cæsariani eam partem, quæ ad Septentrionem vergit, & Gravelingam respicit, sibi sumpserant: Galli eam, quæ ad meridiem, & Ardeam; Polus eam, quæ Orientem spectabat; è regione ad Occidentem erant Angli. In medio amplissimum erat conclave telis item extrorsum velatnm, ac splendidissimis au'æis intùs ornatum, in quod interdiu de pacis conditionibus disceptaturi, omnes conveniebant: nam sub vesperam quisque ad oppidum, undè venerat, se conferebat. Post varios ultrò citròque habitos sermones, animis utrimque à concordia abhorrentibus, infecta re discessum est.

Hunc annum supremum habuit *Ioanna Arragonia*, Caroli Cæsaris, ac Ferdinandi Rom. Regis mater. Quam præ nimia doloris acerbitate, post obitum *Philippi*, conjugis charissimi, mania quadam semel correptam fuisse, aiunt. Interim tamen quamdiu superstes fuit, summæ rei consors & particeps mansit, & in actis publicis & privatis, in diplomatis denique & aliis civilibus negotiis parem cum filio honorem consecuta, titulum Reginæ ac Dominæ retinuit. Ex qua, non modo Hispania, Neapolis, Sicilia, aliaque regna & provinciæ: sed etiam America illa, priscis Romanis incognita mundi pars, ab Americo Vespucio Florentino, Cosmographices peritissimo, sic cognominata, Carolo Imp. obvenerunt. *Obitus Ioannæ Arragoniæ Hispaniæ Reginæ.*

Capto Herculis portu, & intercluso Gallis per mare in Etruriam adpulsu, Brissacus interim in Pedemontio bellum gerebat, & labantes res Gallicas in Etruria, in ea regione fulciebat: quippe Suares Figueroä, Gonzagæ loco (quem Cæsar in Belgium evocaverat, Mediolanensis Prætor, nobilitate, quàm rei militaris peritiâ clarior) pluribus oppidis brevi spoliatur. Nam Brissacus Eporediam capit, mox Biellam subjugum mittit. Dein Jacobi fanum deditionem facit: Valentiam expugnat, Volpianum lentâ obsidione premit. Interea Cæsar Ferdinandum Albanum Figueroæ suffecerat, ut rei bellicæ in Italia cum summo imperio præesset. Ubi igitur Albanus in Italiam venit, potentissimo exercitu in Insubribus coacto, in quo erant triginta peditum, & tria circiter equitum millia, de Volpiano obsidione liberando, consultare cœpit: Sed non expectato *Brissacus res Gallicas in Pedemontio restaurat.*

ejus

ejus adventu Galli obſidionem ſolvunt. Volpiano commeatu ac milite firmato, Albanus ad Jacobi fanum caſtra ponit, dein verberatione inſtitutâ, ac crebrâ tormentorum diſploſione murus diſcuſſus, in labem ruerat, nec ideò Albanus impreſſionem auſus facere, cum ſubmiſſa à Rege auxilia accederent. Itaque multis è ſuis deſideratis, ab obſidione diſcedere coäctus eſt. Eo digreſſo, Claudius Lotharingus Aumalius, (qui decem hominum millia in ſubſidium adduxerat) cum Briſſaco Volpianum illicò obſident, atque actis ſub amplo propugnaculo cuniculis, feliciterque incenſis, per apertam labem impreſſionem faciunt, ac loco potiuntur. Indè in arcem verberatio inſtituta, quo animadverſo, præſidiarii poſtridie, qui fuit XII. Cal. Octobris, ad colloquium deſcenderunt, deditionemque fecerunt, ita impedimentis omnibus ſalvis, cum armis, expaſſis ſignis, tympanis ſonantibus, oppido emiſſi ſunt. Oppidum continuò mœnibus nudari placuit, quod ſumma celeritate Briſſacus exequutus eſt. Intereà dum Albanus ad Sturæ-pontem munitiones urget, Galli Montem-calvum admotis ſcalis intercipiunt. Nec aliud dignum memoriâ Albanus tantis ſuccinctus copiis geſſit.

Porrò Henricus Rex, certior factus de rebus, quæ à delegatis ad conſtituendam inter Cæſarem & ipſum pacem, proponebantur, cum eos non convenire poſſe provideret, Nivernio negotium dat, ut quàm maximâ poſſit diligentiâ, Marieburgum ac Mazeriam commeatu, ac rebus neceſſariis firmet, eò enim Cæſarem vires converſurum exiſtimabat, quod non contemnendæ ejus copiæ, Duce Martino Roſſemio, iis in partibus coirent. Dum hæc fiunt, Belgæ geminas arces exædificabant, quibus ſuos fines tuerentur: alteram in portu Giveto ad Moſam, cui Carlomontio nomen impoſuêre: alteram Philippopolim in Namurcenſium finibus, cui à Rege Philippo, Cæſaris filio, nomen eſt inditum. Inter hæc ad Carlomontium Martinus Roſſemius, contagioſâ lue correptus, ex qua Antverpiam delatus, mox deceſſit. Hic ille Roſſemius eſt, qui Gelricarum cohortium ductor, toties univerſum Belgium, viciniaſque nationes, armorum terrore concuſſerat: qui olim ſub Franciſco primo Galliarum Rege, ſtipendia fecerat: dein pacificato Clivenſi cum Cæſare, in gratiam ab ipſo Cæſare ob ſummam bellicæ virtutis opinionem, receptus eſt, cui poſteà uſque ad obitum conſtanter militavit. Cùm Franci harum munitionum extructionem impedire non poſſent, fruſtrà tentato Solturio, & Cimaco, exercitum diſſolvunt. Sub idem tempus in Oceano Mediterraneo Fran-

Carlomontium & Philippopolis conſtruuntur;

Obitus Martini Roſſemii.

Pugna navalis inter Gallos & Belgas.

Franci cum Belgis cruento prælio pugnavêre. Cum enim naves aliquot majores Belgicas, omni Indicarum, & aliarum pretiosarum mercium genere onustas, ex Hispania renavigare allatum esset Dieppensibus, ii Dromones undeviginti milite instruunt, eo consilio, ut quæstuosam illam mercaturam diripiant. Jtaque paululùm supra Doveram Belgis tardiusculè adnavigantibus, occurrunt: adpellunt propius Galli, deduciturque res ilicò ad prœlium attrocissimum. Sex horarum spatio certatum acri admodum & cruentâ pugnâ, nutante utrimque victoriâ: tandem fatiscentibus ab utraque parte viribus, ad extremum deventum est: Quindecim Francorum naves totidem Belgicas harpagonibus inter se fibulant, & licet Franci militum numero vincerent, hostes navigiorum magnitudine, ac firmitate superiores, ex iis crebris machinarum, quibus abundabant, displosionibus, in Francos fulminabant, eorumque virtutem æquabant. Propterea Franci, signo dato, inducias petebant, sed cum inter clangores, & strepitum exaudiri non possent, consilium ex desperatione capiunt, & immisso in suarum navium velis igne, ab iis in Belgicas proserpsit, ut jam utrique de incendio restinguendo, plus quàm de victoria soliciti essent. Sex Belgicæ naves conflagraverunt, & aliæ sex itidem ex Francicis, & una Prætoria ex Gallica clase depressa, ac demersa. Captæ quinque Belgicæ naves, quæ tormentorum ictibus perterebratæ, & flammis pœnè consumptæ, ad ostentationem potiùs, quàm ad usum fuêre Dieppam perductæ: Periêre ex Gallis, partim ferro & flammis, partim fluctibus hausti plus mille homines, ex Belgis circiter trecenti. Hoc actum extremo Augusti: Quo eodem mense Gulielmus Nassavius, Aurantii Princeps, aucto novis Germanorum auxiliis exercitu, in castra cum summo imperio à Cæsare missus est, qui educto medio ferè Septembri exercitu, quasi Marieburgum petiturus esset, Fagnolium castellum, quod à Gallis tenebatur, recepit. Inde Convinium in potestatem redegit, ac turrem inibi munitam dirui jussit. Eodem tempore cum mille & ducenti Nobiles, & quadringenti pedites, ductore Jalla, ex primaria in Andibus nobilitate viro, in Artesiam irrupissent, & prædâ opulenti regrederentur, Ossimontius Bapalmæ Præfectus, loco commodo interceptos, fudit, occidit, ac cepit, paucissimis in proximam sylvam fugâ elapsis. *Galli cæsi.*

Hoc eodem anno 1555. *Carolus V.* omnium, qui retrò extiterunt, & qui fortè sunt futuri, laudatissimus domi, prudentissimus in imperio, in togâ justissimus, in armis victoriosissimus Imperator, concepto *Carolus V. Belgicarum Provinciarū imperium in*

Philippum filium transcribit.

cepto ingenti humanarum rerum vel tædio, vel contemptu, seculis omnibus memorando facinore, omnium sese Provinciarum imperiis abdicare statuit. Quod quia fortitudinis est supra mortalem, placet id fusius enarrare. Cæsar igitur ad Septimum Cal. Novemb. universarum Provinciarum Ordinibus, majorumque gentium Nobilitati Bruxellæ diem dicit: Ubi dies advenit, mane *Philippum* filium, sodalitii aurei velleris Principem dixit, ac post meridiem horâ tertiâ in atrio majori aulæ, magna Nobilium, omniumque ordinum corona, medius inter ipsum Philippum Regem Angliæ, & Mariam sororem, Hungariæ Reginam, cum consedisset, *Philibertum Brusselium*, Senatorem Concilii Status, loqui in hanc Sententiam jubet: „ Jam indè ab eo tempore, quo Cæsarem avus *Maximilianus* „ emancipavit, atque has, quarum Legati advenistis, Provincias „ Cæsar administravit, fuit hoc illius assiduum studium, ut quarum „ ditionum curam à Deo accepisset, eas & æquissimis legibus sanctè „ procuraret, & pro earum salute incredibili sollicitudine laboraret. „ Multis gravissimisque testimoniis hanc suam præclaram in subditos „ tos voluntatem Cæsar est testatus. Nulla enim fuit illius tam af„ flicta valetudo, nulla tam res incœptu ardua, exitu difficilis, nul„ lum iter tam impeditum, nullæ tantæ rerum difficultates, quas „ non etiam pro optimorum subditorum salute contemneret. Fecit „ id Cæsar cùm Majorum exemplo, tùm sua indole, ac præstantiâ „ animi: natum enim se ortumque hisce ditionibus recordabatur, „ officiique id a se sui ratio, subditorumque præclara virtus postu„ labat. Gravissima certè cæterorum imperiorum negotia semper „ extiterunt, multæque, iis uti locis moraretur, causæ sæpenu„ merò flagitârunt: tamen quod vos unicé diligeret, quod vestras „ commoditates suis potiores existimaret, harum Provinciarum cu„ ram sibi semper præcipuam putavit: hanc de cogitatione neque „ præsens, neque absens ullo umquam tempore deposuit: vobis„ cum & diutissimè semper fuit, & cum discedere est coactus, ci„ tissimè ad vos libentissimeque est reversus. Magna sunt ista Cæsa„ ris in vos merita, sed quorum tam Cæsarem non pœniteat, ut, si „ votis res humanæ geri possint, hoc fuerit Deum unicè rogaturus, „ ut hanc suam curam, hoc suum in vos officium, ad extremum te„ nere permitteretur. Verùm, cum tot pro vobis susceptis labori„ bus, exhaustæ vires sufficere rebus agendis minùs possent, neces„ sariò agendum Cæsari fuit, ut & se iis negotiis eximeret, quibus „ superesse pro voto minùs posset, & vobis, quorum saluti studeret, „ ea in posterum consilia subministraret, eum pro se Ducem ac Principem

Oratio Philiberti Brusselii habita nomine Cæsaris ad Ordines Brabantiæ.

cipem

„cipem daret, cujus auſpiciis felices viveretis. Annum jam duode-
„cimum ab Hiſpaniis abeſt Cæſar, juſtiſſimis Hiſpanorum preci-
„bus, quibus ut in Hiſpanias reverteretur, poſtulabatur; ſatisfa-
„cere idcirò minus potuit, quod abeſſe à vobis, veſtro incommo-
„do, non poſſit. Valuit hactenus ea excuſatio apud Hiſpanos, va-
„lere ob graves cauſas diutiùs non debet. Accedit, quod quibus
„Cæſar conflictatur, graves morbi, ferre hujus cœli intemperiem ac
„frigora minùs poſſunt. Navigare itaque hâc hyeme in Hiſpanias,
„voſque Regi filio in fidam novi imperii tutelam dare decrevit.
„Moleſtè ſe Cæſar à vobis divelli patitur, una cum res ſolatur,
„quod, quos homines, quas Provincias enixè amat, de quorum
„ſalute ſemper tam anxiè cogitat, eos homines, eas Provincias
„tranſire ab optimo ſuo imperio, in æquiſſimam Regis filii tutelam,
„coram intuetur. Magna ſunt regnorum pericula, cum adhiberi
„ad ſupremarum poteſtatum adminiſtrationem, adoleſcentes rerum
„imperitos Principes, contingit; ea pericula ne acciderent, &
„ſingulari Dei beneficio, & Cæſaris prudentiâ eſt effectum. Jam-
„pridem tot negotiis addidicit, quàm ſit res gravis imperare; quam
„ea res addiſci, neque ſubitò poſſit, neque tardè cum ſubditorum
„injuria debeat. Fecit itaque Cæſar, ut nonnulla Regi filio impe-
„ria, atque regna tranſmitteret, ejus virtutem, prudentiamque
„paucorum regnorum adminiſtratione exerceret, ne ſi ſemel, uno
„veluti pondere, in inſuetos humeros tot ditiones provinciæque
„incumberent, pares ferendo non exiſterent. Præclaram certamque
„horum regnorum, adminiſtratione ſuarum virtutum, fidem Rex
„fecit. Ætatem quoque eam eſt adeptus, ut metuere juvenilis æta-
„tis peccata non oporteat. Quod igitur Regi in æternum ſalutare,
„vobis, Provinciiſque felix ſit, fauſtumque, omnibus Cæſar Pro-
„vinciis, totoque Belgio cedit, quo ſibi obligati ſunt, obſequii ju-
„rejurando, remittit, religionem abſolvit. Quo jure hæ Provin-
„ciæ ditioneſque nunc ad Cæſarem, eoque mortuo, ad Regem
„filium pertinent, eo jure filio coram aſſidenti, earum poſſeſſio-
„nem vobis præſentibus Cæſar, transfert. Veſtri itaque erit officii,
„ut, qui non ita pridem ea apud Regem ſacramenta dixiſtis, quæ
„Cæſare mortuo præſtaretis, eodem Cæſare imperio cedente, non
„jam ea dilato, ſed præſente die, Regi exhibeatis. Fuit ſem-
„per iſta Cæſaris præclara voluntas, id ejus in vos ſtudium, ut
„quas in commune res utiles, vel ipſe cogitando inveniſſet, vel vi-
„ri prudentes conſilio ſubminiſtraſſent, vel Regina ſoror magno
„ſtudio prudentiâque in medium attuliſſet, eas univerſas harum

Aaa Pro-

„Provinciarum commodis impenderet eo ſtudio, ſi, quod voluit,
„non eſt aſſequutus, hocquidem vel graviſſimis Cæſaris negotiis,
„vel acutis ejus morbis acceptum ferre vos oportet. Nihil enim
„æquè optavit ſemper, ac de vobis tam ſibi charis hominibus, con-
„ſtante ac perpetuâ in ſe fide, optimè mereri. Operam, conſilium,
„pecunias & ſæpè, & liberaliter præbuiſtis; pro tantis in ſe meri-
„tis immenſas vobis agit gratias: Pecunias multas numeraſtis, plu-
„res etiam à cæteris ſuis Provinciis, ac Regnis coactas, in harum
„Provinciarum tutelam impendit; quibus nominibus tanta pecu-
„nia ſit expenſa, ipſi tenetis. Dolet Cæſari, impetrari iis pecuniis
„non potuiſſe, ut antequam in Hiſpanias proficiſceretur, ſeda-
„tas, & à bellis vacuas Provincias haberetis. Nulla eſt hac in re
„Cæſaris culpa, alienam præſtare minùs poteſt. Regina Hunga-
„riæ poſtremis Comitiis rem univerſam vobis explicavit: facilis de
„hoſte victoria eſt futura, ſi Regi fidam, in hoſte coërcendo, ope-
„ram præbebitis. Jam illud vos Cæſar ſeriò monet, illud pro ſuo in
„ſalutem veſtram amore tenere vos, ſingulari conſtantiâ, in æter-
„num hortatur: Summi Dei ſacrum cultum retinete: Sacroſan-
„ctam Sanctæ Matri Eccleſiæ obſervantiam, Catholicæ Religioni
„fidem exhibete: Leges colite, quibus hæreticorum temeritatem
„Cæſar cöercuit. Diſcedere vos ab his Cæſaris monitis non oportet;
„ſunt enim vicinorum regnorum in illuſtri loco exempla collocata,
„quorum ſi pœnam timetis, certè culpam abominari eſt neceſſe.
„Eſt quippe illa æterni Dei certa, atque immota ſententia: Frui
„eos diu bonis non poſſe, qui boni largitorem Deum negligerent.
„Acturus eſt hac de re cum Rege filio Cæſar; huic res ea curæ item
„eſt futura. Poſtremò (quod ſingulæ Provinciæ non niſi unius
„corporis multa membra exiſtant) diſſidiis atque odiis abſtinete:
„concordiam fovete. Id ſi feceritis, invicti: iSn contempſeritis, om-
„nium etiam minutiſſimorum hoſtium injuriis obnoxiæ Provinciæ
„ſunt futuræ. Quæ cum in hanc ſententiam Bruſſelius recitaſſet,
tùm Cæſar ipſe orationem ex ſcripto, ut memoriam ſublevaret,
linguâ Gallicâ habuit, quâ totius vitæ ſuperioris repetitâ ſerie, ad
Reipub. Chriſtianæ compendium jam à prima ætate collimaſſe,
eòque actiones omnes ſuas, ac conſilia direxiſſe, neque otio, aut
privatis voluptatibus, vel minimum temporis ſpatium dediſſe de-
Oratio Cæſaris ad Ordines Brabantiæ. monſtrat. Igitur Cæſar hæc ſummatim graviter dixit: „Licet
„Bruſſelius de hac mea ceſſione ea dixerit, quæ mandâram, non-
„nulla tamen & mihi occurrunt. Pridie poſtremi feſti Sacræ Chri-
„ſti Epiphaniæ, annus finiebatur quadrageſimus, ex quo Avus
me

,, me meus Cæsar hoc loco, atque istâ penè horâ, annos tum natum ,, quindecim emancipavit. Anno insequente, annis ab hinc undequadraginta, mortuus est avus meus Rex Catholicus: eo mortuo, cùm Mater morbo impediretur, quo minus regnum procuraret, annis ab hinc duodequadraginta, per hoc nostrum mare primò in Hispanias navigavi. Annus est sextus & trigesimus, ex quo mortuus est avus meus Maximilianus: eo mortuo, Imperii dignitatem, non gloriæ, at eo studio ambivi, ut quæ haberem Regna, & in his, has vestras Provincias, cò melius, securiùsque procurarem. Hoc me studio incensum, multas suscipere expeditiones, profectionesque necessitas cöegit: novem in Germaniam, sex in Hispanias, septem in Italiam, decem in has Provincias, quatuor pace & bello in Gallias, binas in Africam, quæ sunt in universum itinera quadraginta. Horum gratiâ, octies mihi fuit navigandum mare mediterraneum, ter hic noster Oceanus, quem nunc quartùm cogito: His meis profectionibus, neque illam, quam per Gallias in has Prouincias, ob quædam isthic exorta, non levem, aut parvis de causis suscepi, neque cæteras, annumero, cùm in diversas meas Prouincias, Insulasque sum profectus. His negotiis profectionibusque præpeditus, abesse, cùm cæteris meis Regnis, tùm hisce me Provinciis sæpenumero fuit necesse. Ea res ne damno vobis existeret, Reginam sororem, hìc coram considentem, summæ rerum Præfeci; quæ qualem se præstiterit, quos potiùs, quàm vos sum testes citaturus? Bella quoque toto hoc tempore permulta gerere, non animi mei sententiâ, sed hostium iniquitas coëgit, tam me miseram illam rerum faciem non flagitante, ut nulla nunc mihi discedenti molesta æquè res existat, atque istud quod restat bellum, componi non potuisse: quod intellexisse vos è sorore Regina postremis Comitiis equidem existimo. Quàm mihi tot Regnorum, tot bellorum cura gravis extiterit, ex hac, quam videtis, mea valetudine, & suo quisque judicio æstimarit. Sæpiùs itaque, cùm in eam cogitationem incidissem, ut deesse mihi multa intelligerem, quæ tantarum rerum curæ convenirent, discedereque eo me munere debere existimarem, cui satisfacere minus possem; Graves nihilominus, cur sequi hunc animi mei sensum minus liceret, eæ sese rationes obtulerunt, quod neque matris valetudo, neque filii immatura ætas, pati hoc meum consilium posse viderentur. Dilata itaque est à me ista cogitatio; indè denuò repetita, cùm postremò hinc in Germaniam sum profectus. Verùm agitantem tùm me ista consilia, & valetudo mul-

Profectiones Cæsaris ultramarinæ.

„tò quàm nunc est firmior, & turbatæ undique res ab instituto „revocarunt. Metim itaque incommodo anni tempore sum aggres- „sus; probare enim imperio fidem meam cupiebam. Indé domum „ad vos reversus, Morinum, atque Heldinum expugnavi: Regem „Galliarum in has nostras Provincias transgressum, magnis sum iti- „neribus insecutus. Is cum pugnandi copiam nullam faceret, & „Valencenis diu substitissem: tùm anno insequente, Marieburgo „ab hoste occupato, veni Namurcum; indè in hostem progressus, „Rentiacum obsidione liberavi, cæteraque gessi, quibus neque „plura, neque majora potuisse, equidem dolet. Atque hæc ego, „quamdiu licuit; at nunc cùm morbis ingravescentibus, sufficere „valetudo nullam in partem potest, cùm filius jam est ætate ad res „gerendas idoneâ, differri hoc jampridem animo meditatum con- „silium diutiùs non oportuit. Vos itaque quo me patrem, eodem „hunc meum filium officio studioque excipite. De me ità judicate, „non ignaviam, cur de imperio decederem, sed hanc unam mihi „causam extitisse, quod vererer, ut me impedito, damnum Respub. „acciperet. Nostri itaque memoriam retinete, illaque nostra mo- „nita animo circumferte, quibus de concordia fovenda, Justitia „colenda, Religione Catholica conservanda, hæreticis profligan- „dis, sumus cohortati. Quæ cum Cæsar dixisset, tùm ad Regem conversus, sui eum officii commonefecit, subditosque ejus fidei ac tutelæ commendavit: Tùm *Philippus* Rex assurgens, patri ad pedes advolvitur, dexteramque venerabundus deosculatur; vicissim pa- ter omnium penè membrorum usu destitutus, eum peramanter com- plexus, Belgii Principem pronuntiat: præcepitque ante omnia, cultum & timorem Numinis ut nunquam abijceret, præcipuam re- ligionis conservandæ rationem haberet, legum ac juris auctorita- tem tueretur; has esse benè ac feliciter regnandi artes; Ad ea cùm Philippus voce demissâ, se Dei opt. Max. ope fretum, & amantissi- mi patris monitis egregiè instructum, quæ mandata erant, diligen- ter curaturum confirmaret, visus est illacrymasse Cæsar, suoque exemplo à circumstantibus Proceribus lacrymas expressisse. Indè

Responsio Iacobi Masii pro S. P. Q. Belgii.

Jacobus Masius, Assessor Senatus Antverpiensis, nomine totius conventus nonnulla præfatus de Ordinum in Cæsarem observantia, de maximis Cæsaris in se meritis, de dolore quem ex hoc discessu immensum caperent: hinc de Ordinum in Regem studio, de Re- gis, quam sperarent, benevolentia, nonnulla prolocutus, eò fle- xit Orationem, ut ærarii difficultates sublevari aliorum regnorum vectigalibus postularet; profectionem differri in proximam veris

temp-

tempestatem obsecraret; Cæsaris monitis parituros Ordines affirmaret, Religionemque eo majore studio conservaturos asseveraret, quod ad animarum salutem, ad publicam rerum quietem, Religionis tutelam pertineret: Sermonem postremò universum iis verbis finiret, quibus faustis acclamationibus Cæsari profecturo benè ominaretur. Tùm *Philippus* se quidem Gallicè intelligere, sed non ita loqui explicatè posse, testatus, per Antonium Perrenotum Granuellanum, Atrebatum Antistitem, ampla gravique Oratione de suo in patrem obsequio, subditosque voluntate, ea disseruit, quibus suscipere Provincias Regem profiteretur, subditisque æquissimi imperii leges polliceretur. Cumque *Philippus* consedisset, *Maria* Regina Hungariæ, Belgii moderatrix, eâ provinciâ, quam per viginti quinque annos, Cæsaris fratris mandatu, summâ fide & diligentiâ rexerat, se pariter abdicat. Eaque renuntiationum peractâ ceremoniâ, Cæsar Gulielmi Nassavii, Auriaci Principis humeris innixus, ex aula se subduxit: ac mense post interjecto, eodem in loco coram Belgii Ordinibus, quos in id evocaverat, Regnis, Provinciis, Insulisque tàm in nostro, quàm in novo orbe se exuens Cæsar, ea cuncta, eorumque jura ac possessiones Philippo transcripsit, stupendo sanè terrarum Regibus, cunctisque mortalibus exemplo, ac pro sua raritate prodigio, aut miraculo proximo, quo ipso meruit Cæsar, ut inter exempla illustrium virorum habeatur, qui in simili fastigio constituti, eandem vitæ clausulam fecerunt. Quidquid obganniant Cæsaris laudibus æmuli, persuasum est, Christianum Principem, magistro se, didicisse, per tot rerum eventus mundi fastigium, ac votorum apicem, onus esse grauissimum, quod abdicatione solâ deponitur. Quibus rebus eum in modum confectis, Cæsar necessaria ad profectionem Hispanicam instrui jubet; verùm ea, sive ob hyemis asperitatem, sive quod prudens pater optaret extremum actum regiminis pace concludere, in annum sequentem dilata est. Interim *Maria* Angliæ Regina, Regis uxor, per Reginal- *1556.*
dum Polum Cardinalem, gnaviter allaborabat, ut si pax integra fieri non posset inter Cæsarem & Regem Galliæ Henricum, induciæ in aliquot annos pangerentur, eæque assensu Principum in quin- *Induciæ inter*
quennium pactæ sunt, quarum lex præcipua: „Ut quisque in quin- *Cæsarem &*
„quennium possideret quæ belli tempore occupaverat: libera es- *Gallum.*
„sent utrobique commercia, ac fœderati, quos invicem dicerent, „beneficio pacis fruerentur. Acta transactaque sunt hæc Cæsaris, Regisque Philippi nomine, à Carolo Comite Lalaignio, Simone Regnardo, Carolo Tisinakio, Philiberto Brusselio, ac Joanne Bap-

tista

tista Schiccio Mediolanensi, Cæsaris Consiliariis: nomine Regis Henrici, à Gaspare Colinio maris præfecto, Abbate Bassefontaine, ac Abbate D. Martini, Regis Consiliariis, Nonis Februari 1556. Eas inducias Colinius Bruxellis coram Imperatore jurejurando sancivit, Blöesis Lalaignius jurando firmavit. Interea *Paulus IV.* Pontifex, Hispanis infensus, & Gallis studiosus, advocato Gallorum exercitu, bellum contra Philippum Hispaniarum Regem paravit, ut eum Regno Neapolitano depelleret. Id Dux Albanus strenuè fortiterque excepit, & afflictis Pontificis opibus, ab incepto Paulum desistere, & pacis conditiones accipere cöegit. Initæ pacis leges, quod Rex Philippus debitum Pontifici obsequium deferre & Pontifex eum in veterem gratiam restituere teneretur, nevè in Galliæ, aut Hispaniæ factionem inclinaret. Præthereà, ut omnibus, qui ejus occasione belli deliquissent, nulla pœna infligeretur, & ad pristinos honores reciperentur: ut oppida à Cæsarianis capta, Sedi Apostolicæ restituerentur, Palianum sequestre fieret, & fido præsidio, communique sumptu defenderetur. Nam in hoc bello Pontifex Columnios persequutus, Marcum Antonium Columniam, & Ascanium patrem afflixerat, oppida quæ in Ecclesiastica ditione Columnii habebant, eripuerat, eaque Joanni Carafæ nepoti, quem Ducem Paliani vocavit, dono dederat.

Paulus IV. Pontifex Hispanis infensus, Gallis addictus.

Pax inter Pontificem & Philip. II. his legibus pacta.

Cæsar Imperio se abdicat

Postremò Cæsar (ne quid animus mortale curaret) Imperii (quod unum ei supererat) coronam, sceptrumque *Ferdinando* fratri transmisit. Sed cùm non lateret eum, penes Septem-viros Electionis, cessionis, & abdicationis omne jus residere, & id citrà eorum consensum & auctoritatem fieri non posse VI. Cal. Mart. honorificam ad eos legationem adornavit, cui præesse jussi Guilielmus Nassavius, Auriaci Princeps, Georgius Sigismundus Seldius, Augustalis Vice-cancellarius, & Wolfangus Halerus, ab epistolis; ut ejus nomine imperatoriam dignitatem ejurarent, & in Ferdinandum Rom. Regem jus suum transferrent. At Cæsar non expectatâ Legatorum profectione, Philippum filium ultimò complexus, profusis lacrymis adhortatus est, ut Romanam Ecclesiam, quantis posset viribus, tueretur: Et si amplissimam, inquiebat, Monarchiam, tanto Majorum tuorum labore partam, retinere velis, tuis in Regnis alienos à Religione Catholica, nequaquam patiaris. Tùm XV. Cal. Octob. Suburgo è Zelandia solvit, cum *Eleonora* Franciæ, & *Maria* Hungariæ Reginis sororibus In classe erant Cantabricæ naves XVI. Belgicæ XX. ac XXI. Anglicæ, omnes militares, cum Prætoria, quâ ipse vehebatur; sicque ferente vento, tandem feliciter Laredum

Cæsar proficiscitur in Hispaniam.

Can-

Cantabriæ oppidi portum invectus est. Vix descenderat è Prætoria navi, quum fæda ilicò exorta tempestas, classem disjecit, Prætoriam hausit, quasi non vecturam amplius (ut Strada observat) Cæsarem, Cæsarisque fortunam. Ferunt, ubi primùm littus attigit, prostratum in genua, osculo terram libasse, atque addidisse; *Salve mihi optatissima mater, nudus è matris olim utero prodii, nudus ad te tanquam alteram matrem redeo.* Tùm auream pendentis in cruce Christi effigiem proferens: Te Duce, inquit, ô Christe, toties cum hoste feliciter conflixi, tot victorias, triumphosque reportavi, nomen mihi, famamque comparavi: quicquid inde decoris, quicquid gloriæ, Tibi, qui tribuisti, acceptum refero. Et quoniam corpori meo hanc terram post fata sedem elegi, Tu animæ felicem exitum concede, ac totam tibi, auctor ipse, vendica. Indè Vallisoletum lecticâ devectus, ac biduum cum nepote Carolo, Hispaniæ Principe, demoratus, postquam præceptis ad virtutem & gloriam idoneis, eum informasset, ad Divi *Iusti* Hieronymiani sodalitii cœnobium, in Lusitaniæ, Castellæque finibus, octavo à Placentiâ lapide, situm, se contulit, nullo satellitio stipatus, præterquam duodecim ministris, ac uno equo, quo propter imbecillitatem vehebatur, contentus. Ibi cùm esset, edixit, ne Cæsar, ne Augustus, sed Carolus dumtaxat appellaretur. Cum Regnis titulos etiam & nomina exuit, & ex tot amplissimorum regnorum immensis opibus, centum aureorum millia sibi tantummodò seposuit. Id cùm intellexisset Franciscus Borgia, protinus exclamavit: ô virum magnum, qui cum de hostibus toties triumphârit, seipsum tandem vincit. Sed & illum invisit, triduoque apud eum moratus, cum abitum pararet, ducentos illi aureos dono *Carolus* dedit, adjecitque: Exiguum id munus est, fateor, sed mèmineris me tot Regnis, tantisque bonis exutum, privatam agere personam, cujus si statum consideres, nunquam majus à me beneficium accepisse te, cognosces. Vixit in ista solitudine biennìo nondum circumacto, quo tempore dies, ac noctes precibus ad Deum fundendis insumebat, mundo se jam, imò & Deo in hac mortali vita inutilem deinceps esse, dicebat. Cœlesti epulo ferè quotidie reficiebatur. Postremò exequiarum occasione, quas matri anniversarias persolverat, & suas celebrandi, animum cupido incessit, ac quamprimum necessaria ad justa funebria apparari sibi jussit. Ergò excitatur in templo Cenotaphium, faces undique collucent, veste pullâ circumstant famuli, mortuale sacrum, & solemnia Ecclesiæ feralia, lugubri Monachorum cantu, peraguntur. Ipse funeri suo superstes, audiebat exequiale carmen, placidam

Cæsar confert se ad D. Iusti Cœnobium.

Ejus humilitas.

Iusta funebria sibi vivo persolvi curat.

dam sibi quietem, beatas inter sedes implorantium, eademque ipse sibi suffragia exposcebat. Atque hoc rudimento, principioque Carolus vicinæ jam morti proludebat: namque altero ab exequiis die, febri correptus, eâque sensim excedente consumptus, Cruci affixi Servatoris imaginem per multos dies ulnis, oculis, oreque complexus, sumptoque viatico: *In me mane*, inquit, *dulcicissime Servator, ut ego in te maneam.* In quæ verba deficiens, nocte ante festam lucem Evangelistæ Matthæi, annorum octo & quinquaginta, ingenti pietatis & religionis sensu excessit, cum annos quadraginta regna hæreditaria, sex & triginta Imperium tenuisset. Paulò postquam ægrotare cœpit, crinitum sidus in cœlo fulsit, initio non admodum illustre, sed quod subcrescente morbo, per eadem incrementa lucem intenderet, donec verso in Hieronymianum cœnobium ferali crine, quâ horâ Carolus vivere, illud videri desiit. Quinque ante obitum annis, urnam feralem sibi construi jussit, cum funebri apparatu, deportandam quocumque iret, atque etiam dum Mediolanum contra Gallos proficisceretur, apud se habuit. Arbitrabantur illi, quibus rerum maximarum cura demandata erat, ac frequenter cum Cæsare agebant, regiam Gazam, aut Annalium monumenta, aut rem ingentis pretii, ibi recondi. At Cæsar sibi conscius, in quem usum secum deferret, rem sibi omnium charissimam ibi latere, subridendo, jactabat. Sic assiduè capulum funebrem sibi adesse voluit, ut perpetuâ mortis cogitatione, res humanas, earumque fastigium despicatui haberet, Deoque viveret.

Mors Mariæ Reginæ Hungariæ, & Eleonoræ Reginæ Franciæ.

Caroli mortem, mox *Mariæ* Reginæ Hungariæ, dilectissimæ sororis mors secuta est, quæ non totum mensem fratri superstes fuit: & Februario ante, *Eleonora* ejus soror, quæ primum Emanueli Lusitanorum, deinde Francisco primo Francorum Regi nupserat, fatis concessit: ut non immeritò in Cometas convitia Poetæ congesserint. Apud Virgilium, nominantur Diri, & lugubre rubentes. Apud Lucanum, Crines timendi Sideris. Apud Mantuanum fatale astrum. Apud Claudianum, nunquam cœlo spectati impunè, sanguineo igne Cometes.

Parenti non solum de se, sed de Repub. Christiana optimè merito *Philippus* regiâ pompâ Bruxellis justa fecit, nave miro artificio fabricatâ, quæ a *Spe* in prora stante, *Fide*, quæ solio ad malum cum cruce assidebat, & *Caritate* clavum tenente, regebatur. Hac figurâ significans, non aliud optimo Principi in hoc humanæ vitæ salo propositum fuisse, aut aliò labores ejus pertinuisse, quàm ut gloriam Dei, quibus posset rationibus, promoveret & amplificaret.

Verùm

Verùm quæ de Cæsare sparsim dicta sunt, ad compendium conferam, exordiumque ducam ab habitu oris & vultûs. Erat igitur ejus vultus argenteo quodam pallore dilucidus; oculi glauci & cæsii, nullâ acri severitate formidabiles; nasus è medio clementer assurgebat, quod magnitudinis animi signum in Persarum etiam regibus ab antiquis fuit observatum; labia lata & subrubente colore florida; mentum erat paulò prominentiùs, & quod venustatis speciem addebat, subcrispâ & flaventi barbâ decorum; Cæsariem verò fulgore flaventis auri, more Romanorum Cæsarum, circumtonsam ostendebat. Erat staturâ mediâ, valido nervorum nexu firmissimâ; manus ad stringendum ferrum prævalidæ, crura autem, extantibus suris, venustissimè directa, quod tum maximè apparebat, cùm equo insideret: tanta enim ei inerat cum dignitate equitandi peritia, ut non Bucephalo illi suo Alexander Magnus vel insederit decentius, vel agitarit animosius scientiusque, quàm ille ferocissimum quemque equum sit moderatus. Habitus corporis C.

Patrem habuit Philippum Austriacum Regem Castellæ & Legionis: Maximiliani Cæsaris filium. Matrem Joannam, filiam Ferdinandi & Elizabethæ, regum Castellæ & Aragoniæ. Ingenio fuit candido, miti, commodo, ad disciplinas facili, taciturno, modesto, æquo, veraci, magnanimo, forti, versatili, prudente, cunctabundo, amicitiæ appetente, vindictæ non cupido, subtristi magis quàm læto, semper constante & ubique suî simili.

Infantiam transegit Mechliniæ apud Margaretam Maximiliani Cæsaris filiam. Pueritiam ejus moderatus est Archiepiscopus Bisontinus Vergiacus vir gravis, & post hunc Gulielmus Croïacus, Marchio Arischotiæ. Porrò Maximilianus Cæsar, Caroli avus & tutor, cupiens eum optimis & literis & moribus imbui, Adrianum Florentium Ultra-jectinum, virum gravem & eximium Theologum, ei præceptorem adhibuit. Adrianus perspecto Caroli ingenio, nihil in eo optimè instituendo prætermisit: Carolus vicissim morigerum se præbuit, & lectioni, scriptioni, aliisque literariis exercitationibus diligenter incubuit. Verùm cùm Guilielmus Croïacus Marchio, rebus militaribus, operam eum dare permitteret, cœpit gladiatoriam umbratilem exercere, rudibus ludere, sarissam vibrare, ensibus digladiari, equestria discere, equos domare, in catadromo decurrere, canibus & equestri cursu excitare & agitare feras: quibus fiebat, ut literarum studia sensim refrigescerent, etsi amorem illorum & reverentiam nunquam excussit. Et sæpiùs eum pœnituit, quod non paruisset præceptori Adriano, latinæ linguæ cognitio-

nem commendanti: nam cùm Genuam fortè advenisset, ibique Oratorem latinè dicentem audisset, in ejusmodi vocem cum gemitu erupit: dare se nunc puerilis incuriæ pœnas, & præsagum Adrianum præceptorem fuisse, qui hanc pœnitentiam ei prædixisset.

Anno ætatis suæ quinto decimo, sui juris factus, Belgicis ditionibus inauguratus est. Exindè magnopere studuit, Regum & Principum affinitates sibi conciliare. Lusitano Regi Eleonoram; Daniæ Regi Isabellam; Pannoniæ Mariam sorores suas collocavit. Henricus Angliæ Rex, ejus materteram Catharinan, Ferdinandi Hispaniæ Regis filiam, jam ante conjugem acceperat Anno ætatis decimo septimo, primò in Angliam, mox in Hispaniam navigat, ejusdem regni habenas moderaturus Interim per nuntios certior fit, Maximilianum Cæsarem mortem obiisse, cumque urgeretur, ut ad Imperium aspiraret, veritus, ne Franciscum primum Galliæ regem eâ re offenderet, quod is quoque ambire diceretur, suum illi animum aperuit. Respondit Rex Franciscus: nihilo magis se offensum iri, quàm si duo proci virginem unam ambirent; pergeret proindè bonis avibus, Deum feliciori adfuturum. Felicior fuit Carolus, cui Septem-virûm calculis Imperium delatum, decimo quartoCal. Augusti;quæ illi causa fuit maturius in Belgium redeundi. Relicto igitur in Hispaniis Adriano, quondam præceptore suo, jam Episcopo Dertusensi cum summo imperio, in Belgiumcontendit, & Aquisgrani in Regem Romanorum coronatur & inungitur.

Indè anno ætatis vigesimo primo, ad conventum Wormatiensem profectus, Lutherum ejusque scripta damnat. Ad ea Comitia, Lutherus puplicâ fide datâ, fuerat evocatus: erant tamen Principes & alii, qui suaderent, ut Lutherum, fide non servatâ, detineret, quod ejusmodi Reipub. & Ecclesiæ perturbatori, in Deum ipsum injurioso, nulla fides deberetur. At Carolus eum jussit in Saxoniam reduci, dicens: fidem rerum promissarum, etsi toto orbe exularet, tamen apud se consistere oportere.

Ejus virtutes & encomium.

Abstinentiam, tanquam Numen, propemodum coluit. Nunquam illi mensa exquisitis dapibus strata, nisi Princeps quispiam, aut Rex conviva esset, Nunquam odores incendebantur: Nusquam præter modum lautâ utebatur supellectile. Prandebat & cœnabat solus & tacitus, circumstante Procerum Nobiliumque coronâ, adeò ut convivia illi essent sine conviva; obviis potiùs, quàm artè paratis cibis, delectabatur, & illi cibus potusque ad dimensum constabat. Vino modico, sed præstanti utebatur. In omni vita permodicus in cultu fuit, nusquam purpurâ Tyriâ, nusquam pretiosâ& regali

regali veste usus, sed plerumque atrâ laneâ: Et in primo solemnique ingressu Mediolanum, umbellâ aureâ exceptus, in laneâ pullâ penulâ sub ea se dedit.

Laudaret Carolum V. castitas ipsa, si loqui posset. Is enim castissimi pudoris decus, fidemque conjugalem, constante cum Elizabetha Lusitanica matrimonio, itâ religiosè servavit, ut nunquam ullâ sinistrâ de ejus castitate suspicio fuerit. Adversus adulteria fœdasque libidines implacabilis erat, atque idcircò cùm audivisset bello Germanico Farnesium, copiarum Pontificiarum Ducem, ingenuas aliquas matronas construpasse, vehementer inardescens & dextram gladii capulo admovens: Si adesset, inquit, impurus ille, hâc ipsum manu confoderem. Eum mox, bello nondum confecto, excedere, & in Italiam redire jussit. Non ignorabat castissimus Princeps, magnum Regnorum firmamentum ornamentumque pudicitiam esse, luxuriam verò eorundem exitium.

Varias callebat linguas, quod illi magnas attulit commoditates. Itaque in bello diverso utens milite, cum Germanis germanicè, cum Hispanis hispanicè, cum Italis italicè, cum Belgis gallicè, cum Neapolitanis mixtim hispanicè & Italicé loquebatur. Hungaris, Boëmis, Dalmatis, Macedonibus, aliisque non minus scitè, quàm si gentis ejus esset linguâ respondebat.

A risu fuit abhorrens, quod idem de Carolo Magno legitur: interim tamen solerti & amœno ingenio eum natura instruxerat; in apophthegmatibus, & acutè, salsè breviterque dictis, valdè elegans fuit, sic ut Atticus quidam lepos in ejus sermone appareret. Post obitum Francisci Sfortiæ, cùm Gallicus Legatus Mediolanensem Ducatum Regis sui nomine ab eo peteret, respondit. Idem mihi placet, quod Fratri meo Galliæ Regi placere intelligo. Hoc responso, Legatus Carolum assentiri existimans, id ad Regem confestim perscripsit. At verò Carolus Ducatum illum non minus sibi, quàm Gallo placere sentiebat, atque idcircò non minori à se studio retinendum, quàm à Gallis expeteretur.

Cæterùm, quanta ejus pietas, tanta in Deum fiducia; non enim suis viribus fidebat potentissimus Princeps, sed totus à Summi Numinis ope & auxilio pendebat. Quotidie manè priusquam vestiretur, talari dumtaxat togâ corpori obductâ, & genibus terram premens, divinæ Majestati preces horæ unius circiter spatio fundebat: ac tùm nemini in cubiculum patebat ingressus; Deindè cubicularius admissis, Ecclesiasticorum preces horarias recitabat, ac postea Reipublicæ negotiis vacabat. Hinc ad Sacrum audiendum se conferebat,

bat, cui in omni vita semper interfuit, præterquam in bello Africano semel. Absoluto sacrificio, prandio se reficiebat. A prandio omnibus patebat, nulli se subtrahebat. Alloqui eum, supplices porrigere libellos, querelas deferre, negotia quævis exponere, omnibus permissum. Et si perterritos Majestatis reverentiâ animadverteret, animum addebat, ipseque suaviter eos interrogabat.

Cum bella gereret, ipse in castris egit hyemes cum cætero milite sub pellibus, sudavit æstates inter bella pariter: omnium castrensium munerum numeros primus obivit, stetit pro signis, vallum tulit, locum bello antecepit, in prælium primus ivit, postremus excessit, utrumque juxta doctus opere & exemplo militem, Ducem consilio, agere: persæpè statarium prandium ad necessitatem corporis cepit, gaudens castrensi cibo, ministro obvio & poculo fortuito. In omnibus expeditionibus bellicis, nullo trepidationis signo dato, omnibus sese periculis impavidè objiciebat, ut nusquam ob catapultarum ictus caput summitteret, nusquam pedem moveret, nusquam expallesceret. Cum castra ad Ingolstadium metatus esset, fœderati Germaniæ rebelles, ingentibus copiis castra ejus cinxerunt. Nondum verò illi animus pugnandi, quod è suis aliquos adhuc exspectaret, & mox tutam sineque clade victoriam futuram prævideret. Sed ecce rebelles æneorum tormentorum numero validi, tantum ferreæ grandinis in castra jaculàbantur, ut uno die sex majorum globorum millia, numerarentur. Istis ictibus omnia pervia, adeoque ipsum Cæsaris tentorium, & quidam à latere ejus & à tergo occisi. Quid ipse? nec locum, nec vultum mutavit. Monebant amici, ut in se omnes servaret. Ille subridens: Quisquamnè, inquit, Imperatorum unquam ictu tormenti periit? Varia quotidie ad illum, nunc læta, nunc adversa afferebantur, nunquam tamen familiares domesticivè, quæ significata fuissent, ex ejus vultu animadvertere potuerunt; tanta erat oris, oculorum & totius vultus Cæsarei constantia & quasi perennis quædam serenitas.

Veteres Justitiam virtutem regiam appellârunt: quia illa virtutum regina, Regibus in primis est necessaria. Et sceptrum regale, non signum inanis gloriæ, sed virgula Justitiæ est. Unde Carolus Cæsar ita coluit Justitiæ tribunalia, ut nonnunquam inter Flandriæ Senatores ipse jus dixerit. Sæpè etiam in Zelandiam Bataviamque profectus, ut subditis jus æquissimè administraretur, curas suas impendit. Quâ de causâ ipse aliquoties Hagæ-Comitis in Senatu comparuit. Et quidem cum translato in Philippum filium Belgarum Imperio, Belgis valediceret, in celeberrimo hominum consessu affirmavit: Non semel se in jure dicendo graviter erravisse, aut rudis

adolescentiæ imperitiâ, aut aliæ humanæ imbecillitatis vitio deceptus. Id nihilominus, inquiebat, audeo asseverare, nulli me volentem scientemque injuriam, damnum, aut vim fecisse: Ea in re si erravero, aut si injuriâ læsus quis extitit, eam me ignorantem dedisse, testor profiteorque, ejusque culpæ veniam deprecor.

Beneficentiâ verò in egentes, omnium Regum, Principum, Cæsarum munificentissimus est habitus. Quippe adhuc puer, aureos quadraginta in pauperes quotidie erogabat, sæpè septies uno die insciis Præfectis, œconimisque idem præstabat. Factus autem Imperator, ingentem pecuniæ vim, ad inopes puellas matrimonio jungendas, juvenum studia promovenda, senum vitam sustentandam, captivos ab hostibus redimendos, ægrotos curandos, magnâ profusione expendit: omnia egit indefessè & benignè, pietate maximâ, ostentatione nullâ, quippe clanculò donabat, cùm ut accipientium pudori, tùm ut suæ modestiæ consuleret. Deposito Imperio, & abdicatis tot amplissimis à se Regnis, ex iis ad rei familiaris vitæque usum, centum dumtaxat aureorum millia sibi seposuerat, ex quibus, quamdiu illi superstes vita fuit, millia quatuor quotannis expendebat, reliqua, largificâ stipe in viduas, pupillos aliosque calamitate oppressos, conferebat. Illud enim benè collocatum credebat, quod pro Christi gloria expenditur, eumque debitorem habere potiùs esse, quàm omnia possidere, qui pro frustro panis regnum largitur.

At encomiis supersedeo; istud tantùm addo. Si virtus ipsa suis absolutissima numeris, artifice delineari posset penicillo, unius felicissimi invictissimique Caroli V. Cæsaris vultum, animum & mores, ei ad vivum exprimendæ abundè suffecturos: ubi velut in altera Archimedis vitrea sphæra, loco cælestium motuum, divinæ dotes interlucent, Caroli Magni pietas, Henrici II. orthodoxæ Religionis zelus, Frederici IV. frugalitas, Rudolphi I. Justitia, Maximiliani I. clementia, Frederici IV. magnanimitas. Pro Sacro Imperio plurimos feliciter labores exantlavit. Per Europam omnem bellum gessit & triumphum: Hispaniam tumultuantem compescuit; Gandavenses rebellantes sub jugum misit. In Italia Sfortias fratres Mediolano reddidit, ac post eorum obitum, sibi, ut feudi Domino asseruit. Pontificem, Florentinos, Senenses, Genuenses, vel erexit socios, vel hostes afflixit. In Germania Solymannum nunc trecentis, nunc propè sexcentis suorum millibus armatum bis Viennâ depulit. Proceres confœderatos acie victos, perdomuit. Et quasi Europa tot victoriis augustior foret, transmissus in Africam, barbaris gentibus Regem & jura dedit; Franciscum Valesium Galliarum Regem ad Ticinum captum, ac Madritum

ductum tot triumphis adjunxit; tranquillitatem ubicumque non invenit, fecit. Septuaginta bella, Deo auspice, fortiter suscepit, & feliciter confecit, nunquam acie, aut prælio victus. Demùm, quod prodigio proximum, reposito ad manus Ferdinandi germani sui Imperio, & onere omnium Regnorum & Provinciarum in Philippi Secundi filii humeros reclinato, stupentibus terrarum Regibus, cunctisque mortalibus, & solidissimam animi magnitudinem admirantibus, in D. Justi Cœnobio, Deo, sibique, quod vitæ supererat, vixit, ac prærepto ante obitum funere, vivum se viventium albo expunxit Vixit annos 58. menses 6. dies 27. Imperavit annis 38. Decessit 11. Cal. Octobris, anno salutis 1558. Non Romani Germanicum, Persæ, & Macedones Alexandrum, quantùm subditi, alienique Carolum luxêre. Sepultus est Granadæ, Bæticæ urbe primariâ, juxtà matrem Joannam & avum maternum Ferdinandum, aviamque Isabellam. Antequam verò manum de tabula tollam, lubet rem ingenti admiratione dignam, & miraculo proximam attexere; nimirum, quod anno 1656. cum potentissimi Philippi IV. Hispaniarum Regis jussu, Majorum suorum regia cadavera, ad insigne illud & toto orbe celebre Pantheonis monumentum traducerentur, invictissimi Imperatoris Caroli V. cadaver adhuc integrum, & incorruptum repertum est, nulla labe contaminatum, aut putredinis carie infectum; Spectaculum sanè mirificum, & planè admirandum, post annos nonaginta & octo incorruptum permansisse, ut tradit P. F. Franciscus de los Sanctos, in descriptione Fabricæ D. Laurentii & Pantheonis. Verùm cùm nullo artis præsidio corporisvè conditurâ, nullâ cadaveris exenteratione, nullâ excrementorum purgatione, nullâ aromatum vi pollinctum fuerit Cæsareum cadaver, quæ à putrefactione præservare potuissent, ipso Imperatore sic ante obitum jubente: quid aliud dicere possumus, nisi inculpatam ejus vitam, sanctimoniæ magnum præbere indicium; cujus adhuc multò anteà certissimum signum dederat: nam cùm anno quarto decimo ab illius obitu, in cœnobio D. Justi corpus exhumaretur, non solùm integrum & incorruptum inventum est, sed thymi quoque ramusculi, quibus, Monachorum more, respersum fuerat, virides, & optimum odorem adhuc spirantes, apparuerunt: maximum sanè probitatis & sanctimoniæ argumentum, quo Deus omnibus palàm ostendere voluit, corporis hanc integritatem, tam sanctæ vitæ, & fidei propugnatoris maximi, præmium extitisse. Atque hæc quidem in Caroli V. longè religiosissimi, potentissimique Imperatoris commendationem, pro nostri instituti brevitate dicta, sint satis.

PHI-

PHILIPPUS SECUNDUS
HISPANIARUM REX.

VIx pactæ inter Philippum, & Henricum Francorum Regem quinquennales illæ induciæ toto vertente anno consliterant, cùm Gallorum Rex occasionem rumpendi fœderis, jam diu animo agitans, Franciscum Lotharingum Guisium, cum exercitu in Italiam mittit, ut secundum nuper initum fœdus, Pontifici adversus Albanum, qui in Latio bellum gerebat, præstò esset, & Caraffeos Philippo repugnantes, tueretur: Cumque animo provideret, Guisii in Italiam profectione, inducias ruptum iri, ne sine insigni aliquo facinore bellum rursus recrudesceret, negotium dederat Casparo Colinio, maris Gallici præfecto & Picardiæ præsidi, ut in hostico aliquid ex improviso conaretur. Itaque subitâ eruptione Duacum insidiis tentat, at irrito conatu. Indè Lentium, Artesiæ urbem vi capit, diripit & incendit, fœdatisque vastitie agris & sacro limite, ingentique prædâ abactâ, ad suos revertitur. Violatis hunc in modum induciis, quas solemni jurejurando ipse Colinius firmaverat, Philippus trajectu in Angliam è Pleumosiis facto, Mariæ uxoris, Anglorumque auxilia poscit, decretoque Procerum regni, tùm assensu populi Anglici, qui pro more gentis interponi solet, voti compos factus, bellum per fecialem Gallo denuntiat. Mox classe in Belgium revectus, haberi delectus jussit, turmisque equestribus supplementa procuravit. Deindè, coacto ad Givacum exercitu, quem conflabant triginta millia peditum, & duodecim millia equitum, ductorem dicit Emanuelem Philibertum Sabaudiæ Ducem Belgicæ præsidem, vulgatoque, ac si in Campaniam expeditionem adornaret, frustrà impetito Rocroio, mox in Picardiam flectens, equitum turmas cum expedita peditum manu præmittit, subsecutusque cum reliquo exercitu, Quintini fanum, olim Veromanduorum Augustam 4. Nonis sextil. circumsedet, & haud procul Sabi flumine, quod urbem modico alveo lambit, castra locat. Mox suburbio, & propugnaculo, quod cis flumen erat, occupato, arctiore obsidio urbem premit, dispositisque opportunis locis tormentis, oppugnare aggreditur. Oppido præerat Bruelius & cum eo Carolus Tolignius cum ala equitum ipsius Delphini & exiguo defensorum numero. Itaque Colinius

1557.

Henricus Francorum Rex pactas cum Cæsare inducias violat.

Philippus arma parat.

Quintini fanum obsidet.

nius Picardiæ Prætor, illicò ſex equitum turmas acceſſit, gravis armaturæ tres, levis totidem, ac peditum ſigna quina. Quibus copiis ſtipatus, noctu ad obſeſſos tranſvolavit cum tertia parte cathaphractorum, & peditibus ducentis quinquaginta; reliquum equitatum, ac omnem fere peditatum, militaris diſciplinæ confuſio ſeclusit. Secundum hæc nititur Andelotus Colinii frater è Perona egreſſus, cum ſignis 15. obſeſſis ſuppetias ire, qui cautè ſolicitèque perrimatus viarum anfractus, num quà in laborantem urbem pervadere poſſet, ſimulatque in Burgundiorum venit conſpectum, nullâ fere moleſtiâ, cæſus, pleriſque ex ſuis amiſſis, cum paucis ſe periculo ſubduxit. Interim cum videret Colinius quàm parum præſidii in obſeſſa jam urbe eſſet, ac de introducendo ſubſidio ſolicitus, advertit per ſubjectam paludem commodè introduci militem in urbem poſſe, ſi quædam voragines opplerentur, & lintrium numerus ad trajectionem præberetur: eaque de re Momorantium, Magiſtrum Equitum Gallicanorum certiorem fecerat. Eapropter Momorantius delecto comitatu ſtipatus VI. Id. Sextil. caſtra Philippica diligentiſſimè explorat: ſitum, ſtatumque eorum curioſiſſimè perveſtigat: qui poſtquam comperit, equitatum omnem in citeriore amnis ripa conſiſtere, & trans Sabim paucas admodum diſpoſitas eſſe peditum ſtationes, conſilium rei gerendæ cepit. Poſtridie igitur (qui dies D. Laurentio erat dicatus) adduxit copias omnes, nimirum 16. circiter millia peditum, equitum vero quatuor, una cum tormentis quindecim: ſimul munitionem immenſam, & naves fluviatiles ſecum vehens: & ita inſtructo in aciem exercitu, multo mane in diverſa fluminis ripa conſiſtens, tela vibrare; minari inſultum caſtris; milites navibus imponere, eoſque ſecundo flumine in urbem tranſmittere: denique nihil intentatum relinquere, quo ſic novis præſidiis obſeſſos confirmaret. Verum cum pauciora ad tranſitum eſſent navigia, & certatim in ea irrueret militum turba, effectum eſt, ut aggravata pondere, uliginoſo hærerent limo, quò fiebat, ut ſaltu inde in profundas voragines ſe præcipitarent, quibus pars hauſti, pars huc illuc vagi ad ludibrium hoſtis diſpergerentur, ſicque pauci admodum, & in iis Andelotus, intra urbem incolumes penetrarunt. Sabaudus cum Egmundano, de Gallis in reditu intercipiendis conſultat. Mommorantius ratus univerſos auxiliares in urbem receptos, ſignum receptui jam dabat. Itaque Sabaudus copiarum partem trajicere Sabim flumen, equitatumque confeſtim ſubſequi juſſit Egmundanus aſſecutus Gallorum exercitum, inter Eſſinium pagum & Rizerollam caſtellum, cum octo equitum agmini-

Mommorantius cum ſuis cruentâ ſtrage profligatus

minibus primus in equitatum Gallicum irrumpit, tanto impetu, ut primo congressu turbatis ordinibus, Franci sint disjecti & prostrati. Ità profligato equitatu, peditatus se, densatis ordinibus continebat, sed displosis eminùs tormentis, fracti & proculcati, tandem post longam, cruentamque stragem, intra semi horæ spatium, omninò deleti sunt. Bis mille & quingenti, ac inter eos nobilissimi Gallorum cæsi, cruentatis sanguine campis jacuêre. Præda ingens parta, omnisque feré Gallorum apparatus, arma, & machinæ, cum signis militaribus victoribus obvenêre. Burgundiorum verò quinquaginta illo ipso in certamine interiisse fama vulgavit. Quarto post pugnam die, Philippus in castra ad Quintini fanum venit, tùm redintegrata verberatio est, placuitque, ductis cuniculis, fatalem impressionem in urbem facere. Eapropter præstructis pluteis, & tormentorum ordine disposito, per longissimum terræ ambitum (à porta nimirum D. Joannis, usque ad flumentanam) XII. Cal. Septembris urbis muros totos sex dies continenter quasiat, tanta vi & pertinacia, ut turribus dejectis, editaque septem locis ruinâ, Hispani, Belgæ, & Angli labem muri, atque urbem tribus locis, uno eodemque tempore invaderent. Cæsi sunt Præsidiarii ferè omnes: *Quintini fanum expugnatum.* Civibus, direptis fortunis, parcitum, Duces aut cæsi, aut capti. Capti præter Colinium & Andelotum (qui se mox victori subripuit) Jarvacius, Sanremigius, Humius, Bruëlius, Rambulietus, Sanromanus, aliique primi nominis Id actum VII. Cal. Septemb. 1557. In hujus victoriæ memoriam idem Rex cœnobium verè regium in Scuriaco à fundamentis excitavit, & S. Laurentio dicavit, quod hodie inter Christiani orbis miracula numeratur.

Quintini fano potitus Philippus, Joannem Lignæum Arenbergium, Frisiæ præfectum, cum delecta suorum manu auxiliaribusque copiis Casteletum amandavit. Qui, ne tempus gerendis acceleran-disque rebus destinatum, muniendis castris insumeret, in circumjacentes campos, nullo vallo, aut fossâ præductis, repentè effusus, locum naturâ munitum aggressus est, murique parte vi machinarum repentè subrutâ, cæptandæ oppugnationi se paravit. *Casteletum, Hamum Noviodunum & Caunium uno victoria cursu capta.* Cæterùm præsidiarii sociorum ad Quintini fanum clade fracti, simulque rerum instantium metuentes, Arembergio se permisêre. Eodem victoriæ cursu Hamum cum arce expugnatur: Dein Noviodunum & Caunium capta. Quâ in Galliam expeditione, inoffenso rerum cursu, peractâ, de reducendo in Belgicam exercitu Philippus mox consilium cœpit, motisque per ingruentis brumæ incommoda castris, in Hyberna se recepit.

1558. Interim Henricus Rex, ad sanandum existimationis vulnus, ac damnum aliqua ex parte resarciendum, multis Helvetiorum & Germanorum conductis millibus, atque excitâ totius regni Nobilitate in Picardia ingentem exercitum conflavit, cui Guisium summa cum auctoritate præfecit. Hic itaque alienissimo tempore per Morinorum agros, mediâ ferè hyeme, ad Caletum castra ponit. Hæc civitas etiamnum eo loci posita est, quo antiquitùs Itium portum promontoriumvè fuisse, & Cosmographorum tabulis; & à Julio Cæsare est notatum, in extremis Belgarum Morinorumque finibus ad Oceani angustias. Guisius igitur Cal. Jan. 1558. usque ad pontem arcis, Novambrigæ vulgò, munitissimæ accessit. Castellum illud est mille ab urbe passibus, inde ceu è catarrhacta per meatus secretiores exundante mari, per subjectam planitiem, aqua in fossas, camposque urbis undequaque circumfunditur. Hic præproperè uno simul tempore hanc arcem, atque illam speculam, quam Risbancum vernaculè vocitant, tormentorum vi ac fulmine concutit. At Angli repentino hostis conspectu deterriti, deserto propugnaculo, turpi fuga in urbem se receperunt. His effractis repagulis, aditus Guisio ad urbem patebat. Præerat ei Dumfortius regulus, vir ignavus & belli nesciens. Cæterum ubi pluribus simul ex partibus tormentis frustrà exagitata urbs, spem expugnationis Guisio ademisset, resperſam vim in arcis demolitionem, quæ secundum mare sita est, convertit, & mane Epiphanias admotis 33. majoribus tormentis tanta pertinacia pulsatio facta est, ut fragor ille Antverpiæ exaudiretur, quod terræ intervallum 33 milliaria complectitur. Posteaquam igitur luculentam edidisse se ruinam conspexit, sub discessum æstus maritimi, illo ipso vespere, horâ noctis ferè octavâ, ad labem accedit, in quam Galli tanto impetu invaserunt, ut obviis trucidatis, mox arce potiti sint, & defensores qui supererant in urbem confugere coëgerint. Guisius igitur occupatæ arci fortissimorum militum præsidium extemplò imposuit. Britannos verò desertæ tam subitò arcis pudor & pœnitentia subiit, qui quantum momentum ad urbem capiendam afferret serò animadvertentes, omni ope ad eam recuperandam se accingunt. Sed non minore virtute propugnantibus Gallis partam stationem, occiditur Anglorum melior pars, pars deturbatur, pars in fugam conjicitur. Ubi hunc ultimum conatum irritum vidit. Septimo post obsidionem die oppidum vastum certis conditionibus Guisio dedidit: quod Angli post profligatum fusumque Crescentiano conflictu Philippum VI. Franciæ Regem, anno supra M. CCC. XLVI. ducentos & unde-

Henricus Rex exercitũ cogit, ac Caleto, depulsis Anglis, potitur.

Obsidio Caleti.

& undecim annos tenuerant. Atque ita Galli Britannos tota continente semel excluserunt.

Indè Guinas Guisius ducit, oppidumque captum evertit penitùs atque diruit. Mox cum Francisco Delphino Rex Caletum lustrat, dictoque in Præfectum Termeo, Parisiis matrimonium Delphini celebrat. Huic in conjugem data Maria Stuarta Scotiæ Regina, & regni corona Sponso à proceribus Scotis oblata. Dum aula lætitiâ personat, Guisius cum Nivernio Theodonis-villam obsidione cingunt, ac dispositis 35. majoribus tormentis murum pulsant. Verùm cum laborarent obsessi defensorum penuriâ, Philippus Momorantius Hornanus noctu venerat, ut tria veteranorum Hispanorum signa in oppidum introduceret; sed à statione repulsus, amissis aliquot è suis, retrocedere coäctus est. Tandem continuatâ tribus diebus verberatione, & in muro quadraginta amplius passuum ruinâ editâ, Quaderebbius loci Præfectus, per tubicinem colloquium „poscit, inque has conditiones transactum: ut oppidum citrà fraudem „Guisio tradatur, relictis in eo tormentis, pulvere, globis, ac reli„quo omni apparatu, liceret equiti cum armis & equis, pediti cum „ense, pugione, ac supellectile sua: Ecclesiasticis autem, Nobili„bus, ac plebi cum auro, argento, ac omni suppellectile exire, sine „injuriæ metu: à Virginibus & omni fœmineo sexu vis & injuria „prohiberetur. Hæc acta X. Cal. Quintil. Arlonem posteà ductus exercitus, sed Præsidiarii loco diffisi, ab urbe elabuntur, igne etiam in eam injecto. Dùm hac ratione Franci apud Lucemburgios bellum gerunt, Thermus, qui Caleto Præfectus fuerat, in Pleumosias impressionem facit, ac ineunte Junio cum sex millibus peditum, atque equitibus mille & quingentis, Mardicum vi capit, tum Dunkerckam expugnat, & deinceps Bergas D. Winoci, easque diripiendas militi permittit. Philippus Rex ut vim reprimeret, antequam novis auxiliis Thermus firmaretur, Emanuelem Philibertum Sabaudiæ Ducem cum parte copiarum in Condrusios præmittit, ut venienti Guisio se opponeret: Lamoralium Egmondanum, virum illustrium natalium & gestarum, nuper ad Quintini fanum rerum gloriâ clarum, Gravelingam cum potissima parte exercitus ablegat, gerendisque cum imperio rebus præficit. Ibi Thermus castra quoque, haud magno terrarum spatio discreta, posuerat. Qui ubi circumventum se in hostico videt, Egmondanumque animum pugnæ præferre, statuit incauto hosti elabi. Quare re abeunte vicini maris æstu, & superato Adâ amne, sensim retrocessit, prementeque tergum exercitu Egmondani, aciem instruere pro natura loci temporis-

Theodonis-villa in Gallorum potestatem redacta.

Arlon, diffidentibus præsidiariis capta & exusta.

Mardicum, Dunkercka & Bergæ S. Winoci capta & direpta.

Pugna Gravelingana.

porisque coäctus est. Tùm Egmondanus pro concione verba fecit, exercituque ad pugnam instructo, signum dari jubet. Concurrunt sine mora totæ utrimque acies, confertur manus, confertur pes pedi. Ita & longo & ancipiti certamine acriter & pertinaciter est pugnatum, donec tandem certamen diremit inopinatus casus, prætemavigantibus fortè sub id momentum eam oram decem Anglorum navibus, quæ conspecto prœlio, tormenta in Francos displodunt, tandemque fatiscente pedite, luxatis ordinibus, ac in diversa sparso equite, nutare Gallorum acies cœpit, fusoque primùm equitatu, peditatus omninò profligatus est. Mille & quingenti Gallorum eo prœlio cecidêre, plures mari & fluvio hausti. Capti omnes ab Egmontio Duces, Thermeus ipse gravi accepto vulnere, prædam omnem, quam Flandriæ municipiis extorserat, tum tormenta, signaque militaria Egmondano reliquit: nec incruenta Belgis victoria fuit, nam desiderati ex iis circiter quadringenti, & in iis Pelvii Dominus, vir strenuus, cum nobilibus aliquot. Tum Philippus conquisito per omnem oram milite, numerosissimum exercitum apparaverat, castraque propè Dorlanum, Gallicæ ditionis oppidum, ponit. Pedestrem exercitum tricena millia, equestrem duodena implebant. In comitatu quoque regio clarissimi per Germaniam, Belgicam atque Hispaniam Duces spectabantur. Militum quemque ut sacramenti religio, ita exoluta jam ante Provinciarum subsidiis stipendia, universos virtutis & gloriæ contemplatio, ad omne officium & simul discrimen accendebant. Henricus verò cum copiis, numero Belgicis haud inferioribus ad Petram pontem, haud procul Ambiano consedit. Ita duorum potentissimorum Europæ regum capita, & fortunam angustis terrarum spatiis, appetitus gloriæ & magnarum rerum insatiabilis cupido, circumscripserat. Quare periculi metus & sollicitudo obversantium extremorum omnium animos pervasit, ac si de alterutro regum subvertendo, & tot gentium internecione, præceps proterendis rebus fortuna laboraret. Neque aliud momenta temporum allatura videbantur, cum præter spem mortalium, consilium pacis, velut cælo missum, animos Regum, atque ingenia occupavit. Itaque Legatis Insulam Flandrorum missis, mox commodiore loco ad Sercampum, in agro Cameracensi delecto, convenêre. Ii fuêre Regis Galliæ nomine Cardinalis Lotharingus, Annas Momorantius, Jacobus Santandreanus, Joannes Morvillerius Episcopus Aurelianensis, & Claudius Albaspina à secretioribus epistolis: nomine Phillippi delegati fuêre Ferdinandus Alvares Toletanus, Albæ Dux, Gulielmus Nassovius,

Strages Francorum.

Philippus Rex conscribit exercitum.

Legati missi de conciliando pace.

ſovius, Arauſienſis Princeps, Rodericus Gomeſius, Silva melitæ Comes, Antonius Perrenotus, Atrebatum Epiſcopus & Ulricus Viglius Zuichemus, Senatus ſecretiorum Præſes. Suos etiam Legatos Maria regina Angliæ, & Sabaudiæ Dux, privatim miſerant. Primùm placuit, ut gemini exercitus ſolverentur, ne militantibus animis, orta fortè occaſione pugnandi, pacis ſtudia diſturbarentur. Itaque evoluto Octobri menſe, caſtra mota, copiæque aut impetratâ miſſione, exauctoratæ, aut in Hyberna reductæ. Inter Delegatos magnam controverſiam excitaverat de Caleto contentio, cum illud Angli repoſcerent, Franci à ſe avelli non ſinerent. Dum Delegati altercantur res in Januarium proximum à Legatis reijcitur. Intereà Maria Angliæ Regina, aquâ intercute moritur, ex qua initio cum tumentem alvum geſtaret, prægnantem ſe credebat, ob idque naſcenti morbo remediorum contemptu, progreſſum dederat, quò factum, ut febriculam inciderit, quâ ſenſim creſcente ac depaſcente, tandem extincta eſt 17. Cal. Decembris. Qui caſus ut Philippo Regi maximè luctuoſus fuit, ità toti Belgicæ funeſtus. Ejus morte namque factum eſt, ut infelicis & non durabilis matrimonii pactione, Anglicam inter Belgicamque gentem inita ſocietas diſſolveretur, Philippuſque ſociâ vitæ & conſorte rerum orbus, Francici Anglicique regni titulis inſignibuſque, è jure connubialium codicillorum, cederet. Itaque Philippi Regis conſilia eò tum ſpectabant, ut concuſſum bello Gallico, & acciſum Mariæ morte principatum, ſtabili & incorruptâ pace firmaret, & novâ matrimonii felicitate regiæ domus orbitatem repararet. Quamobrem repetito Legatorum conventu, etſi dubio adhuc excitu, conſilia Regum fortuna libraret, pax tandem Cambreſii nona Cal. Aprilis 1559. facta. Eâ, præter cætera, cautum erat: „Ut quicquid Gallico Italicoque bello vi, aut dolo partum, amiſſumvè foret, utrique Regum, eorum ſubditis, ſociiſque reſtitueretur; omnibus & ſingulis libera commercia, pax certa, atque conſtans eſſet. Emanuel „quoque Philibertus, Sabaudiæ Dux & Belgicæ Præfectus, exceptis paucis, quæ, dum lege cognoſceretur, pignori eſſent, omnia ſua cis ac trans Alpes reciperet, Margaretamque ſororem „regiam nuptiis ſibi adjungeret. Rex Philippus Eliſabetham Valeſiam, Henrici Regis filiam majorem natu, dicta dote quadringenties mille aureorum uxorem duceret. Tùm adimplendæ conventioni Henrico Regi trimeſtre, quadrimeſtre Philippo præſtitum obſideſque arbitrio partium dati, Regum fœderi robur „addidêre.

Mors Mariæ Reginæ Angliæ.

1559.

Leges pacis.

Hæc

1559. Hæc acta transactaque Cambresii tertio nonas Aprilis 1559. atque hoc modo bellorum funerumque facibus, nuptialis fax subdita, ac 9. Cal. Julii, stipulante Albano pro Rege Philippo, Isabella undecennis Philippo desponsatur, nuptiæque regiâ magnificentiâ Parisiis celebrantur. Perstrepebat gaudio civitas, Rexque hastiludium indixerat, in quo ipse decurreret. Cum biduum equestri ludicro transactum esset, Rex tertio Cal. Julii, dum cum Gabriele Mongomerio Comite concurrit, contractis utrimque hastis infelici casu aperto fortè galeæ Regalis ocellis in oculo ex dissiliente fragmento vulnus accepit, sic ut assula cerebro hæserit, ex quo titubans ex equo, à suis exceptus est, ac in proximas Turriculanarum ædes delatus; nec ullam deinceps edidit vocem, atque undecimo die à vulnere, qui Julii erat nonus, animam emisit, natus annos quadraginta tres, cum regnasset duodecim. Gallico bello sopito, & proclamatâ Philippum inter Henricumque pace, hoc maximè quærebatur, ut exurgens per Philippi ditiones nova religio, opprimeretur: undè retineri sub signis Hispanum militem jussit, comparatisque ad profectionem, quam in Hispaniam parabat rebus, conventum omnium Belgicæ ordinum Gandavi indixit, ibidemque equitum aurei velleris sodalitium explevit. Coâctis Ordinibus, Granvellanus Antistes Regis nomine verba fecit in hanc propemodum sententiam: „ In Hispaniam Rex, curandis regni sui negotiis, ire „ constituit, imitatus exemplum Caroli patris, quem é media Hispa„ nia vestri aliquando amor, & publicæ pacis cura protraxit. Itaque „ Carolus pater, ne quid adversum Ordini ingrueret, ab anno 1543. „ tamdiu apud vos egit, donec in Philippum filium anno 1555. senio, „ aut invaletudine compulsus, Burgundicæ domus patrimonium „ transferret. Ipse reliquum vitæ, quam brevem & angustis terminis „ circumscriptam post habuit, divinis meditationibus, tùm curandæ „ valetudini destinaret. Ab eo tempore in Principem vestrum delec„ ctus, hìc quoque substitit, vestroque, ac juxtà regnorum suorum „ subsidio, cruentum bellum, quo Gallia, ruptis Induciis, in eum „ ardescebat, firmâ pace clausit. Neque excessurus adhuc Belgicâ „ esset, nisi in motu Hispania, & rationes rerum suarum id postula„ rent. Hac de causa, ut Gallicum & atrox bellum robustis nervis „ traheret, Regnum suum non modico onere pressit, postquam tanti „ exercitus stipendiis vestra liberalitas par non fuit. Et quia hoc tem„ pore omnem simul exercitum dimittere per inopiam æris non li„ cet, ita legionem suam vestris in finibus relinquit, stipendia, prout „ confidit, à sueta liberalitate vestra habiturus; ut, quoniam flagrante „ bello

Philippus Rex ducit Isabellam Valesiam, Henrici Galliarũ Regis filiam.

Mors Henrici Regis.

Turbæ in Belgio ob novam Religionem.

Comitia indicta Gandavi.

Oratio Granvellani.

„ bello deesse vobis noluit, ità vos recuperatâ per eum pace, quieti „& f lices simile illi subsidium præstetis. Compositis per Hispaniam „rebus, idem addicit, neque affectum ejus in vos distantium loco- „rum intercapedo imminuet. Quin daturus est operam, ut ordinato „per Hispaniam regni statu, ad vos ocyùs remigret, modò res ejus, & „simul vestræ exigant, quarum incolumitati cætera sua posthabet. „Interim Emanueli Philiberto, nuper Provinciarum Præfecto, & „Gallico fœdere in res suas immisso, (dùm Carolum filium, certis „de causis, præficere vobis necdum licet) Margaretam sororem suam „substituit, eique, ut & singulis Provinciarum Præfectis in mandatis „dedit, Religionem Romanam sartam tectam curet, statuatque in „delinquentes, è præscripto legum, coërcendos. Ut idem faciatis, „Ordines, monet hortaturque. Ita fiet, ut florentissimas Provin- „cias, pronumque in vos Regem, sitis habituri. Tùm Borlutius, Gandavensium Orator, Ordinum, ac Provinciarum vice, hunc in modum Regem affari cœpit: „Orare Ordines, ut Caroli patris ex- „emplo, peregrinum militem Rex Belgio deducat. Præsidioque „non nisi Belgico utatur, nec homines externos ad publicarum re- „rum curam adhibeat, id enim à vetere Reipub. forma esse alienum, „ac indignum Belgarum fide atque virtute: postulare itaque Ordi- „nes, ne rem eam Rex committat, quæ ipsi inutilis, & Belgicæ „genti opprobrio sit futura. Insolentem verborum libertatem com- „posito in præsens vultu tulit Philippus, cum nollet, è Belgio dis- „cedens, Proceres optimè de se meritos, cum offensionis opinione à „se dimittere. Quocircà postquam spem peregrinæ militiæ missionis, fecisset, soluta exindè comitia.

Responsum Syndici Gandensis.

Ac mox Gandavo in Zelandiam Rex concessit, comitantibus omnibus Belgarum proceribus, Ordinumque Legatis, commodamque nactus tempestatem, Sexto Cal. Septembris sublatis velis, è portu Flissingæ solvit, & afflante Aquilone, brevissimo temporis spatio, Laredum, quod Cantabriæ est oppidum, appulit; quamvis alii tradant viso attactoque regni littore, classem Philippi horrenda tempestate disjectam, navesque plurimas, ipso etiam Philippo inspectante, demersas. Gazam quoque regiam, gemmas, signa toreumata, tùm operis antiqui tabulas, mirâ Belgarum arte elaboratas, ac per Germaniam Italiamque à Carolo Cæsare regio paratui, ac domesticæ magnificentiæ congestas, mari haustas, ipsumque Philippum magno vitæ discrimine suis terris restitutum.

Rex Ordinibus spem facit missionis peregrini militis.

Reversus in Hispaniam Philippus, sectariorum sanguine regni motus compressit. Dein regio luxu celebratis cum Elisabetha Valesia

Carolum filium designat

Regnoru suorum successorem. lesia regii Francicique sanguinis fœmina nuptiis. Carolum filium unicum regiæ domus hæredem per omnem Hispaniam, juramento à Proceribus regni subditisque accepto, designari successorem, confirmarique curavit. Ut scilicet dubio longioris vitæ spatio, & incertâ Elisabethæ fœcunditate, diffusum regni corpus, & haud pridem factionibus obnoxium, certo hærede, & si quid humanitùs accideret, majestate novi regnantis coërceret.

Philippo profecto, Margaretâque Austriacâ, sorore Octavii Farnesii Parmæ Ducis, conjuge cum potestate summæ rerum ac gubernaculo Præfectâ, mox inter Proceres gliscebat ambitio & æmulatio; inter plebeios hæresis & perversæ de Religione opiniones. Plerique Procerum Granvellano infensi, criminabantur, unius ipsius auctoritate omnia geri, gravissimis Reipub. difficultatibus adhiberi, apud Regem plus cæteris gratiâ valere. Multi proindè ab ejus amicitia discedere, congressum vitare, familiaritatem exuere cœperunt. Auxit invidiam, Pius IV. Pontifex, qui Perenottum Granvellanum in Cardinalium collegium coöptavit, & ipse Rex, qui Galerum, purpuratorum insigne, transmisit, ut eminentiâ dignitatis Proceribus æquaret, quem fastiditum omnibus jampridem cognoverat. Eum amplissimæ dignitatis regalem fastum Auriacus, Egmondanus, Hornanus, aliique ferre non poterant: & hinc in occultas animorum simultates est discessum, Auriacus & Egmondanus, sibi quisque summi imperii dignitatem ambierant; Rex utrique Parmensem prætulit: eam culpam Albano, & Granvellano ascribebant. Oderat & Hornanus Granvellanum, quod eo auctore Gelriæ & Zutphaniæ administratione, quam ambibat, exclusum se quereretur. Accessit, quod res duæ magnâ sententiarum varietate agitari publicis consiliis inciperent: novorum Episcoporum institutum, & quæstiones de Hæresi. Et quidem ea res de novorum Episcoporum instituto à multis retrò Principibus, nimirum Philippo Bono, Duce Burgundiæ, imperii Belgici principe, Carolo cognomento Audace ejus filio, & Cæsare Carolo V. frustrà agitata, Philippus tandem, velut persanandis per Belgicam mentibus salubrem, perfecit. Quapropter misso Romam, ubi Paulus IV. Pontificatum tum gerebat, Francisco Sonnio, Theologo Lovaniense, & per Frisiam Inquisitore, de consilio Granvellani, hoc maximè cavit, ut negotium Pontifex maturaret. Itaque Paulus Pontifex, ne rei tam sanctæ, tamque necessariæ moræ necterentur, 14. Cal Junii, Philippi consilium approbavit, tabulisque confirmavit. Quo Pontifice humanitus abrepto, Pius IV. Successor, eandem mox sanctionem corrobora-

1561. Odium Procerum in Granvellanum.

Viri tot novorum Episcoporum institutio.

borari, factis ea de re 8. Eid. Mart. 1560. tabulis, fecit. Ita Sonnius, curatis Romæ rebus, in Belgicam regressus, ordinationes novorum Episcoporum, & simul fomitem civilis incendii adduxit. Unde subita consternatio, mox querelæ, cuncta in deterius trahentes, secretaque in Philippum murmura, & dissonæ voces, præcinentium sinistra, auditæ. Id namque ciendis maximè ingeniis erat, quod novarum rerum instituto, inconsultis Ordinibus, privilegia sancta convellerentur, imminutoque Cœnobiorum jure, sacri reditus, piis usibus & sublevandis egenis per tot sæcula applicati, novo Episcoporum luxui & magnificentiæ destinarentur. Accedebat & illud, quod firmandæ Inquisitioni, ordinatio Episcoporum tanquam velum quoddam obtendi diceretur, tabularumque Episcopalium formula ab ea suspicione non variaret. Adjiciebatur postremò, evocatam Italiâ Margaretam Gubernatricem, imperitam rerum, & Belgici regiminis, ut summa Imperii Cardinali Granvellano ministro, & assentatori Romanorum Pontificum cederet, concultataque publici Status & Belgicæ Nobilitatis auctoritate, ponderosa negotia ad Philippum in Hispaniam, cæterosque aulæ regiæ administros devolverentur. Legatos itaque in Hispanias mense Februario anno 1562. Ordines Brabantiæ ad Regem mittunt, privilegia sua memoraturos. Antverpienses seorsim legationem ornaverant, Civium querelas laturam : Indè à Parmensi mense Augusto Montignæus, qui de ærarii Belgici rationibus, de Galliarum motibus, subsidiisque à Rege postulatis, postremò de novorum Episcoporum instituto ad Regem referret. *Philippus Rex* deliberaturum se præfatus, libellos recepit, reque pensatâ, pronuntiavit, ut Episcopum Antverpia nondum haberet : per unita Episcopatibus Brabantinorum Monasteria, de more Abbates legerentur; lecti Monasteria procurarent, Ordinum Brabantinorum Comitia frequentarent. Composita itaque in præsens ea controversia, nihilò æquiores hominum animos faciebat : nam promulgatis per Belgicam, quæ de religione *Carolus Cæsar* sanxerat, edictis, indictæ pœnæ severissimè in suspectos ob novam religionem infligebantur; hinc clandestina colloquia, nocturni cœtus conciones è haberi cæperunt. Sed non eò Religionis discrimen constitit; Tornaci primùm Sectarii in sylvis & solitudinibus urbi vicinis sua proponebant dogmata; mox perfrictâ fronte coram, atque in urbis cœtibus conciones habebant, progressique sub noctem in forum Psalmos, ad numeros Genuenses, modulabantur : Sed nec abstinebant minis in Præpositum rerum capitalium, civiliumque supre-

1562. Ordines Brabantiæ ad Regem legationē decernunt.

Promulgantur Edicta à Carolo V sancita in suspectos ob religionem.

Sectarii primùm Tornaci conciones habent.

 mum

mum Quæstorem. Valencenæ majore motu concussæ fuere. Philippus Maillard & Simon Faveau, singuli suis quisque insignes flagitiis, & ex ima plebe homines, Ministrorum provinciam assumpserant, sed flagitii comperti, rapiuntur in carcerem. Fremebant indignatione Sectarii, totaque nocte per forum velut lymphati discurrunt, urbemque dissonis vocibus & terrore complent. Magistratus consternatus animo, ad Parmensem rem refert. Illa leges exerceri jubet. Itaque, Primores civitatis quinto Cal. Maii 1562. in Curiam coëunt, quam armatis compleverant, sententiamque ex Edicto reis pronuntiant. Primo diluculo reos traducunt ad rogum, quem in foro excitaverat Lictor, tum à saxorum jactu, impetuque facto, rogum violentis manibus dissipant & extinguunt. Perculsus Magistratus, damnatos in carcerem reduci jubet, Sectarii in carcerem impetum faciunt, effractisque foribus, compedes rumpunt & noxios abducunt. Eos inter æstus, Parmensis indignè ferens tantam imperii sui contumeliam, Judices extra ordinem Tornacum & Valencenas mittit, Præsidium militare ex proximis hybernis unà transmittit, reos suppliciis coërcet, Inquisitores de munere commonefacit, Magistratibus, provinciarumque supremis Tribunalibus Regis voluntatem denuntiat.

Inde Valencenas lues proserpsit.

1563. Litteræ Procerum ad Regem.

Tali rerum statu, infensi Granvellano Proceres, in quorum numero Auriacus, Egmondanus & Hornanus, quinto Idus Martii, anno 1563. ad *Philippum Regem* litteras dedêre in hunc sensum: „Ægris oculis complures summi Ordinis viros, summam rerum „Belgicarum procurationem in unum Cardinalem translatam aspi„cere, quem tantâ indignatione homines oderunt, ut quamdiù is in „Republica sit versaturus, neque Regem, quem desiderat, neque ip„sos, quem optant, felicem rerum successum habituros. Quamobrem „si stare incolumem Rempub. velit, Cardinalem à procuratione sub„moneat. Et ne quis ambitiosè ista proponi arbitretur, pro benefi„cio accepturos, si expungerentur è Concilio Status, ubi Cardinale „præsente, non sacramento suo, ac ne existimationi suæ satisface„rent. Religionis curam diligenter acturos, & illam hactenùs tran„quillo stetisse statu suâ sollicitudine, quæ immodestis Granvellani „consiliis perire sensim inciperet. Præter hasce ad Regem literas, libellum in hanc sententiam Parmensi proponunt: „Re deliberatâ „cum Provinciarum Præfectis, cœterisque Proceribus, multa sese in„venire in Repub. quæ neque Regis amplitudo ac dignitas, neque „pati Provinciarum salus possit: Novis opinionibus addictum esse po„pulum; militibus toties flagitata atque promissa stipendia non de„pendi;

Eorum libellus ad Gubernatricem.

,, pendi; exhaustum esse Regis Ærarium & alieno ære gravatum: li-
,, mitanearum urbium munitiones eam ruinam minari, cui sarciendæ
,, neque ullæ sint opes suffecturæ,& hostibus sint futuræ percommo-
,, dæ; Parum abesse, quin peregrini mercatores, quibus de pecunia
,, Regi credita Quæstores Regii tabulis caverunt, negotiatoribus
,, Belgicis manus foris injiciant, commerciaque intervertant. Ista
,,tot mala averti posse,indictis Generalium Ordinum Comitiis,usita-
,, to hactenus anxiis in rebus remedio. Verùm cum id non probaret
,,consilium,quod imperasse sibi Regem Parmensis affirmaret,ut Or-
,, dinum Comitia nulla haberet; orare, ut salutari aliquâ ratione sub-
,, veniret, & abesse sibi, bonâ Parmensis gratiâ ab eo Concilio liceat,
,, in quo hactenùs pro numero atque umbra servierint Interim men-
,, se Junio Rex respondet in hanc sententiam : Multa extant præ-
,, clara fidei atque obsequii vestri in me testimonia : non dubito pro-
,, indè de animi vestri affectu; Cur tamen res in præsens mutari de-
,, beant, non video; si ex vobis alteruter ad me venerit, pergratum
,, mihi erit, cunctaque coram ex liquido cognoscam. Regem me
,, esse memini, & inauditum damnare non posse.

Flagitant Generalium Ordinum Comitia.

Responsum Regis.

Cæterùm, ut lubricam semitam ingressis, retrahere pedem fortuna non sinebat, sumpsère rursus stylum, & litteras ad Regem scribunt, quibus significabant : ,, Redditas sibi esse litteras, quas
,,mense Junio Rex dedisset, legisse eas Proceres, quibus auctori-
,, bus priores exaraverant; pergratum sibi cæterisque extitisse, quod
,, præclarè de se Rex sentiret. Quod de unius eorum profectione in
,, Hispanias scriberet, nisi per Rempub. foret, non unum aliquem
,, ipsorum, sed universos ad Regem ituros : Verùm eos armorum
,, strepitus vicinas concutere gentes, ut sine gravi Reipub. pericu-
,, lo à Provinciis, suæ tutelæ commissis abesse liceat. Nolle se Car-
,, dinalem reum peragere, quin contrà, id se postulare, ut subleve-
,, tur eo onere, cui impares lacertos subponit, omniumque concor-
,, diæ, incolumitati & fortunis consulatur. Quod de causis expri-
,, mendis moverentur, eas à malis publicis exigendas esse. De cœ-
,, tero rogare, ut in bonam partem consulat, si à Concilio Status
,, abstineant, in quo sententiæ dicendæ dignitatem tueri non pos-
,, sint, & in hoc dumtaxat haberentur, ut speciosâ dignitatis um-
,, brâ consederent.

Proceres rescribunt.

Deindè, cœnantibus apud Gasparum Scetum, ærarii regii summum Quæstorem, Egmondano, Bergensi, Hoochstratano, Montignæo, Bredenrodio, aliisque ejusdem Ordinis viris, inter liberales jocos fortè sermo incidit, ut sublatâ gentilitiâ vestium tesserâ, sin-

Famuli Procerum uno vestis genere vestiti. gulorum famuli uno aliquo vestis genere symboloque uterentur, eoque modo latè vagans luxus, circumscriberetur. Placet consilium; unum hoc supererat, cuinam potissimum id tribui deberet, ut vestem, tesseramque describeret. Sortitò ea provincia Egmondano delata est; Itaque is amictum è panno nigro, & purpureum morionis cucullum acu depictum, manicis assutum, præscribit. Exinde famuli atrati, lugentium more inambulabant, præterquam quod eminebat in veste ludibrium, quo Cardinalis galerum significari cuncti non obscurè conjiciebant. Verùm cum eâ re Gubernatrix offenderetur, mox cuculli loco, fasciculum jaculorum, sinuantibus funiculis in medio astrictum, substituerunt, quo animorum concordiam contestabantur. Granvellanus autem quâ erat ingenii sollertiâ & sagacitate concordem in se Procerum conjurationem initam, interpretabatur: Itaque ut periculo præverteret, Mechliniam secessit, prudentique absentiâ furori cedens, negotiis Imperii in posterum abstinuit. Nam Auriacus ejusque socii, ad solita Brabantiæ Comitia de more vocati, palàm affirmabant, se præsente eo, haud unquam ibi adfuturos. Quamobrem *Margareta* Gubernatrix, ne conciliandæ Granvellano invidiæ, major Procerum divulsio pararetur, Armenterium, qui erat Gubernatrici ab epistolis in Hispaniam properè amandavit. Quæ legatio eum habuit

1564. *Granvellanus excedit Belgio.* exitum, ut, Armenterio reverso, Granvellanus specie revisendæ matris, in Sequanos mense Martio 1564. & mox in Hispaniam concederet, Proceribus in Concilium redire jussis.

Summoto Granvellano non sedantur turba & querela. Submoto Belgicâ Granvellano, nihilò res erant quietiores; nam, quos ante consiliorum suorum participes fecerat, eosdem illatæ sibi contumeliæ ultores reliquit. Propterea querebantur Proceres, Ordinum comitia cogi, de pecuniis rogari, at de rebus cæteris, quibus Reipub. salus continetur, ad Comitia non referri. De asperitate regiorum Edictorum nihil remitti, contrà, ad animos exacerbandos Concilii Tridentini promulgationem proponi: in suspectorum de religione vitam asperè inquiri, miseros in vincula dari, ad supplicia rapi; Viglium pro arbitrio rem gerere, leges Concilio privato quotidie novas condere; in Senatu, ærario quæ vellet Barlaimontium constituere; inanem dignitatis speciem magno sese opprobrio difficulter tueri; Auriacus etiam, cæterique tollenda esse è

Auriacus vult tolli Concilium Privatû & Finantiarum exedravi. Republica Privatæ curiæ, Finantiarumque officia, & revocanda ad Concilium Status, profitebantur, ut unius Reipub. una tantum esset veluti anima, concorsque sententia. Contra Viglius: ambitiosè eo studio rem istam proponi affirmabat, ut suo arbitratu, quos vellent

vellent homines in eum à se inventum Senatum legerent, omnemque eâ ratione ad se Rempub. traherent; non pertinere ad istos homines supremam rerum Belgicarum curam, suum, quam accepissent, si præstarent, extra culpam futuros. Accedebant crebræ querelæ & calumniæ de Cleri vitiis, de geniali vita, & immodico luxu. Fuêre etiam qui censerent Ordini Ecclesiastico gladii potestatem, laïcæque Jurisdictionis insignia adimenda. Non deerant, qui apertè dicerent, Concilium Tridentinum, sine certa privilegiorum injuria, sine Reipub. magno periculo promulgari non posse. Ergò in tot malorum remedium *Margareta* Gubernatrix de mittendo in Hispaniam ad Philippum Legato cogitavit, convocatoque Status Belgici Senatu, Principes Aurei velleris, & Provinciarum Præfectos adesse Bruxellas jubet. Ibi ponderato temporum discrimine, de Legato proposuit, perrogatisque sententiis Lamoralium Egmondanum multarum palmarum Ducem, expediendæ Legationi designavit. Illius mandata habebant, ut omnium Ordinum nomine Philippum Regem de statu suarum ditionum edoceret, Edictorumque asperitati salubre remedium oraret. Quapropter Egmondanus ipsis Calendis Januarii 1565. in Hispaniam non segni itinere contendit, ac sub initium Martii mensis Mantuam Carpetanorum advenit. Excepit illum Rex perhumaniter, audivitque sæpiùs de publicis Belgii necessitatibus disserentem, postremò cum Alexandro Farnesio, Gubernatricis filio, à se dimmittens, mense Majo Bruxellas reversus est. Tùm Parmensi, Senatuique Legationis suæ exitum exponit: Velle Regem, ut de juventute formandâ quàm optimis studiis, Clericorum vita, populi doctrina, placitorum severitate mitiganda, quibuscum videretur, consilia Parmensis susciperet. Cæteris de rebus eam esse Regis sententiam, uti leges privilegiaque quæ haberent, Belgis relinqueret: præter Religionem Catholicam, & legitimum quod sibi deberent obsequium, rem aliam nullam postularet. Hæc perferenda, Rex, mandata Egmondano dederat; cùm arcanis litteris interim moneret Gubernatricem, ut rescripta de Religione integra & inviolata essent, cultaque in primis Inquisitione, Tridentinum Concilium sacrosanctum haberetur. In plectendis Anabaptistis, aliisque hæreticis, quarum illi cumque familiarum sint, nolle quidquam aut remitti, aut differri. Hæc summa earum litterarum, quibus omnem Belgii calamitatem Aurantius, aliique acceptam referre consueverunt. Ita recens gaudium, quo Egmondanus Provincialium animos perfuderat, mœrore conversum. Quare immodicus affectuum, querebatur, eâ consi-

1565.

Egmondanus mittitur à Gubernatrice ad Regem.

Egmondanus reversus refert ad Senatum Legationis suæ exitū.

Litteræ arcanæ Regis ad Gubernatricem.

Querimonia Egmondani.

„consiliorum mutatione fraudem Legationi suæ factam, existimatio-„nemque apud æmulos suos, sibi à Rege esse ademptam, quasi alia „ipse retulisset, alia Princeps imperasset. Sibi quidem certum esse, „si rata nolit ea Rex, quæ in Hispania decrevit, relictâ Flandriæ „præfecturâ, domum concedere, atque absentiâ suâ omnibus testa-„tum facere, Egmondanum in hac rerum perturbatione sese operæ „& culpæ subtraxisse. Quæ res sparsa in populum, venerationem Regis, auctis econtrà odiis minuebat. Itaque Nobilissimi quique, velut prævisâ formidabili tempestate, in cœtus coire & communicare consilia: „Non ignorare se, quæ sint officia Principis, quæ populi: „non esse regnum exercere, sed tyrannidem, cùm aliis mortem, „aliis exilium, omnibus metum, obtentu violatæ Religionis, inten-„tet Rex; proindè si pergeret desævire, inventurum, qui armata „opponent corpora. Hæc, & ejusmodi passim jactabantur. Quamobrem oblatâ nuptiarum opportunitate, quas Alexander Farnesius, Octavii & Margaretæ Gubernatricis filius, cum Maria Portugallica celebrabat, colloquia Principum, Belgicæque Nobilitatis instituta, consultatumque de fœdere, quod solemnibus sancientium votis, post ictum submovendis omni Provinciâ Inquisitoribus fuit, Formula fœderis hæc erat.

1566. Fœdus Procerũ Nobiliũq; Belgii ad extirpandam inquisitionem.

„Quandoquidem pro vero accepimus, perversos quosdam homi-„nes, sepositâ gloriæ divinæ ac salutis publicæ curâ, inexhaustâ „avaritâ, intolerabilique ambitione compulsos, fucatâ religionis spe-„cie, & simulato in tranquillitatem affectu, eò Philippum Regem „impulisse, ut spretâ jurisjurandi, quo se obstrinxerat, religione, „Inquisitionem omni divino humanoque juri adversam, per vim in-„ferat, quæ omnium retrò tyrannorum, omnium Paganorum, at-„que infidelium barbariem superat, nec ob aliud reperta est, quàm „in contemptum divini nominis & exitium publicum. Si quidem id „tantum curat, ut Magistratuum auctoritatem, legum, consuetu-„dinum, immunitatumque à majoribus traditarum vim, atque effi-„caciam elidat, potestatemque legitimis administratoribus ereptam, „in se, suosque tranferat, civium omnium capita fortunasque in dis-„crimen adducat. Nemo enim insons futurus est, quisquis vel sacri-„ficum, vel Hispanum inimicum sibi inveniet, vel scurram aliquem „in caput suum subornatum. Rei itaque indignitate commoti, per-„severare volentes in fide & obsequio ergâ Regem, & à sacris rebus-„que nostris vim omnem, miseriamque avertere, Sanctum & reli-„gione jurisjurandi firmatum fœdus iniimus, eo maximè consilio, ut „Inquisitio aboleatur extirpeturque. Deum interim hominesque te-

„stamur

„ ſtamur, nos nihil admiſi contrarium gloriæ Dei, aut repugnans „ Regiæ Majeſtati, cæterùm patriæ nos ſalutem ſpectare, utque ar- „ ceantur ſeditiones & turbæ Reipub. exitiales. Quod idcircò fœ- „ dus juravimus validum, atque perpetuum fore, advocantes Dei „ viventis ter ſanctum nomen, nullâ ratione, nec ullo colore, aut „ causâ nos illud infracturos, neque laturos ut cuiquam noſtrûm vis, „ aut injuria ex hoc ipſo fiat. Et ut ſancta hæc ſocietas inconcuſſa „ ſemper & inviolata permaneat, fidem invicem damus, ea nos „ acturos, ratumque habituros, quæ ſtatuentur ex communi conſi- „ lio, vel ex ſuffragio eorum, quibus ea cura mandata fuerit. In „ teſtimonium fidemque rei ſupra ſcriptæ, advocavimus æternum „ Numen, quod animis conſcientiiſque noſtris præeſt, ut benedicat „ fœderi, ſapientiæque & prudentiæ ſpiritum nobis donet, quò om- „ nes noſtræ actiones od ſanctiſſimi nominis ſui gloriam, Regis com- „ modum, concordiam & tranquillitatem publicam, animarumque „ noſtrarum ſalutem dirigantur

Fœdere in hanc ſententiam deſcripto, provincias, atque urbes, in quas proficiſcerentur, conjurati partiuntur. Hinc in ſua quiſque Provincia, amicos, propinquos, neceſſarios, familiares, notos atque ignotos in eandem ſocietatem invitat: Signa quoque Auriaci, Egmondani, Hornani, Megemi, Bergenſis, aliorumque ejuſdem Ordinis, falsò codicillis impreſſa, oſtenduntur. His, aliiſque ſimilibus artibus effectum eſt, ut multi Nobiles nomina darent, tabulaſque conſignarent, eo levis animi vitio, ut nonnulli ne lectis quidem tabulis ſubſcriberent, cæterorumque judicio ſe ſtare profiterentur. Quare increſcente per aulam metu, *Margareta* Gubernatrix vehementi ſollicitudine implexa, ne oppida per Provincias, velut robur regii imperii in partem adverſam tranſirent, fœderatique juris fierent; ad Magiſtratus urbium litteras dat, quibus Regis nomine mandat, ut urbium, portarumque decentem curam cuſtodiamque habeant, faciantque ea omnia quæ impediendis fœderatorum machinationibus & ſuæ ſecuritati conducere cenſebunt. Vigilantibus, & in commune conſulentibus, cuncta proſperè eventura. Quæ in primarias Belgicæ urbes tranſmiſſa, fœderatam Nobilitatem peſſime habuêre. Quapropter, ſuam juxtà, ac publicam cauſam acturi, menſe Martio 1566. Bredam conveniunt, multaque de preſente rerum ſtatu ſecreta agitant conſilia. Aberant ab iſto conventu Egmondanus & Marchio Bergenſis, in diem itaque inſequentem, Hoochſtratano cœnam Hoochſtrati, Aurantius cœterique indicunt, Egmondanum Bruxellâ, Marchionem Bergis,

Gubernatrix litteras dat ad Magiſtratus Vrbium.

evo-

Conventus Procerum Hoogstrati. evocant. Ibi Aurantius, postquam de civilibus discordiis, deque temporum conditione longùm disseruisset, subjecit postremò, ut memores vacillantis patriæ, omnem ignaviam metumque generosis animis excuterent, consilia, opes, atque operas in commune conferrent, atque Rempub. ipsi capesserent: æternum rerum ordinem istiusmodi consilia sequi; trecentos & amplius nobilissimos viros jam conjurasse in Inquisitionem, & infelicem patriam exponi periculis indignantur. Verùm cum Egmondanus Bergensisque Aurantii consilium damnarent, conventus diremptus est. Et quidem Egmondanus cum Megemo indè Bruxellam itinere instituto, Parmensem de rei statu commonefaciunt. *Egmondanus & Bergensis Gubernatricem certiorē faciunt de Aurantii consilio.* Fœderati contra, multo majore studio rem agunt, sociis in Cal. Apriles Bruxellæ diem condicunt, libellum, quem Parmensi offerrent, sæpius in aliam, atque aliam sententiam describunt; inermes, an armati Bruxellam irent, consultant. Nec Parmensis segniùs officio suo deest; quippe ad Magistratus Provinciarum ocyùs scribit, gravissima novorum motuum pericula ostendit, hortatur ut habitâ quietis publicæ curâ, prioris constantiæ documenta edant, Regem propediem adfuturum conciliandis divulsis mentibus, daturumque operam, ut sopiatur omnis civilis discordiæ fomentum. Interim continuis frequentissimi Senatus conventibus de re tota consilia agitat. Id postremò quærit, admittinè in Urbem tantam fœderatorum multitudinem, oporteret: tandem in eam sententiam itum est, ut sine milite venientes, audituram se Fœderatos Parmensis pronuntiaret. Tandem Nonis Aprilis Nobiles numero ad centum quinquaginta ex ædibus Comitis Culemburgici prodeuntes bini ordine ad Palatium tendunt, quorum Duces erant Henricus Bredenrodius & Ludovicus Nassovius; Admissi, Bredenrodius omnium nomine verba faciens, libellum Gallico idiomate conscriptum Parmensi porrigit in hanc sententiam.

Celsitudini Parmensi.

Libellus à Proceribus oblatus Gubernatrici. „ Libellum, quem vides, supplicem exhibemus, ut de nostra in „ Philippum Regem veneratione, fide & affectu propalam testaremur, quem legitimis obsequiis colere, more Majorum nostrorum, qui hâc laude omnes terrarum nationes provocavêre, „ gloria quoque nostra est & incolumitas. Itaque illi olim fortunarum suarum vitæque prodigi, eas periculis objecêre, ut in tuto „ Principum suorum & simul res patriæ essent, quas hoc ipso tempore

„ pore Philippi Regis Edicta non parum conturbavêre. Cui etsi
„ Caroli patris decreta, de retinenda veteri Religione, tolli, durum
„ atque profanum videatur, tamen habenda est ratio temporis, cùm
„ non ûnis, atque iisdem consiliis administrari Rempub. perpetuò
„ oporteat; fuerintque Edicta istiusmodi jam olim maximorum
„ malorum, gravissimorumque motuum causa. Quæ cùm nupero suo
„ decreto Rex non mitigaverit, sed èontra severissimè observari
„ edixerit, timemus sanè eos rerum motus seditionesque, quibus
„ concussa gravissimo vulnere, Respublica, funditùs trahatur. Vi-
„ des concitatum populum haud obscura affectarum mentium signa
„ præferre, nihilque instare, quàm, ut cœptâ seditione, præceps
„ ruina, sacra omnia atque profana commisceat. Jampridem speravi-
„ mus futurum, ut, vel Proceres, vel Provinciarum Ordines, hanc
„ in se curam transferrent; verùm cum hoc illi Reipub. officium
„ hactenùs non præstiterint, & in procinctu stet pernicies publica,
„ muneris nostri esse duximus, exolvere nos sacramento, quo Re-
„ gi, Patriæque obstringimur, & de impendentibus malis. C.T.
„ edocere: Satis quippe confidimus æqui bonique consulturum hæc
„ monita. Maximè enim nostra interest, dùm urbibus munitioni-
„ busque exclusi, ac per plana agrorum divisim sparsi, primi tumul-
„ tuantium rabiem & cum eâ teterrima quæque simus laturi. Ad
„ hæc, si rigorem Edictorum semel admittimus, nemo erit insons,
„ qui inimicum, aut calumniatorem inveniet, quippe accusatis
„ nullum relictum est perfugium, quàm clementia, aut dissimulatio
„ Judicis, in cujus misericordiâ omnium vita fortunæque sitæ sunt.
„ Oramus ergò, ut obviam eas, & Legatum in Hispaniam ocyùs
„ mittas, moneasque Regem præsentium rerum & impendentis
„ exitii, ut videat ne quid Respublica detrimenti accipiat. Quod
„ cùm salvis Edictis fieri non possit, ea mitigari, aut aboleri è re
„ Philippi Regis, & simul nostrâ erit; eorum enim horrore & se-
„ veritate Respub. diutiùs stare non potest, sed ruere necessariò
„ oportet. Ne autem officia hæc nostra inimicorum acerbitas in de-
„ teriorem partem interpretetur, tanquam regii imperii majesta-
„ tem, nostro præscripto, aut consilio, stare velimus, placebit Re-
„ gi, generalium Ordinum consensu, leges refingere, novasque
„ decernere. Rogamus interim Celsitudinem Tuam, ut omnis actio
„ Inquisitionis religionisvè in suspenso sit, dùm Rex aliter decernat,
„ & consilium hoc nostrum, quod publicæ salutis cura nostris men-
„ tibus, atque pectoribus extorsit, à Rege in ipso rerum secreto,
„ expendatur. Quod si fiat, satisfactum nostris desideriis & in pa-

„triam affectui erit: S'in minus, obtestamur Deum, Regem, & „Celsitudinem Tuam, ipsum deniquè Concilium Status, propriamq; „conscientiam, publici exitii consilium aliis auctoribus stetisse, ne- „que nobis imputari deberi: Ideoque instamus quàm maximè, ut „sileant in posternm Edicta, liberati & conscientiis hominum ad- „versa.

Fœderati responsum flagitant.

Libello perlecto, dimissoque sub meridiem Senatu, die postero fœderati in Curiam revertuntur. Responsum flagitantibus, scripto in hanc sententiam Parmensis respondet: „Accepisse se supplicatio- „nem, acturamque ut ea ad Regem ocyùs mittatur. Se quidem jam „diu consilium cæpisse intercedendi apud Regem pro leniendis „Edictis, idque cum Proceribus aurei Velleris & Provinciarum „Præfectis, tùm Status Belgici, Regioque Senatu communicasse. „Cæterùm suæ potestatis non esse (quod delegatam tantùm haberet) „statuere pro arbitrio, aut mederi malis temporum, sine Regis re- „scripto, quod interponi debere ipsi fœderati non ignorarent. Cura- „turam intereà, ut (dum Rex decernat) quies Provinciis sit, Magi- „stratuumque, ac Inquisitorum potestas cum temperamento exer- „ceatur. Confiderent itaque, ut quod Brabantiæ civitates impe- „trassent, uti ne Inquisitorum jurisdictioni parere sit necesse, id „cæteras etiam urbes, provinciasque impetraturas; daturamque „se eò procliviùs huic rei operam, quod de Nobilitatis in veterem „Catholicam religionem propenso studio non dubitaret. Respon- „dent denuò Fœderati, Magnas se Celsitudini Suæ habere gratias, „quod de Nobilitate honorificè sentiret, quod ad postulata tam citò „atque humaniter respondisset: dilucidius tamen clariusque se re- „sponsum expectasse. Quod de mitigando Inquisitorum, Judicumvè „imperio promitteretur, ità se accipere, ut quoad Rex sit responsu- „rus, neminem Judices, vel Inquisitores suppliciis conficiant. Legi- „bus, quas ex suffragio Ordinum laturus esset Rex, sese parituros; „supplicia, si quis contra fecisset, aut seditionem turbamvè concitas- „set, non deprecari: Testari denuò, extra culpam se futuros, si quid „fortè tristius acciderit, & instantis periculi discrimen denuntianti- „bus fides non habeatur. Ad ea Gubernatrix, rescripto contentos „esse jussit, monuitque ut se intra modestiæ limites continerent, nec „quemquam ultrà in societatem admitterent, & ità fœderatos dimit- tit. Dùm digrediuntur, Carolus Comes Barlamontius ultrà modum iis infestus, contemptim monuit Parmensem non esse, cur ab hu- jusmodi Geusiis sibi metueret. Quæ vox ab astantibus excepta, cau- sam nomini fecit, uti novarum Religionum studiosi posteà Geusii sint

Responsum Gubernatricis.

Unde natum vocabulum Geusiorum.

ſint appellati. Per eoſdem dies Bredenrodius in Culemburgianis ædibus conjuratos celebri convivio excepit; fuêre convivæ circiter trecenti. Itaque compotantes invitare ſeſe peralacriter, & Geuſios invicem compellare: tùm ſumptis ingentibus cyathis totis ædibus de Geuſiorum ſalute fauſtis acclamationibus decertatur; dumque procula votaque reputuntur, hiſce vocibus: *Vivat Rex, vivant Geuſii*, perſonabat triclinium. Denique Bredenrodius manticâ ad collum, more mendicantium ſuſpenſâ, ligneoque poculo vini pleno manu elato, convivis ſimul omnibus propinat, præſcribitque potanti jurisjurandi formulam, uti per panem, ſalemque & manticam non diſceſſurum ſeſe à fœdere profiteretur. Indè Bredenrodius vino prægustato, poculum, ac manticam propè aſſidenti tradit, à quo in alios, atque alios poculo illo, atque manticâ circumlatis, cum ſinguli inter bibendum eodem fermè carmine, pro ſociorum ſalute, caput ſuum devoviſſent, è menſa conſurrexêre. Neque verò intra hæc ſtetit furor & petulans amentia, etenim poſtero die, præter alas, barbam reliquam abradi jubent, veſtes ſubcineritii coloris ſibi induunt, & ne quid differrent à mendicis, quorum nomen aſſumpſerant, lances ligneas pileis affigunt: plerique aureum numiſma de collo, bullæ inſtar, dependens gerebant, duraturi fœderis teſſeram, in cujus antica parte Regis effigies eminebat, hiſce cum verbis, Gallicè circumſcriptis: *Fideles Regi*. In poſtica viſebantur duæ manus mutuo implexu, in ſignum fidei, junctæ. De pollicibus pera dimittebatur, pendentibus funiculis conſtricta, cum hac inſcriptione: *Vſque ad manticam*. Hæc primordia ſunt, & initia tumultuum Belgicorum, ex quibus fluxit civile bellum, quo nullum diuturnius, neque cladium horrore atrocius, geſtumque tantâ pertinaciâ, ut plus vice ſimplici Belgica Hiſpano, Belgicoque utriuſque gentis ſtagnârit ſanguine.

Conjuratio per manticã, panem & ſalem.

Barbam ſibi abradunt lances ligneas pileis affigunt.

Primordia tumultuum Belgicorum.

Anno 1566. Gubernatrix de ſuo & Senatus Belgici conſilio, Joannem Marchionem Bergenſem & Florentium Mommorantiũ Montinæum, in Hiſpanias ablegavit, qui placitorum ac decretorum de Religione mitigationem impetrarent. Duo enim Fœderati flagitârant, ut legatione Regi ſua poſtulata Parmenſis exponeret: deindè, ut omnem, dum Rex reſponderet, Inquiſitionis Edictorumque executionem ſuſpenderet. Alteri petitioni ſic Parmenſis ſatisfecit. Præfecti in ſingulas ſinguli Provincias proficiſcerentur, ſuarum Provinciarum Ordines Menſe Maio convocarent, iiſque novum in hæc capita Edictum proponerent: „Religionem præter Catholicam „nullam habendam, qui aliam publicè, privatumvè doceret, fun-

Gubernatrix legat ad Regẽ, Marchionem Bergenſem & Florentium Momorantium.

„ ctionem Ministerii exerceret, noxios libros conscriberet, domum
„ suam conventiculis aperiret, turbas concitaret, Catholicos offen-
„ deret, in eos pœnitentes gladio, contumaces laqueo animadver-
„ teretur: bona damnatorum eatenùs Fisco cederent, quatenùs per
„ leges municipales liceret. Qui crimen Hæresis animo contraxisset,
„ facto verò non admisisset, si coram Episcopo hæresi renuntiaverit,
„ fraudi non esset: Si non renuntiaverit, is proscriptus, bonis qui-
„ dem frueretur, alienandi verò, testandique de illis facultatem non
„ haberet, intestato Catholici succederent: Si prosciptus contra Re-
„ ligionem, aut tranquilitatem publicam moliri quid convinceretur,
„ bona amitteret. Anabaptistæ pœnitentes, & nullius alterius gra-
„ vioris criminis rei, citrà mortem coërcerentur: contumaces exi-
„ lio, bonisque multarentur. Anabaptistæ relapsi, nullo discrimine
„ laqueo suspenderentur. Qui dolo malo libros vel hæreticos, vel se-
„ ditiosos sæpiùs excudisset, vel distraxisset, is pœnâ Ministrorum te-
„ neretur: Qui rariùs fecisset, exilio & arbitrio Judicis pœnas daret:
„ Qui dumtaxat lucri causâ, extra ordinem arbitrio Judicis coërcere-
„ tur. Qui disputationem seductionis causâ frequenter institueret,
„ pœnâ mortis, qui rarò, animique gratiâ, in eum arbitrio Judicis
„ animadverteretur. Qui libros vetitos legeret, legendos alteri ex-
„ hiberet, imagines, signa, statuas Religioni contumeliosas, pinge-
„ ret, sculperet, fingeret, aut horum aliquid haberet; illicitis Secta-
„ riorum conventiculis interfuisset, in eum pro conditione criminis,
„ & personæ, Judicis arbitrio statueretur. Qui illicita conventicula
„ Judici prodidisset, si particeps fuisset, impunitatem haberet; si par-
„ ticeps non fuisset, dimidium bonorum, si sexcentos florenos non
„ excederent, vel quadrantem, si excederent, perciperet. Peregri-
„ ni in urbes vicosque non admitterentur, sine Pastoris, aut Magi-
„ stratus testimonio, cui postremò paruissent. Hæc Lex tamen ad
„ peregrinos Mercatores non pertineret, si modestè se, ac sine cujus-
„ quam offensa gererent. Regii Judices, Inferioresvè Magistratûs,
„ qui in reos non animadverterent, muneribus & feudo privarentur.
„ Rei, quibus ob pœnitentiam noxa fuisset remissa, Magistratum in
„ posterum nullum gererent. Quos suspectos de hæresi Judices pro-
„ nuntiassent, restitutionemque in integrum impetrassent, à muneri-
„ bus & honoribus non prohiberentur. Quamvis exilium ad ea so-
„ lùm loca pertineret, quibus jus dicentis auctoritas contineretur,
„ placere nihilominus, ut ob hæresim proscriptus, omnibus omninò
„ Provinciis cedat.

Ordines Provinciarum ad hoc novum Edictum variè responde-
runt,

runt, quorum ſententias perſcribere, non eſt pretium operæ, cùm nullum ex eo Edicto Reſpub. fructum ſit conſecuta; quin imò temporaria hæc, ac fiduciaria Placitorum moderationis formula, multis indignationem, multis riſum movit. Nam loco ſummi beneficii eâ decretum, ut Sectarii, Miniſtri, eorum hoſpites, & qui offenſioni cauſam darent, non igne, ſed laqueo necarentur: qui animum ſententiamque mutarent, gladio; vulgus in errorem labens exilio multaretur. Crebreſcentibus intereà rumoribus de Legatorum infauſto in Hiſpaniam adventu, de Regis contra Sectarios & eorum fautores indignatione, de claſſis ad eum in Belgium portandum apparatu, de delectibus in Germania habitis, ut Inquiſitoribus, & novis Epiſcopis cum manu armata ad omnia præſto eſſet. Et qui à Religione, ac regia Majeſtate defecerant, ſceleratæ temeritatis pœnas luerent. His accenſa rumoribus plebs, majorum ſacra faſtidire cœpit, & proxima quæque concionibus fœdabantur, confluente ad eas paſſim plebe, initiò inermi, dein ad tutelam corporis cum gladiis, poſtremò cum ſcloppetis. Religionem omnem tres diſtraxerant ſectæ. In Flandria, proximiſque Galliæ Calviniſtæ præcellebant. Vicina Germanis, invaſerant Lutherani. Hollandiam, & Zelandiam Anabaptiſtæ. Vniverſæ fæces Antverpiam inſederant. In illo rerum articulo, Gubernatrix animo ægra, ne connivere videretur flagitiis, atroci Edicto in conciones detonuit. Pœnas in illicitos conventus graves conſtituit, Miniſtris, receptatoribuſque mortem indixit; Auditoribus, ſi cùm armis deprehenderentur, exilium: ſi ſine armis, pœnam arbitrariam comminatur: Si quis Miniſtrum comprehendiſſet, trecentorum aureorum mercedem pollicetur. Sed hiſce legibus nihil amplius profectum, quàm ut conſtaret impares eas eſſe flagitiis coërcendis. Conciones certè nihil propterea intermiſſæ: immò quia prohibitæ, flagrantiori ſtudio quæri cæptæ. Et ineunte Junio in Campo Lario propè Antverpiam ad Borgerholtium, Germancè & Gallicè habitæ conciones: undè tumultum veritus Senatus, ad Gubernatricem ſcribit, eamq; ad motus ſedandos, ut præſentiâ ſuâ Antverpiæ auxilium ferre ne gravetur, hortatur. At illa, niſi priùs recepto in urbem præſidio, venire ſe non poſſe, Senatui renuntiari juſſit. Miſit tamen eò Carolum Brimæum Comitem Meganum, qui id Senatui populoque perſuaderet. Verùm viſo Comite, tumultuari Civitas cœpit, tanto diſcrimine, ut mercatorum præcipui atrociùs aliquid metuentes, de fuga cogitarent, reſque ſuas convaſare inciperent. Advolat mox eodem Bredenrodius, ſed uterque populo ſuſpectus, movere inde jube-

Religionem tres diſtraxerant ſectæ.

Conciones Sectariorum.

jubetur. Gubernatrix deindè Auriacum Antverpiam destinavit, tùm quod civibus esset gratior, tùm etiam, quod Vice-comes Urbis esset; Caput Legationis erat, ut populum in officio contineret, motusque componeret, qui etsi omnem diligentiam adhibere videretur, impedire tamen non potuit, quin novarum Religionum cœtus in urbem irruperint.

Conventus Fœderatorū Trudonopoli

Tandem Fœderati medio Julio mense Trudonopolim in Centronibus conveniunt. In hoc conventu duo agitata. Primùm quâ securitate saluti suæ consulerent, si fortè Rex ulcisci quemquam eorum vellet? Deindè, petendum ne aliud quid esset ab Rege, præter id, quod super Inquisitione, atque Edictis postulaverant? Et securitatem quidem postulandam esse à Gubernatrice censuerunt omnes: in altero dissensère. Multi enim affirmabant, nihil ultrà moliendum, impetratis iis, quorum causâ conspiraverant: aliis econtrà placebat insuper postulare promiscuam Religionis libertatem, cunctaque miscere seditionibus, tunc enim reverà comperturum Regem, quantis malis libello laborassent occurrere. Cum dies aliquot per discordiam absumpti essent, multique ab omni sacrorum mutatione abhorrerent, nonnulli societate ejuratâ, clementiam Gubernatricis appellârunt, & ad officium redierunt. Dum hæc agebantur, Gubernatrix in hac perplexitate rerum Auriacum & Egmondanum ad Conjuratos destinat. Mandatum his fuit, ut Fœderatos ab hujusmodi cœtibus absterrerent, & remissâ domum multitudine, certos delegatos ad colloquium Dufflam (Pagus est haud procul Mechliniâ) mitterent. Itaque soluto cœtu, Ludovicus Nassovius, cum duodecim Nobilium comitatu Dufflam venit. Veniunt eòdem Auriacus & Egmondanus, qui tanquam disceptatores cum eis agerent. Docent Parmensem Nobilium postulatis satisfecisse; Legatos petentibus in Hispaniam ablegasse; severiora Edicta, mandatis lenissimis, mitigasse; hoc ipso mane tabellarium ad Regem mississe, rogasse Generalia Ordinum Comitia cogi Rex pateretur. Eam esse Regis clementiam, ut id precibus Gubernatricis sit daturus, & omnes retrò offensas æternâ memoriâ deleturus. Parmensem quo ad Rex rescribat, neque militem, nisi ad urbium limitanearum præsidia conscripturam, neque conciones, si à vi & armis abstineatur, turbaturam. Præclaram igitur & se rem dignam facturos, si in obsequio perseverarent, & insolentem Sectariorum improbitatem cohiberent. Facere id eo majore studio debere, quod rumor publicus omnem in eos invidiam transferret, turbarum capita, atque auctores vulgò dicerentur. Id demum officii & fidei rationem ab ipsis postulare.

Colloquium habitum Dufflæ.

Ad

Ad hæc Delegati ſcripto reſpondent : „ Immenſas ſe Celſitudini *Querela Delegatorum.*
„ Suæ agere gratias, quod Legatos in Hiſpaniam miſerit. Quòd di-
„ ceretur Parmenſem Nobilitatis, quoad veterum Edictorum mo-
„ derationem, poſtulatis ſatisfeciſſe, aliter factum Tornaci, Inſulis,
„ Montibus, Athis, Liræ, Bruxellis, Gandavi, ubi Judices veteri
„ judiciorum formâ jus dixiſſent, plurimis in carcerem ob Religio-
„ nem conjectis. Se quidem concionibus, ac conventibus aliis impe-
„ diendis omnem locaſſe induſtriam, omnemque diligentiam adhi-
„ buiſſe; impetrari autem, ut à concionibus plebs diſcedat, non po-
„ tuiſſe, quòd ſe deludi populus diceret; reſponſum ad libelli æquiſ-
„ ſima poſtulata intra bimeſtre nullum adferri. Ordinum Comitia
„ præter morem Majorum habita fuiſſe: vocatos in Comitia, quibus
„ jus ſuffragii non erat, cæteros, aut omninò non vocatos, aut legi-
„ timum deliberandi diem negatum fuiſſe. Eccleſiaſticorum denique
„ minas cuncta terrore complentium, multos in rabiem efferaſſe: Li-
„ bellum à ſe oblatum cauſam motuum non extitiſſe, ſed zelum &
„ conſcientiam populi, quæ diutius contineri non poterant. Quod ſi
„ peregrini hoſtile quid in Belgium moliantur, ſe primos conſcenſis
„ equis externæ violentiæ oppoſituros. Verùm hoc rerum ſtatu in
„ Regis ſubditos arma ſumere, minimè conſultum videri. Quod fa-
„ vere concionibus dicerentur, fateri pleroſque fœderatorum Prote-
„ ſtantium doctrinam eſſe amplexos, nequaquam tamen religione
„ impediri, quo minus fidem & obſequium Regi debitum ſervarent;
„ nec vero Regis clementiæ diffidere, optare ut cum eo coram de
„ his rebus agere liceret, videret cuncta in ordinem concedere. Quod
„ verò præteritarum rerum oblivio promittatur, mirari ſe, cùm ni-
„ hil veniâ vel condonatione dignum à ſe admiſſum eſſet, ſed contra
„ Regi & Reipublicæ conſuluiſſent. His addebant alias querelas
„ multos ſummæ nobilitatis atque Ordinis, Fœderatos tanquam per-
„ duellionis reos paſſim proſcindere, eorum conſortia vitare, veniam
„ deſertoribus polliceri: venturi propediem Regis iram & ultionem
„ ſpargere, jamque tranſitum per Gallias ſibi & Hiſpanicis copiis pe-
„ tiiſſe, auxilia à Regina matre flagitaſſe, & Sabaudiæ Ducem ope-
„ ram in id ſuam detuliſſe. Inſuper ſacrum ordinem in belli ſumptus
„ quingenta florenorum millia ſuppeditaturum. Ea propter, ſe quo-
„ rum ſecuritati minimè caveatur, privatæ tutelæ cauſâ, in Germa-
„ nia de auxiliis contrahendis conſilia ſuſcepiſſe, proindè petere, ut
„ Parmenſis Fœderatis idoneè caveat. Multos ſibi cum Auriaco, Eg-
„ mondano & Hornano ſermones de tota conſiliorum ſuorum ratio-
„ ne interceſſiſſe. Rogare igitur ſe his tribus imperet, omnem in belli
paciſ-

„ pacisque curam suscipiant. Fœderatis Sancto Trudoni agentibus, „ ingentem populi multitudinem denuntiasse, eâ lege futuram se in „ Ordinum generalium potestate, legibusque parituram, quas ferre „ de Religione Ordinum Comitiis Regem contingeret; si quoad Co- „ mitia haberentur, per Nobiles securitati suæ caveri Parmensis ju- „ beret; Quæ sua postulata si Parmensis recusaret, facturos sese ne- „ cessariò, uti aliundè quæsito subsidio rebus dubiis opitularentur. „ Istis itaque altercationibus res eò erat perducta, ut si idoneè Fœde- „ ratis de periculo caveretur, perniciosa consilia non suscepturos se „ promitterent, omnemque operam ad homines in officio retinendos „ præstituros se reciperent. Verùm quod ea, quæ postulabatur cau- „ tio, majorem, quàm haberet Parmensis imperii auctoritatem, fla- „ gitaret, re deliberatâ, tota istius cautionis constituendæ ratio in XIII. Calendas Septembris est dilata.

Hæreticorum furor atque impietas in apertum prorumpit.

Hæc dum verbis agebantur, nihil interim remittebat Hæretico- rum furor, qui laxatis omnibus vecordiæ & impietatis frænis, per- ruptis inferni aggenibus, rabiem suam in sanctissimos Religiosorum cœtus effudit: vastitatem Templis & delubris dedit: domicilia Religionis, habitacula pietatis, , Officinas & Gymnasia Christia- narum virtutum, suæ immanitatis prædas fecit, profanavit, exci- dit. Nullus ferè est in omnibus Belgicæ provinciis angulus, qui non consignatas hujus Sacrilegæ impietatis notas & vestigia ostendat: nulla civitas, nullus vicus, ad quem non aliquis ex hac calamitate luctus redundavit. Itaque postridiè Id. Aug. proruptum est in aper- tum sacrilegium. Trecenti circiter numerati sunt, qui sacrilegio- rum licentiæ viam aperuêre, scurræ infames, nebulones, projecti ad turpissima quæque flagitia. Homines animo scelerati, & vitâ flagitiosè improbâ, qui Monasteriorum opibus avidissimè inhiantes,

Ac primo juxta Curtracum.

primùm omnium in Abbatiam Wulverghemiam, sacrarum Virgi- num Collegium, haud procul Curtraco sitam, impetum faciunt, claustrales aditus perrumpunt, sacrorum capitum vittas, fœdis lu- dibriis, disjiciunt, deniquè omnia sacrorum instrumenta & thesau- ros deprædantur. Hæc prima effrænatæ violentiæ tyrocinia. Quo scelerum elati successu, nullis monitis reprimi, nullo severioris di- sciplinæ fræno inhiberi potuerunt. Atque ut surgentibus in mari tem- pestatibus, ad primam ventorum indignationem, undæ leviter cris-

Simile.

pari solent; indè invalescentibus ventis & fervescente profundo, surgunt in vastam molem fluctus, refusæque à vadis aquæ, littorum vallorumque obices perfringunt, & extra præscriptos à natura li- mites, effuso in terram impetu, grassantur. Ità Sectariorum pra- vitas,

vitas, quâ ſemel perrupit, eò ſine lege, ac modo fertur, nihil languidum remiſſumque patitur. Calcare ſacra, aras evertere, ſtatuas confringere, ſupellectilem ſacram diripere, templa diruere ſepulchra violare, & prædam divitem ex ſacroſanctis ſpoliis legere. Poëtæ Harpyas, neſcio quas, finxerunt, quæ contactu ſuo omnia fœdarent, & unguibus diriperent. Ità hæc vilium, & nequam capitum ſcelarata manus, quamprimum aliquo in loco pedem poneret, publicas privataſque fortunas ad prædam oculis deſignabat, quicquid in ſuum uſum erat rapiebat, nulla libidini & ſceleri poſitâ lege: atque ut Demades olim cum ad Tribunal iret, ad auream meſſem ſe ire dicebat; ita illi ad ſacrarum Ædium direptionem ibant. Indè ſtatim adverſus Balcolium furoris ſui aciem diſtringunt: Abbatiam D. Joannis, Benedictini Ordinis diripiunt; non ſacro, non profano manus abſtinent. Ornamentis ſacrorum abutuntur ad ludibrium, calicibus ad temulentiam: Cælitum ſtatuas templo exturbant, ſacras imagines diſcerpunt, picturas parietibus illitas expungunt, quicquid Deo Diviſque dicatum disjiciunt, proculcant, comminuunt; & ut in ſuo fonte & ſeminario Religionem Catholicam abolerent, bibliothecam, ac ſacrorum librorum codices flammis abſumunt. Cumque circum Ipras, per pagos & vicos volitaſſent, atque divina & humana rapinis & ſacrilegiis fœdaſſent; Indè effuſo curſu progreſſi, Ipras invadunt, rectaque ad templum contendunt: alii ſcalis admotis, tabulas malleis corrumpunt: alii cancellos, ſubſellia, ſuggeſtum ſecuribus perfringunt: alii ſtatuas affligunt ad terram: ſacra alii vaſa diripiunt, ſacris veſtibus aras denudant: nihil intactum, nihil integrum relinquunt. Indè in Stegram, Wernicum, Menimam, Waſtenum, Cominæum & Meſſenenſem Abbatiam bilem effundunt, atque in templis ſacra omnia abripiunt. Neque conſtitit intra has metas tam proſperæ impietatis curſus, ſed eodem fortunæ tenore ad Lyſam flumen provectus, eoque tranſmiſſo per Inſulenſem agrum impuri Iconomachi ſeſe effundunt, direptoque opulento cœnobio, Marquettam vocant, lymphati furenteſque Seclinium contendunt. Sed obvii Seclinienſes, Goudecuriani, Wouriniani, aliique ejus oræ accolæ, novæ Religioni perquam infeſti, correptis armis, ad propulſandam Religionis injuriam, eos undique aggrediuntur, cæſiſque eorum plurimis, reliquos palantes fugant, multos in paludes, ac flumen præcipites agunt, pauci abjectis armis domum reverſi ſunt. Et ſic ibi aliquando rabies ſtetit, ut in Flandria rursùs atrociùs ſæviret. Quadringenta & amplius templa triduanus furor proſtravit, obſiſtente nullo,

Inde Balcolii

Ipris.

Iconomachi repreſſi & cæſi.

400. templa triduo direpta & proſtrata.

nullo, nec adhuc tamen oppida pertentaverat, donec & oppida ad ultimum cessêre. O Sacrilegium execrandum! detestabilem Giganteæ impietatis conatum! Sed nusquam majore rabie quàm Antverpiæ iconomachia exarsit. Ubi, dum solemnes annuæ, festo Assumptionis B. Mariæ Virginis die, urbicæ supplicationes de more peraguntur, & simulacrum B. Mariæ, quæ urbis Diva est tutelaris, suppositis Sacrificorum humeris sublatum, per urbem circumfertur, non obscura apparuêre indicia istius mali, quod propediem secutum est. Procaciores aliquot ex opificum, prætereuntem statuam multis verborum contumeliis proscindunt, palàm vociferantes: *Mariola Fabri, hunc honorem tibi inter supremos numera.* Peractâ pompâ, simulacrum non in testudine templi, ùt assolet, exponitur, sed in penetrale infertur. Post prandium Sanniones quidam ante adytum templi nugantes, unus ex iis petulanter interrogare cœpit, num timeret sibi *Mariola*, quod tam maturè se in nidum suum recepisset. Eodemque tempore ab alia amplissimi templi parte, male feriati homines juxtà suggestum, indecorâ lasciviâ, proterviunt. Quidam suggestum conscendit, & ex eo in ludibrium Catholicorum concionatorum, socios ridiculâ oratione alloquitur, ac nescio quas morionum gesticulationes fingit, dumque aliorum plausibus excipitur, navicularius quidam insolentiam indignatus, irrumpit ab alio suggestus latere, & Concionatorem violenter deturbat, is mox ab aliis impetitur, & vulnere in crure accepto, evasit. Postridie, qui erat decimus tertius Cal. Septembris, nonnulli rursùs nebulones, sub tempus vespertinarum precum, templum ingressi, multa contumeliosè in B. Mariæ simulacrum effutiunt, atque inconditis vocibus compellant: Si, *Vivant Geusii*, exclamaverit, parcituros se miseræ affirmant. Dum his contumeliis in simulacrum debacchantur: anus, quæ cereolos pro valvis templi vendebat, indignabunda, jactis primò in eos sordibus, mox in oculos involat; Indè rixa orta, frustrà laborante Joanne Immersélio urbis Prætore, qui cum aliquot stipatoribus accurrerat, ut tumultum sedaret. Ergò ubi se loci potitos vident, nautarum colluviem accersunt, & declinante in vesperum die, horâ circiter sextâ, occlusis templi foribus, præeunte quodam Centurione (nam centum non amplius erant, qui facinus adorti sunt) sublatâ voce ad numeros Genuenses, Davidis Psalmum auspicantur. Ad quem sonum quasi signo dato, in Dei matris simulacrum, inque Christi Domini, Sanctorumque signa emotâ mente, impetu ruunt. iis gravissimorum verborum contumeliis insultant, huic ensem in latus adigunt

Iconomachia Antverpiæ majore rabie exarsit.

gunt, huic securi caput abscindunt. Alii aras prosternunt, pictas tabulas, ingenuarum artium monumenta diffringunt, dilacerant, statuas comminuunt, pendentem è cruce Christum funibus è sublimi detrahunt, detractum in frustra discerpunt, intactis utrimque Latronibus. Non stetit in hoc gradu malitia, in ipsum Creatorem Dominumque Cæli ac Terræ insurgunt. Pollutis sacrilegisque manibus in sacrosanctum Domini corpus involant, horrendas execrationes evomunt, pedibus conculcant : Sacro Chrismate calceos inungunt, consecratos calices vino complent exsiccantque, religiosa, jure gentium, mortuorum sepulchra violant. Hæc tantâ celeritate acta sunt, ut ante noctem mediam in Templo per Europam celeberrimo, amplitudine maximo, in quo Septuaginta erant altaria, nihil intactum, nihil inviolatum, nihil non fractum comminutumque conspiceretur. Indè, admiscente se perditorum hominum turbâ, prælucentibus faculis, quas impiis manibus Ecclesiis subtraxerant, ad alia Templa discurrunt, valvas subruunt, vasa sacra, omnemque Templorum supellectilem aut disperdunt, aut asportant. In Religiosorum Cœnobia eodem furore irruunt, quidvis pro libidine committunt, in penitiores ædium partes penetrant, apothecas furacissimè scrutantur, in cibaria involant, quæ absumere non possunt, profundunt, in vinum & cerevisiam immingunt, libros Bibliothecarum butyro, aut adipe inunctos exurunt, supellectilem sacram & profanam diripiunt. Hæc tota nocte ante Solis ortum acta, tantâ inter profusam multitudinem animorum consensione, ut nulla rixa, nullum de præda certamen inter eos fuerit : & quod fidem ferè superat, inter tot lapidum, dum simulacra demoliuntur, ruinas, in tanta turba, nullus vulneratus fuerit. Hinc Sacrilegi, provecto jam die, sacrarum Ædium & Cœnobiorum expilationem redintegrant, funditusque evertunt, quidquid præteritus furor intactum reliquerat. Tenuit ea Sacrorum direptio tres ipsos dies, tam grandi jacturâ, ut non desint, qui scribant, unius Principis templi damnum quadringentis circiter aureorum millibus æstimatum esse. Peractis omnibus, quæ furor, quæ impietas, quæ libido suggesserant, miserunt Ministri Calviniani & Lutherani ad Senatum, qui illos purgarent, protestarenturque, se insciis invitisque, non à suis, sed à nebulonibus, furibusque commissa esse : Sed ridebat hanc eorum hypocrisim Magistratus & Catholici omnes, qui non ignorabant ex quo myropolio ista venirent catapotia.

Neque melioribus fatis res agebantur in aliis civitatibus, & Pro-

Sylvæducis eadem rabies invasit. vinciis. Silvæducenses eodem tempore haud absimili rabie in templa & Sacra grassabantur. Indè uno quasi impetu ea lues universam corripuit Campiniam, dein suo contagio corrupit. Bredanos, Montes-ad-Zomam, Liranos, simulque afflavit Hollandos, Zelandos, *Eadem lues afflavit Belgium penè universum.* Frisios, Transiselanos, Gelros, simul Belgium propemodum omne (si tres quatuorvè ejus Provincias Namurcum, Lucemburgum, Artesiam, atque Hannoniæ partem excipias) mirum in modum contaminavit, afflixit, devastavit, idque tantâ celeritate, ut intra decem, aut summum duodecim dies, tot urbibus atque locis fatalis ista Sacrorum depopulatio, quasi ex condicto conficeretur. Sed occupaverat cuncta ubique pavor; Silebant tristi justitio Fora & leges; jacebat Magistratuum auctoritas, atque reverentia; & hinc scelera impunè grassabantur, & ab una Provincia ad aliam, sine retinaculo transitum faciebant.

1567. *Gubernatrix Senatum cogit.* Cum itâ sursùm deorsùm res Religionis volutarentur, Gubernatrix non minus futurorum metu anxia, quàm præsentium mœrore consternata, properè Senatum cogit. Venêre ergò in Curiam Præfecti Provinciarum, ac Proceres propemodum omnes præter Philippum Croïum, Areschoti Ducem, & Carolum Brimæum Comitem Meganum, qui Geusiorum sese hostes profitebantur, nec *Variæ Senatorum Sententiæ.* decedere, quibus præessent Provinciis, volebant. Tùm *Margareta* à Proceribus remedium quærere cæpit, sopiendis coërcendisque turbis validum; Erant, qui popularem illum morbum, levioribus medicamentis curandum censerent: Inclinatam rem, inque ruinam pronam, aliter sisti non posse, quàm si Sectariis libertas Religionis indulgeatur. Parum gloriæ ex civili bello sperandum, multum periculi Arma & Bellum suadebant alii. Alii in alias ibant sententias, atque ab hora septima ad duodecimam frequenti Senatu & distractis sententiis disceptatum est. Hæc cum Conjuratos minimè laterent, insaniora præteritis agitare incipiunt, eo consilio, ut *Margaretam* Gubernatricem, tristioribus fortasse nuntiis deterritam, ad iniqua suorum postulata quoquo modo admittenda, compellant. Mittunt igitur ad Iconomachos, qui juberent eos, accepto signo, splendidissima quæque Monasteria evertere, ac deindè simul ex omni parte in regiam versus iter dirigere. Et quidem Flandri Afflegemiensem, Silvæ-ducenses Tongerloënsem Abbatias circumsedebant, expectantes irrumpendi signum, quod ni promiscuus religionis usus indulgeretur, daturos se conjurati promiserant. Cum Antverpienses econtrà dispersi per Monasteria & Pagos fœdis rapinis incendiisque grassarentur. Primâ luce Mechliniam ex improviso ador-

adorti, mixtâ sibi oppidanorum colluvie, Franciscanos & Carmelitas exspoliant, peractoque scelere Vilvordiam se proripiunt, passimque jactant, postridie se Bruxellam agmen admoturos, omnesque omninò Monachos & Sacerdotes, cum Ministris regiis statuisse conficere. Gubernatrix ingenti consternatione perculsa, Bruxellis clàm egredi, Montesque Hannoniæ secedere statuit. Re Bruxellis evulgatâ, imperio Magistratus portæ urbis statim clausæ sunt. Mox Magistratus ipse, Gubernatricem supplex adivit, oravitque, Ne per eam fugam sceleratis hominibus erigeret altius supercilium, fidamque civitatem hujusmodi notâ, quasi conjurationis affinem, apud Regem damnaret. Urbem ita in officio mansuram promittit, ut cujus ipsa velit militari imperio sit paritura. Petrum itaque Ernestum Mansfeldium Comitem urbis custodiæ præficit, qui Senatum Urbis mox in Basilicam convenire jussit, quo & ipse, & Auriacus, Egmondanus & Hoochstratanus Comites venêre, qui fide ipsorum Gubernatricem in urbe manere statuisse aiunt, eâ lege, ut diligenter caveant, ne conciones in Urbe habeantur, ne vis templis inferatur. Rogare insuper, ac jubere, ut Mansfeldio in omnibus obediant. Quod cum cives se facturos recepissent, fidemque obstrinxissent, usque in vesperem Gubernatrix à trepidatione respiravit: quo tempore majore pavore consternatur, nuntio secreto allato, factiosos decrevisse eâ nocte imagines confringere, Barlarmontium interficere, ipsamque unà cum Viglio Signatorii annuli custode comprehendere. Is arte à Conjuratis Gubernatrici injectus metus, eo consilio, ut ipsa vel iniquis conditionibus cum illis paciscceretur. Nec opinione suâ fulsi sunt: nam die sequenti à prandio Proceres in concilium venire jussit, ac de componendis turbis sententias rogavit. Cumque Auriacus, Hornanus, ac plerique alii urgerent: ut temporariâ aliquâ indulgentiâ perniciem publicam redimeret: modum poneret præfervidis studiis, ne religionis defensione religionem perderet, illa defectionem universalem verita, tempori cedendum censuit. Itaque Gubernatrix, contectum animo mœrorem ægrè occulens, multumque obtestans, assensit, ut iis tantummodò locis, in queis habitæ fuerant ad eum diem conciones, deinceps haberentur: modò inermes, nec infesti Catholicis convenirent; idque locum haberet, donec à Rege ex Ordinum assensu aliter statutum esset. Præcereà securitatem Fœderatis asseruit, promisitque neque fœdus, neque libellum, neque quæ fœdus libellumque secuta sunt, fraudi, culpæ damnoque futura esse. Ambiguum Gubernatricis assensum, Fœderati in suam rem detorquen-

Gubernatrix fugam meditatur.

Fidelitas Magistratus.

Gubernatrix coacto Consilio, & exquisitis sententiis tempori cedit.

quentes, protinus evulgant Gubernatricem conciones approbaſſe, ſi vis ſeditioque abeſſet: contrà quam illius erat animi ſententia, quâ non rem eam definiret, nec probaret, ſed quid temporis neceſſitas poſtularet, quid itidem Fœderatos præſtare oporteret, præſcriberet. Paulò poſt, ſuam cum Fœderatis conventionem Gubernatrix promulgat. Eâ perſcriptum fuit, ut Inquiſitio abrogaretur, novoque ac mitiore Edicto, antiquatis ſuperioribus, Supplici Nobilitati litteræ traderentur, quibus de Fide publica caveretur. Nobilitas quoque legis, ac officii memor, juſtum *Philippo* Regi obſequium præſtaret, provideretque in poſterum, ne ſacrorum locorum vaſtatio, arma, aut vis ulla, conciones quoque inſolitis regionibus, aut ſocietates haberentur, regio juri & publicæ tranquillitati adverſa. Poſt hæc Fœderati quoque ſolemnibus tabulis teſtabantur, pactis conventis ſe ſtaturos, interceſſuroſque ne contra fieret: Fœdus denique ratum fore, quamdiu fidem datam Rex ſervaverit. Sic ergò utcumque ſedati ſunt perturbati animi, Proceresque per provincias dimiſſi ad publicandam pacem, & ſubigendos eos qui averſarentur imperium. Edictum quoque VIII. Cal. Sept. à *Margareta* Gubernatrice in templorum ſacrorumque violatores perſcriptum. Eo cautum erat: Ne quis templa, ſacravè loca, aras, imagines, ſtatuaſvè confringeret, diriperetvè, ſub pœna ſuſpendii & bonorum confiſcationis. Sanxit quoque, ut in talium reos, velut Sacrilegos, Dei, hominumque hoſtes & contemptores jus necis cuivis eſſet, impunitate non tantùm cædis, ſed & mercede promiſſâ. Magiſtratus quoque oppidorum conniventes,& quo minus iſtiuſmodi puniantur, præpedientes pro fautoribus talium habendos edixit, ac ut Oppida per Magiſtratus populivè delictum omnibus juribus, ac immunitatibus ſuis exciderent. Exindè Præfecti è pactionis formulâ Provincias ordinavêre; tum fana refecta, omnique templorum ornatu ex pacto reſtituto, Catholici ad intermiſſa divini cultus exercitia redière. Cæterùm hic affulgentis tranquillitatis ſplendor durabilis non fuit, quod armorum apparatum fama nuntiaret, copiaſque à Rege in Germania lectas, propediem iter in Belgium habituras. Ea res Fœderatorum animos vehementer commovit. Etenim haud inani conjecturâ præſagiebant, ultionem recentium turbarum auctoribus parari, neque Regem bonâ fide veniam innovatæ religionis, ante actorumque motuum feciſſe, perſuadere ſibi poterant. Plerique etiam credebant, nihil ejuſmodi à Rege indultum eſſe; econtrà eum Segoviæ è febre lecto affixum, conventione Margaretæ & Fœderatæ Nobilitatis graviter offen-

Edictum Gubernatricis in templorum ſacrorumque violatores.

Fœderatorum inquietudo.

offensum; eumque displicitæ pactionis ægritudinem, aulicâ simulatione, & fucatis in Auriacum blanditiis contegere: sed hæc ipsa à *Margareta* Gubernatrice, versipelle fœmina esse conficta, ut præsenti serviret necessitati, & vota fœderatæ Nobilitatis aulicis artibus deluderet. Neque ab alia parte minore metu quatiebatur Gubernatricis animus. Spem fecerat, ut indicto Ordinum totius Belgicæ conventu, decernerentur, statuerenturque Regi & juxtà subditis salutaria. Quæ si non succederent, metuebat ne factiosi novas turbas cierent, novas clam societates inirent, perniciosa quieti publicæ consilia meditarentur, denique vim atque bellum machinarentur. Quamobrem Bruxellas contra vim & insidias munit. Egmondanum in Flandriam; Antverpiam Auriacum; Mechliniam Hoochstratanum, Tornacum Hornanum; Valencenas Noircarmium ad res curandas transmittit. Quin & Fœderati Nobiles quod operam sese daturos rei restituendæ promiserant, non expectato Gubernatricis imperio, operas inter se partiuntur, & in singulas urbes, imperium detrectantes, nonnullos è collegis mittunt, ut contumaces ad obsequium adigerent, populumque in pace continerent. Eo factum, ut major pars Nobilitatis sensim se à Fœderatis avulserit, & benignitatem Principis, quàm extrema consilia experiri maluerit. Haud multò post Sacrilegi velut ad mores, ac ingenium redeuntes, in cœtus coëunt, ac bacchantium similes, templa rursus invadunt, Divorum imagines, ac sacram in aris supellectilem perfringunt, atque obterunt. Aurantius Antverpiam reversus tres sacrorum violatores jubet patibulo suffigi, totidem exilio mulctat, apertoque principe Templo, mandat Sacerdotibus ut in eo ritè operarentur, ad populum tutò dicerent, ac in concredita sibi vocatione persisterent. Altero post die, potestatem hæreticis fecit conciones in urbe, reliquosque Lutheri & Calvini ritus celebrandi, tribus propterea locis attributis. His in eum modum compositis, consignatisque, voce præconis promiscuam religionem promulgari, civesque convitiis & à mutua vi abstinere jussit; præsentem mortem, bonorumque publicationem contumacibus indicens. Indè in Hollandiam concessit, leges Amsterdamensibus propè easdem constituit, quas Antverpiensibus dederat, in hunc propemodum sensum: „ Religionem Romanam Catholicam qui „ turbaverit, noxam capite expiabit; novæ professionis exercitia ha„ berent in templo Franciscanorum, cæteris fanis, Monasteriis, aut „ locis Deo dicatis abstinerent. Illicito cum telo ad conciones nemo „ veniret. Peregrinus ministri officium exercere non posset, nisi civitatis

Sectarii ad ingenium redeunt.

Promiscua religio jussu Auriaci Antverpiæ promulgata.

Idem factum Amsterodami & in cæteris Hollandiæ Civitatibus.

vitatis jure donatus. Ab injuriis, libellis famosis, cæterisque contumeliis abstinerent: Cadavera quo vellent ritu in Minoritarum cœmeterium inferrent: Sin alio loco inhumari postularent, vel ritu Catholico, vel nullis adhibitis sacrorum cærimoniis, funus procurarent. Catholicis vetere ritu inferre, cùm in cætera, tum in Minoritarum cœmiterium mortuorum corpora permitteretur. Hæc pacta tamdiu valitura, quoad ex Generalium Ordinum sententiâ, aliter à Rege statueretur: ita tamen, si quid comitiis illis decerni contingat, quod salvâ Religione, vel conscientiâ admitti non possit, liberum cuique sit patriâ cedere cum fortunis & familia. Indè Ultra-jectum & ad reliquas Civitates progressus, pari omnes conditione & pactis sedavit. Interim haud falso augurabatur, Gubernatricem non probaturam hoc factum, quod indulsisset hæreticis plura, quàm per conventa liceret. Quare excusaturus quæ egisset, literas ad Gubernatricem exarat, quibus edocebat causas, ob quas affirmabat se adductum: nimirum quò sacris ædibus cultus & cultoribus pristina securitas restitui posset. Plus indulgentiâ, quàm severitate profici in tanta novarum religionum illecebra & lenociniis Religionem, Dei dono animis hominum insinuari, non imperari. Si vesanientium furorem, animorumque intemperiem vi & ferro compescere meditaretur, nihil aliud profecturam, quàm, ut illatâ vastitie, urbes & agros desolet, & horridam solitudinem longè latèque Provinciis importet. Hæc omnia vitari posse promiscuâ religionum libertate, vel Augustanæ professionis indulgentiâ, cùm eò jam deventum sit ut populus libertate conscientiæ, omnia posteriora ducat. Sectarios comprimi quidem posse, exscindi non posse. Cùm subsiderit & elanguerit ipsa novitas, melius religioni consulturum Regem, Sectariosque in ordinem redacturum. Hæc Auriacus, quibus non obscurè promiscuæ religionis libertati studebat.

Aurantius excusat quod hæreticis plura indulsisset quàm per conventa liceret.

Majoris molis erat Tornacenses componere. Hi Non. Cal. Septembris primùm minora urbis templa, deindè augustissimum Deiparæ Virgini consecratum delubrum fœdè diripiunt, Sacrarum Reliquiarum capsas auro ac lapillis pretiosas comminuunt, diffringunt, perdunt, ima templi viscera, actis cuniculis scrutati, aurum omne, atque argentum & opulenta signa, quæ Canonici humi defoderant, eruunt, religiosa, jure gentium, sepulchra violant. Diebus aliquot per scelus exactis, Valencenensibus sociantur, junctoque agmine, obvia quæque Monasteria, & pagorum Ecclesias invadunt, parique immanitate vastant. Sed a Roberto Longevallio, Domino

Impietas & scelera Tornacensium.

Domino Zittardii & Frederico Guyonio, Abbatiæ Aquicinctensis Prætore, qui ingentem circa se habebant agrestium manum, multa cum strage juxta Tilloüm & Brilloüm cæsi sunt. Sed non ideò sectariis animus fractus, verùm concionibus acriùs intenti, forum & templa muniebât excubiis. Nec minori vecordiâ Valencenenses agitabantur. Nono Cal. Septembris vilissimorum hominum colluvies templum B. Mariæ Virginis foribus effractis, ac indè cætera urbis templa sacrilego ausu, contaminat. Indè occupatis quas liberet Ecclesiis, novæ religionis mysteria Ministri auspicantur. Dein urbe egressi, vicinis Monasteriis & pagis parem contumeliam inferunt. Noircarmius qui per id tempus Hannoniam, Valencenasque procurabat, Delegatos Magistratus, Consistoriique Cameracum ad se accersit: Monere cœpit, ut leges quas Antverpienses, quas Gandavenses receperant, & ipsi admitterent adempta templa Catholicis redderent, extra mœnia Sectarii conciones haberent, locum se assignaturum, ubi suo ritu facere possent, quo ad Generalium Ordinum comitia succederent, Grangiumque ministrum Gallum dimitterent. Nisi ad tertium Cal. Nouemb. Quercetum veniant & absolutè respondeant, tergiversationem se pro defectione accepturum. Hæc oppidanis renuntiari jubebat. Re ad multitudinem relatâ, Grangius linguâ procax, pacta, in sui maximè contumeliam conscripta, non probavit, quamlibet potius fortunam subiturum se proclamans, quàm has leges pateretur imponi. Et si armis agendum esset, Gallorum auxilia ostendebat. Acto igitur in suffragia populo, haud aliter consentiebant in leges, quàm si duo templa cum Ministris relinquerentur. Delegati ergò Norcarmium accedunt, legibusque subscribunt, eâ conditione, ut Valencenas veniret, locumque concionibus habendis designaret. Veniens Norcarmius, cum Consistorii delegatos evocasset, nemo autem eorum adesse sustineret, offensùs hominum arrogantiâ, conterminarum urbium præsidia contrahit; hinc quotidianæ excursiones, cædes, direptiones. Intereà Consistoria militum delectus in Flandria instituunt, agrosque ex omni parte populantur. Margareta Gubernatrix Valencenensibus imperat, uti quatuor equitum turmas & totidem peditum signa in urbem recipiant. Quod cum se facturos negarent, 19 Cal. Jan. gravissimo Edicto proscribuntur, bonaque eorum publicantur. Parmensis dum hæc agerentur, magnitudine periculi perculsa, litteras in Hispaniam ad Philippum Regem dedit, quibus civilium motuum seriem exponebat: Vastata templa, innovatos Divini Numinis cultus, spretam & oppressam Majestatem re-

Valencenenses proscribuntur.

Gubernatrix Regem orat ut in Belgiū veniat.

gnantis. Rogare itaque Regem, ut rerum per Provincias nutantium misertus, ex Hispania in Belgicam properet, moras præcidat omnes, exemploque Caroli patris, qui summa hyeme per Galliam properaverit in Belgium, ut vel unam Civitatem Gandavensem tumultuantem pacaret, armatus ipse, in summo Civitatum omnium periculo, cum exercitu advolet, mobilem populum suâ Majestate, ac præsentiâ compressurus. Quod Parmensis consilium expendens secum Philippus, convocatis regni proceribus, de componendis Belgii turbis consultavit. Erant qui rem potiùs clementiâ, quàm severitate egere, censerent. Belgas cum peculiari Principum reverentia, velut religione quâdam numinis ad obsequia redituros, si recludi clementiæ sacrarium spectent, & regiæ iræ impetum lenitate fractum. Alii verò bellum & arma suadebant, respuentibusque velut medicinam malis, ferro, atque cauterio utendum. Belgarum impietatem ac rebellionem nullâ pœnitentiâ, aut satisfactione expiabilem esse, affirmabant. Auferendam itaque libertatem, omnis licentiæ fomitem & Rempub. regno per bellum mutandam. Regem officio suo, quod pro dignitate sibi à Deo commissa, sustinet, defuturum, nisi exactâ severitate & cujus exemplo alii sapere discant, perduelles coërceat. Ita decretum de inferendo Belgis bello Madriti perscriptum, autore præcipuo Ferdinando Alvaro Toletano Albæ Duce, assentiente Antonio Perenotto Cardinale Granuellano, quem ut Belgicæ libertati gravem, queremoniis Principum Aurei Velleris inductus Philippus in Hispaniam sevocaverat. Secundùm hæc Philippus vere proximo se in Belgium cum exercitu iturum pronuntiat. Profecturo tres viæ, per quas in Belgium descenderet propositæ: prima per Oceanum Occidentalem: altera per Mare Mediterraneum, & indè per Italiam, ac Germaniam: ultima per Italiam, Sabaudiam, Sequanos ac Lotharingiam. Quod propositum alii dissuasêre, allegantes domesticas imperii curas, regnumque rectore vacuum relinqui non posse. Fore namque, ut Philippo Rege externis bellis occupato, interna per Hispaniam resurgant, breves intra annos repressa, sed quorum vulnera, aut saltem sensus in illustribus familiis extaret. Præter hæc, arma & eventus bellorum cæcæ fortunæ subjacere, cui committendum augusti capitis pignus non sit, in quo tot nationum, populorumque salus versetur. Esse mare vastum & indomitum, & inter medios hostiles agros, tum adventurum Regem eò locorum, ubi omnia infida, & popularium tumultuum plena sint. Quare satius esse cum imperio, ac exercitu in Provincias Belgicæ Legatum, Præfectumque mitti, facturum quæ Rex jusserit, & mi-

Rex convocat Regni Proceres. Alii clementiam: alii arma suadent.

Bellum decretum.

nore obloquutione decretâ ſeveritate uſurum. Sic mutato Philippi conſilio, ſupremum belli imperium Ferdinando Albano demandatum fuit, æmulo nequicquam Carolo Principe, Philippi primogenito, quem anno 1545. è Mariæ Portugallicæ priore matrimonio ſuſceperat. Is namque regiæ indolis vigentiumque annorum Princeps, in hoc maximè adnitebatur, ut repreſſâ inimicorum potentiâ, Belgicæ præficeretur, motuſque Provinciarum componeret. Sed diſcolor Caroli ingenium, Belgicæ libertati pronum, Philippo patri diſplicebat, cujus animus per icti fœderis, & populariū turbarum recentem memoriam, civilis licentiæ vindictam per Præfectos meditabatur. Jam paſſim in Belgio rumor increbeſcebat incenſum irâ Regem, decreviſſe armatum Provincias adire, ac religioni ſibique illatam injuriam ulciſci. Auriacum, Egmondanum, atque Hornanum præcipuè reſpicere Regis iram. Quin & Franciſci Alavæ regii apud Carolum IX. Gallorum Regem Legati, interceptæ litteræ idem adſtruebant. Scripſerat quoque in eandem ſententiam litteras ex Hiſpaniis Montignæus ad fratrem Hornanum, quibus eum, cæteroſque de officio commonefaciebat, multaque de Regis ira & indignatione commemorabat. Quare Proceres imminentis tempeſtatis horrore concuſſi, Princeps Auriacus, Ludovicus ejus frater, Comites Egmondanus, Hornanus & Hoochſtratanus Teneramundam Flandriæ urbem inter Antverpiam & Gandavum convenêre, ac de ſumma rerum & periculi conſultavêre. Non defuerunt, qui inter arma & minacem ultionis Philippum, etiam de venia cogitarent, parciturumque ſubditis Regem pro agnata clementia opinarentur. Ita Egmondanum ne Belgicâ excederet, conjugis, ac liberorum cura, tum vana conciliandæ ſecuritatis ſpes occupaverat. Præterea favor militum, partæque gloriæ decus obvium, velut interceſſuræ pro eo legiones eſſent, cujus imperia & ſimul victorias Gallico bello adornaſſent: Aurantius verò futuri providus, circumſtrepentibus periculis, tutiorem fugam cenſebat, & ut libertatis aſylum per Germaniæ Imperium quæreretur. Eſſe in eo Principes propinquos, quibus poſt exacta Germaniæ bella, diuturnum pacis tempus affluentiam opum, commodum amicis ſubſidium, dediſſet. Neque in Galliæ Regno intutas ſedes, aut minora auxilia fore, quod in eo Condæus & Amiralius rerum potiantur. Idcircò ſatius eſſe obſequi neceſſitatibus temporum, ac impetrandis Germaniæ Galliæve ſubſidiis locum quærere ſecuritati, quam habere in Belgio per advolantia Hiſpanorum agmina non poſſent. Cæteri autem opponenda Philippo arma judicabant, quæ ſtabiliendæ patriæ libertati Henricus Bredenrodius

Ferd. Albano ſupremū belli imperiū demandatū.

Conventus Procerum Teneramundæ.

Opinio Egmondani.

Sententia Aurantii.

per ditiones suas, aliique è Nobilitate Belgicâ parabant. Sed omne negotium per contraria Principum virorum consilia infaustis auspiciis procedebat. Etenim diffidentibus inter se majorum gentium Proceribus, Nobiles etiam fœderati inter se diffidere cæperunt; adeò, ut tertius quisq; à sociis ad Parmensem deficeret & ad obsequiū rediret.

Apparatus ad bellum. Rebus ita fluitantibus, Gubernatrix Philippum Comitem Eversteinium & Bernardum Schoonbergium in Germaniam proficisci curat, traducendis in Belgium duabus legionibus, quas ibidem conscripserat. Provinciales quoque copias, ampliori delectu adornatura, Mansfeldium, Barlaimontium & Croyum, tria peditum millia legere jussit; Megemum insuper & Arenbergium supplementa conscribere. Ergò undique tubæ canebant, & tympana remugiebant cogendis militibus. Indè crebræ Nobilium fœderatorum ad mercatores, & Consistoriales, & mercatorum ad Nobiles litteræ commeare. Ex his consilium denique captum ut quando Gubernatrix vim meditabatur, ipsi quoque arma ostenderent, militesque partim ex Saxonis, partim ex Palatini Provinciis legerent. Id HenricoBredenrodio commissum; oblataque ei Antverpiensium mercatorum nomina pecuniam pollicentium, quanta contrahendis militibus satis foret. Bredenrodius nihil cunctatus coäctores nominat, & Philippum Marnixium à Sancta Aldegunde ærarium Quæstorem creat. Cum Saxonum Duce agendi munus suscepit Ludovicus Nassavius. Per id tempus præcipuæ quæque Belgii Civitates, Antverpia, Sylva-Ducis, utrumque Trajectum, Amstelodamum, Groninga, Tornacum, præter Valencenas, aliasque, defectionem minitabantur. Sylvam-Ducis Mense Febru-
1567. ario 1567. invaserat Bredenrodii nomine Antonius Bombergius.
Brederodius occupat Sylvamducis. Missi sunt eò à Parmensi Merodius, Petersemii Dominus, & Jo: Scheyffius Brabantiæ Cancellarius, ut oppidum in officio retinerent. Eos subsequebatur Megemus comes cum aliquot cohortibus, haud procul ab urbe operiens, dum rebus ab illis compositis, cum milite admitteretur. Ubi primùm Megemus conspectus est, sparsumque in vulgus esset prodendam à Merodio & Cancellario fuisse Civitatem, à furente plebe ambo in custodiam dati sunt, indignis verborum contumeliis affecti, de perduellione, de susceptis cum Megemo in urbis perniciem occultis consiliis accusati. Bombergius supremum militiæ imperium capit, milites properè scribit, tormenta idoneis locis disponit. Megemus itaque indè digressus; Trajectum ad Rhenum contendit, atque istic milite in urbem introducto, momentò sectariorum cœtus disturbat.

Petersemii Dominus & Io: Scheyffius Brabantiæ Cancellarius à Gubernatrice missi dati in custodiam.

Intereà

Intereà Jacobus Marnixius, Tholosæ Dominus, unus ex conjuratis, sexcentos milites, tribus navigiis impositos, Antverpiâ prono flumine in Zelandiam subnexit, eo consilio, ut ope Petri Halii, Prætoris Middelburgensis adjutus, Vlissingam totamque Walacriam insulam invaderet. Sed oppidani navis nundinalis appulsu hujus rei certiores facti, stationes geminant, & ita irrita fuit ea Tholosii expeditio. Is vero suâ spe frustratus, Austerwelium haud longè ab Antverpia concessit, & in aggeribus, ac prærupta Scaldis ripa, loco, ut rebatur, tuto, castra munit, ut suæ factionis hominibus ad omnia præstò esset. Gubernatrix, sive quod Antverpiæ metueret, ne Tholosius illato in urbem exercitu, Sectariorum partes firmaret, sive quod eas brevi copias habituri hostes dicerentur, quibus vincendis nisi justus exercitus non sufficeret, celeritate opus esse existimavit. Philippo itaque Lanoïo, Beavorio Domino, è Bruxellensi præsidio quadringentos milites attribuit: quibus se adjunxit Valentinus Pardeus Mottæ Dominus, prætereà Comitum Arembergii & Barlamontii gravis armaturæ turmæ. His copiis Lanoïus succinctus, III. Idus Martii horâ sextâ matutinâ Tholosianos ex improviso aggreditur, cædit ac fundit. Pars interfecti, plures ex aggeribus in subjectum flumen præcipites acti. Ipse Tholosius cum intra quandam domum profugisset, ibique ultimam vim sustinere decrevisset, incendio excitato, unà cum domo crematus est. Periêre in hac pugna, quæ Geusiorum fuisse prima memoratur, homines circiter mille quingenti: capti haud minus trecenti, jugilatique penè omnes Lanoii jussu. Quo casu Calvinistæ furore amentes, correptis raptim armis, ad portam quæ Austerwelium versus ducit, uno impetu feruntur ad ulciscendam fratrum cædem, Auriacoque præsente, refractâ valvarum foriculâ, summo cum tumultu parant erumpere; sed ubi pontem excisum vidêre, inconditis vociferationibus in Auriacum invehuntur, identidem proditorem appellantes. Quin etiam fuit ex Calviniana illa fæce quidam panni-tonsor, qui pectori ejus sclopetum tamquam explosurus admoveret, ni statim reserarentur portæ Civitatis. Indè in pontem Merium secedunt, junctisque copiis & curulibus aliquot tormentis, illuc ex armamentario comportatis, invadendam Curiam, Clerum omnem, ac religiosas quasque familias ex urbe amandandas, insanè conclamant. Magistratus famâ mali perculsus, Auriacum adit, anxius quò tanta vis tandem erumperet. Verùm ille, qui plebis moderandæ artem calleret, patientiâ eorum impetum vicit, & Catholicos cum Lutheranis in plateam publicam juxtà

Tholosiani ad Austerwelium cæsi fugatique.

Hæc prima fuit Geusiorum pugna.

Calvinistæ arma corripiunt, ad ulciscendā fratrum cædem.

juxtà ædes monetales convenire jubet, qui non pauciores octo millibus induerant arma. Triste & horridum spectaculum datura videbatur Civitas, cum Auriacus, cuncto Senatu validoque militum manipulo comitatus, Calvinianos adit, monetque usurum se promiscuâ cæde, ni arma deponerent & saniora consilia admitterent. Cùm quisque mutuam lanienam horresceret, acceptâ utrimque securitate, certis conditionibus ab armis discessum est. Atque hæc tunc Antverpiæ.

Intereà Noircarmio mandat Gubernatrix, ut obsidionem Valencenensem acriùs urgeat. Missi tamen Philippus Croïus Areschoti Dux, & Egmondanus, qui obsessos, propositis honestis conditionibus, ad officium reducerent. Eæ erant, ut liceret Ministris accepto commeatu indè discedere, anteactorum omnium promissa venia; quas cum illi recusarent, Noircarmius portæ Montensis suburbia intempestâ nocte occupat, ibique aggerem erigi curat, propè æquantem portarum fastigia. Quo intra secundum diem absoluto, machinas attrahi & in summitate ejus constitui jubet. Unum & viginti tormenta erant, quibus Civitatis mœnia crebris ictibus quatit. Verùm non tam illi murorum quassatione, quàm Austrewele casu, & Antverpiensium, qui animos illis hactenus fecerant, ex eo consternatione territi, de pristina ardore & pertinacia multum remisêre; & cum nulla spes auxilii supererat, tandem 9. Cal. Aprilis sub vesperam Regis arbitrio se permisêre. Noircarmius urbem ingressus, Michaëlem Helinum, primarium civem, cum filio, tanquam turbarum principes, in carcerem conjectos, mox securi percuti, Guidonem Bresseum, & Peregrinum Grangium concionatores in furcam tolli jussit; complures alii supremo supplicio affecti. Hoc initium Gubernatrici fuit resumendæ potentiæ, ut hac una in urbe, urbium claves omnium repertæ esse vulgò dicerentur: nec temerè; nam & Cameracesium mox à Calvinistis desertum, militi in prædam cessit: Trajectensium ad Mosam Legati, dum eò tendit cum exercitu Noircarmius, ad Parmensem veniunt, imperata se facturos profitentur, nullaque tergiversatione militem in urbem admittunt. Ita ubique ferè interdictæ Sectariorum conciones, templa instaurata, & imagines majore, quàm dejectæ fuerant, animorum ardore restitutæ; templa nuper à Sectariis exstructa Ipris, Baleoli, Armenteriæ, Cominii, Gandavi magno concursu diruta & solo æquata sunt. Una superat Sylva-ducis, in qua urbe omnia pro arbitrio gerebat Bombergius; Delegatos enim Parmensis, qui Merodii & Scheyffii Brabantiæ Cancellarii

Valencenates Regis arbitrio se permittunt.

cellarii dimissionem petebant, contumeliosè rejecerat. Cæso verò Tholosio, captisque Valencenis, cives paulatim à Bombergii imperio deficiebant. Nec multo post Merodius ac Cancellarius soluti in Curiam veniunt: Bombergius cum militum manu urbe cedit, Seditiosorum Principes diffugiunt. Dein Civitatis nomine Legati ad Gubernatricem veniunt, poscentes admissorum veniam, simul ut accipiendi præsidii onere liberarentur. Offensa Gubernatrix superbis Legatorum postulatis, respondit, Non eam sibi videri legationem supplicum reorum: jubet eos redire domum, ac civibus edicere, in reddenda Civitate conditionibus abstineant, præsidium, uti imperabitur, accipiant, se resque suas Regis clementiæ committant, sicque sese Gubernatrici sine ulla exceptione dedunt. Dum res ità ex voto fluerent, Gubernatrix urgendum putavit, quod jampridem moliebatur, de Proceribus adigendis ad novandum Sacramentum. Magni interesse demonstrat, antequam in Belgium Rex veniat, ut bonorum subditorum operâ restitutam Religionem, publicarumque rerum quietem inveniat. Palàm igitur & ingenuè sese ad Regis voluntatem componerent, Religionem procurarent, seditionem vi atque armis coërcerent. Accipiunt conditionem nullis verborum ambagibus Areschoti Dux, Comites Egmontius, Meganus, Mansfeldius, Barlamontius aliique. Auriacus verò, Hornanus & Bredenrodius jusjurandum abnuerunt, quod dicerent: Majores suos à multis annis, & dein seipsos Carolo ac Philippo Regibus fidem obsequio fecisse. Itaque novo Sacramento, dum vetus adhuc obstringat, obligare se non posse, facturos interim ad quæ teneantur è jure formulaque jurisjurandi, quo obstricti essent. Hæc rerum conversio Auriaci animum altè fodicabat. Itaque vertebat se in omnes facies, ut Egmondanum pelliceret in partes: Colloquio designatur Willebroeckum, pagus Bruxellam inter & Antverpiam situs, quà Bruxellensis alveus in Scaldim influit. Ibi rursus Auriacus Egmondanum hortari cœpit ad fortiter capessendam Rempublicam, fœdusque in id ex communi Procerum consensu icendum, ut Hispani Provinciæ ingressu prohiberentur. Non defutura auxilia, si ducem se partibus ostenderit. Intutum existimaret credere sese fictæ irati Regis benevolentiæ & caput objectare periclis. Statuisse Regem aliquot Proceribus cervices præcidere, qui passi essent lascivire plebem, & facem subjecissent tumultuantibus. Hæc se crebris litteris ex Hispania admonitum, & de salute ejus sollicitum non dubitasse denuntiare, ne vir tantus violento & ignobili caderet fato, & velut piacularis læsæ Majestatis victima, immoletur. Verum Egmonda-

Sylva-ducenses se Regis clementia committunt.

Gubernatrix molitur ut Proceres novum dicant Sacramentũ.

Abnuunt Auriacus, Hornanus & Bredërodius.

Colloquium Willebrocanum.

nus meritis ferox, eoque periculi negligens nullis rationibus adduci potuit, ut Auriaco auscultaret, & exitio suo præverteret; hoc pro responso inculcant, sperare se, ac certò confidere, concionibus omissis, & templorum violatoribus ac sectariis punitis, placatum Regem gravius nullum supplicium sumpturum esse. Ad quæ Auriacus non sine stomacho & indignatione: „Quod unum superest, „ tibi denuntio, Egmonti, si animum obfirmare perseveraveris, jam „animo provideo, te pontem venturis Hispanis straturum, per „ quem, ubi in has regiones pedem intulerint, loco trophæi, caput „ tuum à trunco demessum, statuent. Quibus dictis, sive præsagâ mente, sive ut Egmondanum à sententia dimoveret, post amplexus, non sine lacrymis utrumque dato, discessêre. Ac postridie Auriacus datis ad Gubernatricem litteris, oravit. Quæ hactenus egisset, quosque sæpè labores domi militiæque, pro Regis commodo ac dignitate pertulisset, benigne interpretaretur ipsa, & Regi in memoriam revocare dignaretur. Se certè Celsitudini ejus, quibus in terris ageret, addictissimnm perpetuò fore. Statimque cum uxore, ac familia, præter Philippum filium natu maximum, Lovanii studiorum causâ relictum, magno comitatu Bredam, dein Dillenburgum concessit, & indè in Germaniam, quasi ad res domesticas ordinandas profectus est; plerique ab ipso clàm moniti, mox secuti sunt. Major pars Nobilitatis cum Egmondano, in cujus meritis fiduciam habebant, mansit, & se illius exemplo à fœderatorum causa separavit. Diversâ parte Hornanus Comes, uterque Culenburgius & Bergensis Belgio excessêre, seque venientibus malis tempestivè subtractos, in tutum stitêre, quemadmodum & Ludovicus Nassavius, & Henricus Bredenrodius, Princeps fœderis, qui primùm Embdam, dein Gemam concessit, quo in loco velut decretâ fugæ & morti sede, post annum, nullo hærede, extinctus est.

Auriacus eum Egmuntium in partes pellicere non posset, præsaga mente ei prædixit, quæ postmodum subsecuta sunt.

Dum hæc agerentur, Antverpienses, sive Procerum in pacem conspiratione, sive recenti Valencenensium aliarumque urbium exemplo perculsi, Legatos ad Gubernatricem mittunt, præteritorum veniam comprecantes, civitatemque turbarum concitatoribus vacuam in officio futuram pollicentes. Illa se veniam non daturam respondit, priusquam præsidium militare intra urbem reciperent. Hæc in urbem relata, placuit delegatos ad Gubernatricem rursus proficisci, ac deditionem offerre. Postridie eò sexdecim peditum signa præmisit Duce Mansfeldio, qui urbem hostili specie, pilâ ori insertâ, ingressus est; cum biduo post subsecuta est Gubernatrix, succincta mille ac ducentis equitibus. Tum succedebant Pro-

Antverpienses Gubernatrici deditionem offerunt.

Urbem subit.

Proceres, publici ſtatus Conſiliarii, Sanctioris conſilii & ærarii aſſeſſores. Ingreſſa, ibat ovans & quaſi triumphans per urbem, & rectà ad principem Dei Matris Ædem cum eo comitatu contendit, libavitque oculis aras ſubrutas, ſacra Divorum ſimulacra ferro violata, templique paulò ante religioſiſſimi dehoneſtamenta, quorum aſpectu pia Princeps oculos ſolvit in lacrymas. Decantato ſolenni gratiarum carmine, egit ipſa privatim Magnæ Virgini grates, quod ejus ope tantam urbem ſine ſanguine Regi, Religionique reſtituiſſet. Indè decretæ ſupplicationes publicæ, quas ſuâ & aurei Velleris Equitum præſentiâ cohoneſtavit, templa inſtaurata, vetera placita de religione renovata; templa Sectariorum, quantum per temporis anguſtias licuerat, exſtructa, disjecta. Deindè ad civitatis adminiſtrationem converſa, nonnullos, qui turbis cauſam dediſſe jactabantur, in furcam agi juſſit, & arma, diligenti per civium ædes veſtigatione habitâ, deſcribi, imperavit. Ad hæc octavo Cal. Maii edixit: Novarum Religionum Miniſtri intrà præſtitutam diem urbe diſcederent; conciones, cæteraque novarum religionum exercitia & ritus abrogarentur; Catholicorum templa reſtituerentur; pueri à Sectariis baptizati, rurſus ſacro lavacro abluerentur; obſtitrices intra horas viginti & quatuor puerperas magiſtratui denuntiarent. Cives jurejurando Regi ſe obſtringerent; Apoſtatæ, exules, cæterique malæ notæ homines urbe excederent. Res eas ſi cives præſtarent, nulli ſuam Religionem fraudi futuram: Qui legibus, quas Rex de Religionis obſervantia laturus eſſet, parere renueret, huic abeundi facultatem futuram. Ad majeſtatis reos, templorum violatores, perduellioneſque hanc indulgentiam non ſpectaturam. Has conditiones ſe eâ lege promittere, ſi Regi probarentur. Accipiunt conditiones Antverpienſes, ac quarto Iduum Aprilis, imperante Magiſtratu, omnes ſacrificuli, tàm Martiniani, quàm Calviniani vaſa colligunt, urbeque diſcedunt, Senatui, populoque Dei iram, graviſſimaque ſupplicia comminantes. Scholæ quoque, quas erudiendæ juventuti Sectarii erexerant, ad alios uſus tranſlatæ. Denique urbanus miles exauctoratus eſt, & relicto ibi Comite Mansfeldio cum tredecim militum ſignis, Gubernatrix cum reliquis cohortibus, Nobiliumque comitatu Bruxellas rediit. *Componit urbis ſtatum.*

Per id tempus Bredenrodius multo armatorum præſidio Amſtelodamum tenebat. Noircarmius cum tota mole exercitus eò con-

tendit, in itinere Arenbergius ei conjungitur cum sua legione & non modica Germanorum manu. Bredenrodius tolerandæ obsidioni imparem se existimans, Cal. Maii nave conscensâ, in Frisiam Orientalem, indé in Germaniam fugam adornat. Dimissi interim milites ad quinque circiter millia sine stipendio, cùm licentiosè vagarentur, circumjecta Monasteria, & in his perantiquam & celebrem Abbatiam Egmondanam, vetus Comitum Hollandiæ Mausoleum, per vim diripiunt. Sed in tempore superveniens Megemus, omnes qui occurrerunt fudit, centum in æstuariis maris deprehensos, profligavit. Fœderati nobiles, qui adhuc in urbe erant, in his fuêre duo Batenburgii fratres, Gisbertus ac Theodoricus aliique Transamasanam Frisiam cogitabant: navem itaque cum Hartmanno Galama, Suffrido Beiemo, Gulielmo Buma, aliisque è fœderata nobilitate conscendunt. Quorum consilia ut everteret Arenbergius, instructissimam triremem, cui Mulartus cum imperio præerat, Flevi æstuariis immisit, ut de eorum adventu cognosceret. Jacobus Donckerus Harlinganus, qui onerariâ navi profugam nobilitatem vectabat, enavigato Austrino sinu, dein Flevi æstuario, quod minores majoresque Frisios interluit, eandem navem ad vadum adegit, quod non longo intervallo à littore discretum, in ora præterfluentis Flevi exsurgebat: casu id acciderit, an Navarchi dolo ac perfidiâ, non satis liquet. Quarè Mulartus validâ remigum manu eandem navem assecutus, suam fecit, & Harlingam adduxit. Præter vestes Sacerdotales, infulas, aureos cælatosque calices, captivorum numerus centenarius fuit, eorumque plurimi, haud procul aggere & marino litore, quod ubi in Austrum est, morte affecti, triste aditi fœderis præmium tulerunt. Batenburgici fratres & alii nonnulli, altiori sanguine geniti, jussu Gubernatricis in Vilvordianam arcem traducti, paucis post mensibus, Albano Belgii Gubernatore, ultimo supplicio affecti. Bredenrodii fugam secuta est universæ Hollandiæ deditio: Non enim solum Amstelodamum, Lugdunum, Harlemum, Delphi, sed etiam Middelburgum, aliæque in Zelandia Urbes; Item Groninga, Daventria, totaque Frisia præsidium militare accepêre, atque adeò omnis ferè Belgica, Religione restitutâ, Sectariis vel profligatis, vel dilapsis, Regi asserta est. Una res in tam felici rerum cursu Gubernatricem non mediocriter angebat, quod videret Belgarum plurimos, non impetratâ præteritorum veniâ, relictâ domo ac familiâ in loca bellis inaccessa commigrare, & transire aliò terrarum commercia. Idcircò Regem

Bredenrodii fuga.

Omnis ferè Belgica, religione restituta, Regi asserta.

Regem sæpiùs admonuerat, ut aut sibi eam facultatem condonandi componendique omnia tribueret, aut potiùs ipse in Provincias suas jam pacatas, jam obsequio promptas, adveniret. Secundum hæc Philippus vere proximo se in Belgium iturum pronuntiat; re tamen in deliberationem vocatâ, quam super hâc re postremam habuit, se haud ante profecturum pronuntiat, quam præmisso cum exercitu Legato, non ut populorum obsequium & pax armis interturbetur, sed ut affuturi dein Principis securitati decorique caveatur, nec multò post Albanum Legatum dixit. Mox Hispania & Sicilia cæteræque Philippi ditiones armorum apparatu perstrepebant. Quare veteranæ legiones omni ferè Italiæ orâ, insulisque mediterranei maris evocatæ. Tum Insubrum agros lustrandis copiis Ferdinandus Albanus, qui Barcelonâ Genuam, Ligustici maris emporium, cum triremibus appulerat, designavit, parumque à tertianæ paroxysmis convalescens, mense Majo in Sabaudos, ac Allobroges, dein in Burgundiæ comitatum & Lotharingos progressus, omnem exercitum, in quo peditum circiter novem millia, equitum verò mille & ducenti erant, in agrum Luxemburgicum ditionis Belgicæ, effudit, ubi se illi junxerunt Comites Ladronius, Eberlteinius & Schouwenburgius cum suis quisque Germanis legionibus. Aderantque Carolus Emerius Barlamontius & Philippus Noircarmius, ille Namurci, hic Hannoniæ præfectus, à Gubernatrice ad eum salutandum delecti. Et Albanus præmiserat Franciscum Ibarram, qui Gubernatricem suo nomine officiosè salutaret. Tandem XI. Cal. Septembris, multis Nobilibus, qui obviam ei processerant, comitatus, Bruxellas ingressus, ad Regium Palatium deductus est, ac Gubernatricis manum cursim osculatus, in ædes Culenburgi comitis divertit, ac veteranos per præsidia disposuit. Postero die tabulas mandatorum Gubernatrici legendas misit, in quibus summa armorum præfectura per Belgium ei tribuebatur, civili aliarum rerum administratione salvâ penes Gubernatricem remanente. Eodemque die magnâ pompâ ad eam invisendam splendidè processit, tùm remotis arbitris, ampliora, quàm quæ paulò ante protulerat, mandata Regis exhibuit. Iis ultrà summum armorum imperium, illi potestas attributa est, Magistratus & Præfectos exauctorandi, alios sufficiendi, præteritorum causas tumultuum cognoscendi, plectendi, gratiam delictorum faciendi, urbes & oppida muniendi, arces etiam, munitiones & propugnacula extruendi, militares copias auctorandi & exauctorandi, rationes ærarii inspiciendi. Ad extremum prolatæ ab Albano Regis ad

Philippus pronuntiat se in Belgium iturum.

Albanus cum exercitu Luxemburgum venit.

Albanus venit Bruxellas.

Exhibet Gubernatrici mandata Regis.

 Parmen-

Parmensem literæ, ipsius manu exaratæ, quibus significabat, se certarum rerum executionem Albano commisisse, quarum in tempore illam certiorem faceret. Interroganti Parmensi quid illud esset; respondit Albanus, temporis progressu id se cum illa communicaturum. Quod cum maximè Parmensis animum pupugisset, tamen injuriam eam prudenter dissimulavit, addiditque optimum factu sibi videri, si regiarum exempla literarum in Senatu legerentur, quod & factum est. Ipsa interim ad Regem scribens conquesta est, tantum potestatis, tantum militum Albano attributum, quippè se dominatûs exsortem, modicis tantum vulgaribusque negotiis præfuturam; solam imperii umbram, atque imaginem retinere: Albano curam Magistratuum commissam, quibus privare modicè suspectos queat, facili censurâ, sed quæ vitæ necisque potestatem includat: omnia jam penè composita ostendit; & si quid reliquum sit, id lenitate potiùs, quàm severitate transigendum esse: Orare ex animo, ut se nono jam anno moderantem Belgiam, diuturnâ administratione, pro sua indulgentiâ liberare non gravaretur. Sic Gubernatrix sive æmulatione ergà Albanum, sive tædio imperii ducta, missionem flagitavit.

Querela Gubernatricis.

Missionem à Rege flagitat.

Albanus imperium orditur à restaurandis Caroli V. & Philippi Edictis.

Legit Senatū rerum capitalium.

Intereà Albanus à restaurandis, quæ Carolus V. Philippusque Reges sanxerant, Edictis imperium orsus, eorum mitigandorum, Ordinum item Belgii convocandorum, spem omnem præcidit: Senatum quoque capitalium rerum constituit, in quem legit duodecim Consiliarios, partim indigenas, partim peregrinos, istique judicum consessui Præsidem se designavit. His ità constitutis, Albanus V. Idus Septembris Proceres Bruxellas excivit, tanquam de rebus gravissimis consultaturus. Cum omnes adessent, conventus in ædibus Culemburgicis habitus est; eodemque tempore Joannem Casembrotium, Backerselii Dominum, Egmondano à Secretis, & Antonium Stralium, Antverpiæ consulem, virum opibus & gratiâ inter cives suos florentem, comprehendi jussit, statimque ejus bona describi & ædes obsignari mandavit. Quæ dum agerentur; Albanus de arce Antverpiæ construenda dissertatione instituta, consilium in vesperam usque extrahit, dum de Casembrotio & Stralio captis, sibi constaret. Quos ubi comprehensos rescivit, confestim consilium dimittit. Abeuntibus aliis, ipse Egmondanum in secretum conclave sevocat: & „ Siste, inquit, Egmondane, custodiri „ te Rex jubet, ejusque nomine gladium pone. Egmondanus vir illustrium natalium, & Carolo Cæsari, Philippoque Gallicis aliisque bellis clarus, ægrè eum, quem toties pro Principe suo, ac patria

Casembrotiū & Stralium jubet comprehendi.

Egmontium & Hornanū retinet, postcà in arce Gandavensi in custodiam dati.

tria tam feliciter ſtrinxiſſet, relinquere ſe dixit. Comes etiam Hornanus, ab Ducis Albani filio diſcinctus, juſſus eſt ſeſe in poteſtatem Albani committere. Quo facto, Albanus ſtatim Barlemontium & Petrum Erneſtum Mansfeldium ad Gubernatricem mittit, qui rem denuntiarent; addito illud eſſe, quod Rex literis ſuis obſcurè ſignificabat, quodque pro tempore ei non explicaverit, id enim celatum à ſe ex mandato Regis, nimirum ne qua pars invidiæ ac periculi, ſi quid ob id tumultus oriretur, ad eam perveniret Hoochſtratanus Comes & ipſe ab Albano evocatus in viam ſe dederat: verùm ſive vero, ſive ſimulato morbo non venit, & ita periculum evaſit. Nocte quæ captos proceres ſecuta eſt, Albanus ab Egmondano arcis Gandenſis teſſeram popoſcit, ut eâ repræſentatâ, Trullerus qui ejus nomine arci præerat, eam in poteſtatem ſuam traderet. Ita tradita arx Alfonſo Ulloæ; moxque Egmondanus & Hornanus in eam ſub cuſtodia miſſi ſunt: Cæteri capti pars Vilvordiam tranſlati, pars Bruxellis aſſervati ſunt. Intereà miſſis paſſim qui in ſeditionis auctores inquirerent, ingens terror univerſum Belgium pervaſit, multique cum ſuam innocentiam non ſatis tutum perfugium adverſus impotentem Albani ſævitiam eſſe cernerent, pars in Britanniam & maritimas civitates, pars in Germaniam, atque etiam in Galliam proximam ſeceſsêre. Innumeri præterea Tornaci, Valencenis, Mechliniæ, Gandavi etiam Antverpiæ carceribus mancipati, ex quibus plurimi ſupplicio affecti; alii ſquallore funeſti carceris, aut metu mortis abſumpti vitam finierunt, tanto populorum odio, ut *conſilium non pacis aut Iuſtitiæ, ſed turbarum ac ſanguinis vulgò vocitarent.* Nec multò poſt, arx Antverpiæ quinquangulari formâ, juſſu Albani, ab Paciotto Allobroge conſtructa eſt: ad ſingulos angulos excitatis amplis ac projectis propugnaculis, quorum quatuor inuſitato faſtu ex ſui unius nomine appellari voluit; nam primo Ducis, alteri Albæ, tertio Ferdinandi, quarto denique Toletani gentile nomen indidit; quinto de nomine artificis Paciotto nomen fecit.

Belgarum multi in regiones exteras ſecedunt.

Arx Antverpiæ ab Albano excitatur.

Per id tempus *Margareta* Gubernatrix impetratâ miſſione, ne inſalutatis Provincialibus Italiam reviſeret, literas ad Ordines Belgii dedit, quibus ſeriem, moleſtiamque rerum, ab ſe ferè novennio geſtarum exponebat. Cæterùm omne imperii onus in ſpem Regii adventus à ſe ſuſceptum, quem in Belgium celerare, primo quo ipſa voluiſſet tempore, Turcarum arma, & infidæ Maurorum per Hiſpaniam res vetuiſtent. Iſtâ occaſione uſurpatum ſibi diuturnius imperium, quo, etiam ſurgente per Belgium tempeſtate, ſe non abdi-

Margareta impetratâ miſſione, Ordinibus valedicit.

abdicasset, adjuta quàm maximè eorum consiliis, qui in partium novarum studia & societates non pertrahebantur. Quare nec spes suas redeundi in Italiam, nec Octavii mariti desideria explevisse, quin curasse potiùs, ut ad Ecclesiam Romanam, ac obsequium & reverentiam Regis licentiosa nonnullorum ingenia redirent. Hoc modo bonum publicum domestica consuetudine sanctiùs habitum, opimos post imperio suo fructus, sedatam Belgicam attulisse. Quâ ipsâ quoque excedere in medio rerum cursu mens,̈ neque consilium fuisset, nisi præter fragilitatem sexus, continua invaletudo infirmum corpus labefactaret. Hanc causam discessûs, & longarum apud Philippum precum fuisse, quæ multo post tempore tantum valuissent, ut secuturus propediem Rex, Ferdinandum Albanum in Provincias cum imperio præmiserit, quod hâc significatione, dum in consessu Ordinum non liceret, se deponere testaretur. Orare igitur Ordines, ut Religionem Catholicam ante omnia colant, Regi obediant, & laudabilem sui semper memoriam retineant. Ita valere Ordines jussit, ac III. Cal. Januarii Belgicâ excessit octennis imperii & compositæ fermè tempestatis gloriam suo Octavio [reportans], relictâ apud Belgas jucundissimâ æquè ac laudatissimâ nominis sui memoriâ. Mox XIV. Cal. Januarius Albanus, Principem Auriacum, Comites Hoochstratanum, Culemburgium, Bergensem, Bredenrodium, aliosque à Belgio profugos Dynastas, ad III. Idus Februar. Bruxellas evocavit, ac ad dicendam causam adesse Edicto jussit. Eo comprehensum erat, ut citati, nisi se sisterent, pro convictis haberentur, contumaciumque bona Fisco regio subessent. Ad citationem Auriacus & Hoochstratanus prolixo scripto responderunt, se neque à legitimo judice, neque ad legitimum tribunal citari. Aurei Velleris Equites non nisi ab ejusdem Ordinis sodalibus judicari oportere, proindè Cæsaris aut alterius in Imperio Principis tribunal appellare. Cum igitur intra præscriptos dies, nemo Procerum se sisteret, læsæ Majestatis damnati, & eorum bona omnia Fisco regio adjudicata sunt: Simul Philippum Gulielmum Auriaci filium, tredecim annos natum è Lovaniensi Academia, in qua literis operam dabat, extractum, in Hispaniam abduci jubet. Mox Bredam Auriaci oppidum valido Hispanorum præsidio firmat.

Auriacus & alii Dynastæ profugi citantur ad dicendam causam.

Respondent Auriacus & Hoochstratanus.

Læsæ Majestatis damnantur, eorumque bona Fisco addicuntur.

1568. Annus sequebatur 1568. Belgicæ genti inprimis funestus. Etenim Albanus Dux ad Edictorum executionem progressus, cœpit in novæ Religionis homines, & præcedentium tumultuum auctores severiùs fortè, quam Belgarum ingenia, temporumque & mor-

bi

bi ratio ferebat, animadvertere: Quicunque templa disturbarant, diripuerant, profanarant: Quicunque arma in Regem & Religionem sumpserant: Quicunque hæreticis concionibus interfuerant, vel ipsos concionatores in ædes suas receperant, aluerantque, capitali supplicio affecit, eorumque bona regio Fisco addixit. Unde factum est, ut homines, summâ velut animorum desperatione (cum innocens quisque à supplicio, aut saltem ejus metu immunis vix haberetur) urbibus pagisque excederent, agrestiumque ac barbarorum more sylvis & abditis cavernis clausi, ferinam belluinamque vitam latrociniis simul ac flagitiis sustentarent. Hi *Geusii Sylvestres* nuncupati sunt. In hujusmodi nefarios homines Albanus armatas aliquot copias immisit, à quibus multi profligati, multi capti, multi suspendio neci dati sunt. Deindè Edicto cavit, ne quis ad has colluvies sese adjungeret, neve cum his perduellibus ullum commercium esset, aut Belgio excederet, sub pœna capitis. Mox Culenburgiorum Comitum palatium, quod Bruxellis visebatur, ob pactum in eo fœdus, ac conventus Principum habitos funditùs exscindi, everti, & solo æquari jussit; dein ne vestigia fœderis ullibi cernerentur, aream silice sterni, & in medio marmoream columnam poni curavit, cum hâc inscriptione: *Regnante Philippo II. Catholico Hispaniarum Rege, in hæreditariis Belgii Provinciis Gubernatore Ferdinando Alvares Toletano, Duce Alvæ, Marchione Coriæ, &c. Sancitum, Florentii Pallantis Comitis Culenburgii, ob execrandam memoriam repetitæ in eo conjurationis adversus Rom. Cathol. Religionem, Regiam Majestatem, Statumque Belgii, Solo æquandum, Anno Salut.* M. D. LXVIII.

Funesta Belgii facies.

Geusii Sylvestres.

Ædes Culenburgica funditus deleta.

Sub id, literæ ab Hispania adferuntur quibus nuntiabatur Joannem Bergæ Marchionem carcere & ægritudine mentis absumptum, fama tamen asseruit, eum veneno extinctum: Florentiumque Montmorantium, Comitis Hornani fratrem, tentato nequicquam effugio, apud Segoviam gladio percussum, infelicem Legati sortem explevisse. Ablegaverat eos in Hispaniam Margareta Gubernatrix, iisque potestatem fecerat, ut de mitigandis Religionis Edictis, ac auferenda Inquisitione coram Philippo Rege agerent, veniamque præteritorum orarent: additum quoque de maturando Generalium Ordinum conventu, quod sine illo subortam tempestatem sedari non posse, consentiens hominum fama testaretur. Quæ mandata in ipso regii Senatus consessu à Legatis exposita, plus invidiæ suis auctoribus, quàm adjumenti rebus Belgicis attulêre. Alii addunt, conventum omnium Belgicæ Ordinum urgentes ferventius,

Berga Marchio ægritudine animi, & Florentius Montmorantius capite truncatus in Hispania vitâ exuerunt.

ventius, & de contumeliis Hispanicæ gentis, haud vanâ Belgicæ Nobilitatis fiduciâ, questos, infructuosam Legationem, & post mercedem tristis officii accepisse. Nec multò post Caroli Hispaniarum Principis mortem fama nuntiavit. Erat juvenis in vigore ævi constitutus, acer, vehemens, ac supra modum ambitiosus & imperii cupidus. Creditum fuit, eum consuetudine Marchionis Bergensis & Montinii usum familiariùs, suspicionem proni in Belgicam affectus patri excitasse, & ab ejusdem imperio alienum, mitiùs remedium componendis civilibus turbis destinasse. Alii addunt eum fugæ, aut similis consilii insimulatum, acsi per secreta cum Principe Aurantio literarum commercia, arripiendi Belgici Principatus cogitationem cœpisset. Certè verisimile est, Carolum Principem nuperæ, quo minus in Belgium cum imperio iret, repulsæ, haud oblitum, curas agitasse, quibus illatæ contumeliæ labem, æmulationesque inimicorum principe irâ, & opportunis vindiciis ulcisceretur. Cæterùm Caroli arcanum, per excussa, jussu patris, scrinia detectum, infelici eum exitu multavit. Quippè severo patris imperio, incerto fine vitam clausit. Multi credidêre eum lento mœrore animi extenuatum, pænitudine erratorum ductum, glorioso ac pio exitu decessisse.

Mors Caroli Hispaniarũ Principis.

Intereà Auriacus hostem jam professus, Ludovicum Nassovium fratrem, ac Gulielmum Bergensem habendis delectibus militum præfecit, quas Bergensis per Geldriam, ac vicina loca, Ludovicus Principum propinquorumque affinitatibus subnixus, in superiore Germania auctorabat, ut tripartitò Provincias invaderent. Ex agro Juliacensi Risoirius & ejus frater Carolus, Villeriusque ductore Hoochstratano proluderent, & quasi exordium belli auspicarentur. Ludovico Nassovio Frisia destinata. Francisco Cocquevillio Artesia. Auriacus verò post has prolusiones, cum mole exercitus in Brabantiam irrueret. Sed Hoochstratani copiæ, à Sanctio Avila commisso prælio XXV. Aprilis ad internecionem cæsæ. Cocquevillii copiæ, quæ Artesiæ finibus imminebant, ab Arturo Cossæo, Franciæ Marescallo intra Valerii Fanum compulsæ, ab eodem obsidentur: mox admotis tormentis quassato muro, dum Cocquevillius ruinam munire satagit, à Cossæanis aliâ parte intromissis, capitur. Et ipse cum Tribunis militum, Lutetiam Parisiorum sub custodia missus, tamquam emansores securi percussi sunt. At Ludovicus Nassovius feliciore aleâ bellum in Frisia gessit. Traducto per Amasum fluvium milite, arcem Weddanam occupat: Indè partem exercitus Dammonam misit, ut propius Groningam suggressus, præsidia-

Auriacus habet delectus militum.

Hoochstratani copiæ cæsæ.

Cocquevillius cum Tribunis captus, ultimo supplicio afficitur.

Bellum à Ludovico Nassovio gestum in Frisia.

diarios ad velitandum eliceret: metuque sui omnem Provinciam impleret. Itaque convocatis Dammonæ Transflavicanorum Ordinibus, ostendit solam populi libertatem sibi curæ esse, & non alio fine arma sumpta, quàm ne Hispanus oppressum iret Provincias sanguine suorum madentes. Cujus furori, ut modus ponatur, militem è Germania in Frisiam duxisse, sed qui retineri in officio, sine stipendiis, non possit. Itaque militi stipendium, stipendio tributum deberi, ut disciplinæ militari locus sit, & intacti maneant eorum agri & possessiones, quorum interesset, ne quid detrimenti caperent. Tum petito deliberandi spatio Ordines Transflanicani, coäcto, repentè per agrarios tributo, pecuniam assignavére, omnique insolentiæ parcitum est. Mox Groeningani metu obsidionis ad Albanum Legatos Bruxellas misère, qui auxilia rogarent, infirmo intra urbem præsidio. Igitur Albanus proclamatâ Carolum inter IX. Galliæ Regem, & Condæum, Amiraliumque pace, Joannem Arenbergium, Gallico bello defunctum, evocavit, ducendaque ei in Frisios auxilia commisit. Tum Carolus Brimæus Comes Meganus, qui mille & quingentos peditum, equitum quadringentos ducebat, subsequi jussus. Arenbergius in Frisios maturans, nihil cunctandum ratus, exercitum omnem, sex tormentis campestribus instructus, Dammonam ducere constituit, quam Ludovicus Nassovius plerisque cum copiis tuebatur. Quorum certior factus Ludovicus, castra Dammonâ movit. Quare Ludovici recessum fugam ratus Arenbergius; ocyus exercitum pergere jussit, compertoque è captivis magnam in exercitu Ludovici commeatus penuriam esse, decertare prælio constituit, ad quod Hispani, sive insito calore, sive pugnandi occasionem speculati, præfervidis studiis incendebantur. Sed instans & illunis nox castra diremit. Igitur, postero die, curatis militum corporibus, Arenbergius castra propiùs adduxit, ac præmissis confestim exploratoribus, qui de situ castrorum Ludovici cognoscerent, ubi per eosdem renuntiatum, Ludovicum decertare prælio constituisse; differendum diem pugnæ ratus, moræ ac tarditatis suæ causam in absentem Comitem Meganum rejecit. Illum quippè, vix diei itinere castris abesse, & postero die cum auxiliis adfore, quo, cum Ludovico confligere auctæ vires, & vegetior miles suaderent. Sed Hispani præconceptæ victoriæ fiduciâ præcipites, tùm gloriæ ac prædæ juxtâ avidi, conferendas cum Ludovico manus incondito sermone vociferabantur. Quare Arenbergius, importuno militi obsecutus, nequicquam testatus omnia in discrimen eâ festinatione

dari, confertam aciem in Ludovicum duxit. Posuerat Ludovicus per insidias quadringentos sclopetarios, quibus mandaverat, ut sponte recedentes suos exciperent, insequentemque festinantiùs hostem ex insidiis adorirentur. Quod consilium magnum pondus subsecutæ victoriæ attulit. Itaque Nassovii, & in iis Ludovicus & Adolphus fratres, impressione in equitum turmas, quæ circà Arenbergium erant, factâ, mox pedem retulêre, donec constituto loco machinæ & ingruens eques, tum locati per insidias sclopetarii Arenbergici exercitus ordines conturbarent. Quibus luxatis, versi in fugam Hispani, promiscuâ cæde ceciderunt. Arenbergius ipse, levi primùm capitis vulnere accepto, mox equo, quo vehebatur, confosso, fortiter adhuc pugnans, ab Antonio Soetio Honteinio interfectus est. Cæteros frequens iis locis uligo, altissimæque paludes ferè absorpserunt. Mille & quingenti in cæsorum numerum relati, incruentam Ludovico, (Sexaginta enim tantum desiderabantur) victoriam reliquêre, amissâ sex tormenta cum omni apparatu bellico. Fusi exercitus opes, aurum, argentum, arma, vestes, equi, omniaque impedimenta victoribus cessêre. Solus Adolphus, Ludovici frater, fortitèr rem gerens, inter Principes viros globo tormentario ictus, occubuit. Cadaver ejus Weddæ, ut & Arenbergii fano cœnobii Heiligerlæi, militaribus exequiis illatum. Germani cum se undique circumsessos viderent, ultrò armis positis, deditionem fecêre, datâ fide, stipendia se intra sex menses apud hostem non facturos. Aberat non procul eo loco cum quinque cohortibus & aliquot equitum turmis Comes Meganus, qui perceptâ Arenbergii, ac suorum clade, Groningam præsidio firmavit, veritus ne adversâ Arenbergicæ pugnæ fortunâ, animi civium, novarum, ut solent, rerum avidi, fœderatis partibus se adjicerent.

Hispani cæsi.

Hac clade Albanus excandens de Nobilibus captivis supplicium sumit.

Quibus rebus, & maximè Arenbergicæ cladis dolore, tum quod inaudisset, à Ludovico Hispanos quamplurimos suspendio necatos, commotus Albanus, captivæ Nobilitatis supplicia maturavit. Quare ipsis Cal. Junii pegmata Bruxellis in foro arenario extructa, proclamatisque in Curia feralibus sententiis, Batenburgicos, reliquosque Nobiles ad undeviginti capite plecti jubet. Postridie in eodem loco, eodemque supplicio sustulit Jo: Montignæum Dominum Villersium, Duyum & Quintinum Benotium. Per eosdem dies Vilvordiæ consimili pœnâ finiêre Antonius Stralius Antverpiæ nuper consul, Jo: Casenbrotius Egmondani Aulicus à secretis, ac Beckerselii Dominus, aliique qui ibi attinebantur. Tùm in Lamoralium Egmondanum, & Philippum Montmorantium Principes viros,

Egmondano & Hornano mortis sententiam denuntiari jubet.

ros, & Equites aurei Velleris conversus, tertio Nonas Junii ultimam iis necessitatem sententiamque mortis denuntiari fecit. Et Egmondanus quidem terror fulmenque Galliæ, etsi finem meritis suis longè imparem, gemitu testaretur, omne tamen fati solatium in gratia Philippi Regis reponebat, solum de uxore liberisque sollicitus: Itaque orare eum, misereatur mœstissimæ viduæque conjugis, & undecim liberorum, numerosæque prolis fortunam, denique principis, sed miserrimæ domus sortem, regiâ clementiâ levet. Se jam morti proximum, neque ferendis extremis imparatum, hoc solo voto preces & desideria finire. Ea codicillis signata, ac in Hispaniam transmissa, ultimæ sollicitudinis fidem implevêre. Indè vitæ noxis apud Iprensem Episcopum confessione expiatis, noctis reliquum placando divino Numini transegit: idemque præstitit Hornanus. Postridie, qui in pervigilium Pentecostes illius anni, & in Nonas Junii incidebat, Egmondanus sub meridiem in forum, ubi pegma ad id paratum, & pullo lugubrique panno instratum erat deducitur, comitantibus eum Iprensi Episcopo, & Juliano Romero castrorum Præfecto, & disposito per omnes aditus milite. Post aliquot pias preces, primus cervicem gladio præbuit. Tùm Philippum Montmorantium Comitem Hornanum idem exitus abstulit. Utriusque capita truncis recisa ad spectaculum pilis ferreis suffixa, duabus horis prostiterunt. Deindè corpora capitaque plumbeis loculis condita, in suas dynastias translata, honorificè sepulta sunt. Erant, qui meminissent, post victorias Gallicis, alisque bellis partas, eo in loco triumphales arcus inter applausus populi sonantiumque cuneorum, victoribus erectos fuisse; nunc trophæa ipsa cæsorum debellatorumque hostium mounmenta in usum fœdissimi spectaculi conversa. Hic exitus Egmondani, Hornanique Comitum fuit, quos summis olim honoribus decoratos, Carolique Cæsaris, ac Philippi militiam à triginta annis per Africam & mediterraneum mare secutos, Autores tradidêre. Addunt iidem, Gemmam Frisium Mathematicum eâ ætate celeberrimum, in Hornani genitura fatalem illum casum, è cæli constitutione, ac concurrentium syderum posituris, observasse. Itaque eundem Hornanum præmonuisse, præsentiam Albani & forum declinaret, subductusque periculis, pari cum sociis exilio privatæ securitati consuleret.

His peractis, in Frisiam Albanus movere constituit; ac præmisso Chiappino Vitellio, castrorum Præfecto, cum decem cohortibus peditum, mille & quingentis Germanis, Gasparum Roble- *1568. Expeditio Albani in Frisiam.*

sium cum sex signis subsequi jussit, præter eas pedestres copias, quas Ægidius Barlamontius Hiergius ducebat. Ludovicus vero qui castra ad Groeningam promoverat & copiarum partem in cœnobio Selverdico virginum sacrarum locaverat, his de rebus certior factus, metuensque, ne cum majoribus auxiliis Albanus succederet, castra movit, ac Immingam in Reiderios duxit, castraque in Amasi ripa metatus, opperiri hostem constituit. Dein, catarractas fluminis, laxandis per agrum aquis, aperiri jussit, iisque intra alveum compressis, propterea quod flumen non nisi æstu motum exundaret, à cohortibus quas Albanus præmiserat, circumventus est. Antequam tamen canales aperti obstruerentur, tanta jam se aqua campis supetfuderat, ut miles plerisque locis umbilico tenus mergeretur, & si quidem ad opus summo mane accessisset, proculdubio Albanum retroducere coëgisset, sed seriùs rem aggressus, opus inchoätum potius, quàm perfectum reliquit. Interim celerare prælium Albanus, instigare Præfectos, hortari milites periculum in mora esse, ne firmiore opere Ludovicus se circumdet, aut patente post tergum Amaso majora auxilia accipiat. Ita velitatione præmissâ, graviore mox prælio partes concurrerunt, in quo sclopetarii ferè omnes fœdâ internecione deleti sunt. Nihilominus Ludovicus ordines instruere, monere militem sacramenti, iret in hostem efferum sociorum sanguine, mox, nisi pugnarent, suo se pasturum. Pugnarent itaque, quo solo præsens periculum vitari posset, aut gloriosâ morte, adversisque vulneribus confossi instar fortium virorum cruentam hostibus victoriam relinquerent. Sed spretâ sacramenti religione, contumax miles, prælii puncto stipendia poscens, pugnam detrectavit arma projecit, vexilla legionum discerpsit, cæsusque, aut Amaso flumini immersus interiit. Ludovicus, post fortiter navatam operam præstitumque optimi Ducis exemplum, fœdè à commilitonibus tandem desertus, schaphâque Amasum transvectus, Embdam incolumis pervenit. Justus quoque Schouwenburgius cum ducentis equitibus, pugnæ subductus, Bondam evasit. Nonnulli beneficio fossarum inciliumque servati triduo post Embdam devenêre. Ludovicus collectis sparsi exercitus reliquiis, ad fratrem Gulielmum Nassovium, Aurantium Principem se contulit. Cæsorum numerus variè proditus. Thuanus scribit desideratos ex fœderatis amplius septem millia: Strada sex millia: Winsemius duo millia. Illud constat, fuisse in Ludovici Nassovii castris septem armatorum millia, è quibus pauci prælio superfuerunt. E regiis, non plures septuaginta desideratos scribunt.

Ludovicus Nassovius à suis desertus fugam capessit.

bunt. Capta viginti hostium signa: sedecim machinæ bellicæ, impedimentaque demum omnia in Hispanorum manus devenêre. Hic exitus prœlii, ad Jemmingam nono Cal. Augusti commissi, fuit. Tùm Albanus Groeningæ, quam pro more victoris à Clero universoque Senatu, magnâ pompâ exceptus, intravit, Comitem Meganum præfecturâ Frisiæ, omniumque intra Flevum Amasumque ditionum donatum, jussisque Groeningensibus Joannem Knyffium, designatum pridem loci Præsulem, accipere, validam arcem urbi imposuit, locatoque præsidio, per Amsterodamum Ultrajectum proficiscitur, & dein in Brabantiam properavit, cui imminere magno cum exercitu quem in Treviris lustraverat Princeps Aurantius nuntiabatur. Erant ei in exercitu octo & viginti bellatorum millia. Cum hisce copiis, ac viginti campestribus tormentis, transmisso Rheno, dein Mosâ flumine, ut fraternæ ad Jemmingham cladis infelicitatem vindicaret, Ferdinandum Albanum ad pugnam nequicquam lacessivit. Siquidem animo providebat Albanus, non diu inter tot gentes, sine stipendio militantes, coalituram concordiam, aut permansurum obsequium: igitur cunctatione potius, quàm impetu rem gerendam rebatur. Intereà dum se castris continet, Aurantius consumptus morâ & annonæ penuriâ, post seditione militum fractus, ob non repræsentatam pecuniam, in Germaniam se recepit, ibique dimissis copiis, & supellectile omni divenditâ, Ducibus, si non plenè, saltem eâ liberalitatis ostentatione, satisfecit, Albanus verò pulsis Belgio fœderatis, copias in præsidia reduxit & triumphanti similis, Januario ineunte, Bruxellas intravit, indictis per Belgium, ob rem benè gestam, publicis supplicationibus; theatrales quoque ludi in foro Bruxellensi (superioribus mensibus Belgarum Procerum cæde funestato) instituti, gymnasticæque concertationes, concurrentium velut in pugna militum triumphis, atque orationibus immistæ. Eodem tempore Albanus trophæum ex solido captivoque ære, arte Jungelini sculptoris conflatum, velut debellatis partibus, Antverpianâ in arce, cum superba inscriptione poni sibi jussit: *Ferdinando Alvarez à Toledo Albæ Duci, Philippi Secundi Hispaniarum Regis apud Belgas Præfecto: Quod extinctâ seditione, Rebellibus pulsis, Religione procuratâ, Iustitiâ cultâ, Provinciis pacem firmavit, Regis optimi Ministro fidelissimo positum.* Quod monumentum ex æneis, ut creditum est, Ludovici Nassovii, ad Jemmingam in Frisiis captis tormentis, formatum, magnam ei invidiam paravit. Erant namque qui arrogantis & supra fortunam se habentis ingenii id factum interpretarentur.

Aurantii exercitus.

1569.

Albanus in arce Antverpiensi statuã sibi erigi curat.

Dein,

Novum ac inauditum Albanus tributum exigit. Dein, ut exercitum, cui cum imperio præerat, arctiùs sibi per stipendia pigneraret, de novo per Belgium tributo cogitavit. Igitur conventu omnium Ordinum Belgii, vergente Martio mense, indicto, multa de inopia regii ærarii, & egentia subsidiorum præfatus, centesimam, immobilium mobiliumque bonorum, & eorum quidem divenditorum vigesimam, mobilium verò commerciorumque decimam postulavit. *Ordines frustrà deprecătur decimă, centesimam offerunt.* Ordines ad rei novæ famam perculsi, post maturam deliberationem, centesimam offerunt, decimam deprecantes his rationibus: Belgicarum provinciarum fortunam non aliundè, quàm à commerciis & facili annonâ esse. Ideò Philippum Burgundum laudatæ memoriæ Principem, commerciis, ac annonæ omnibus modis prospexisse, ut amoto vectigalium onere parvo sumptu florens populus victitaret, & ubere commercio subditorum suorum opes, atque divitiæ increscerent. Indè factum esse, ut in infrequentes primùm habitatoribus Provincias, novæ velut omnium gentium coloniæ confluerent, & in hoc terrarum centro, tanquam orbis emporio coïrent. Ita Philippi Burgundi & posterorum curâ, ac populi immunitate res Belgii evectas, non aliter robur suum, atque potentiam amissuras, quàm si advectæ ex omni orâ merces, decimâ parte onerum augeantur. Indè fore, ut plurimæ familiæ in Angliam, ac Germaniam migraturæ sint deserto Belgio, & ditissimis mercatorum, novâ lucri cupidine, novas sedes quærentibus. Idcircò remedium supplendi regii ærarii non eo modo, sed à precario populi tributo, haberi posse, quod Principes summâ semper necessitate accepissent, eorum assensu, quorum interesset salvas Provincias esse. Sed nihil apud Albanum valebant eæ rationes, suam importunè urgentem postulationem, ac minas etiam addentem. *Edictum veniæ promulgatum.* Mox vergente mense Julio de mandato Philippi Regis, Edictum veniæ ob proximas turbas, regio apparatu, ac magnificentiâ Antverpiæ publicari jussit. Sed quod diploma Regis non pauca exceptionum capita complecteretur, nullius fermè efficaciæ fuit.

1569. *Bruxellensiũ turba ob decimam.* Deindè ad decimæ exactionem revolutus, Bruxellenses, à quibus promptum sperabat obsequium, conjunctis adeò animis repugnarunt, ut omnes tabernæ & officinæ totâ urbe clauderentur; Pistores panem coquere, Cerevisiarii & alii rerum ad vitæ quotidianæ usum necessariarum institores, quidquam vendere recusant, ne quid decimæ, aut vicesimæ ratione pendere cogerentur. Quod cum ille ad injuriam revocaret, dispositis per urbem stationibus, tabernas aperire & merces vendere recusantes, pro foribus tabernarum suspendi imperat. Jamque lictores, aliique sævitiæ ministri severæ

juxtà

juxtà & horrendæ sententiæ exequendæ præstò erant, cùm nuntius de Briela in Batavis à Fœderatis capta affertur. Id autem sic accidit: Aurantius notatâ populi per omnem Provinciam offensione, ob asperum Albani imperium, damnaque exauctorati nuper ad Mosam exercitus reparaturus, ad alia consiliorum se convertit; ac relictâ continente, mari experiri constituit. Itaque misit ad exules fœderatos, qui Embdæ, Vesaliæ, & in locis circumjacentibus latitabant, subsidiaque rebus gerendis flagitavit. Quorum opes etsi duorum annorum exilio essent accisæ, tamen amor patriæ, & in eam reditus spes, ad submittenda subsidia patriâ extorres accendebant. Idcircò Aurantius collatâ ab exulibus pecuniâ, tum suo, ac propinquorum ære suffultus, classem quadraginta navium adornavit, cujus primarii Duces fuêre Gulielmus Comes à Marka, Lumæi Dominus, Gulielmus Blosius Dominus Treslongus, Lancelotus Bredenrodius, Bartholomæus Enthesius, Antonius Utenhovius, aliique complures: Horum Thalassiarchus erat Auriacus, cui quintam prædæ partem pendebant. Tùm, ne socii navales, aut classiarii milites exleges viverent, leges classi præfixit, sociorumque rebus abstinere jussit. Eorum quippe nomine censebantur Rom. Imperii, Galliæ, Angliæ Sueciæ & Daniæ subditi, quod pro iis aut Religio fœderum, aut spes auxiliorum intercederent. His ita constitutis, illi prædarum cupidine, continuis excursionibus Hollandiæ Frisiæque oram infestabant, & si quando asperioris cœli inclementiæ incumbebant, aut occursu plurium cedendum erat, in Britanniæ portubus tutam stationem habebant. Eâ de re cum crebris literis apud Elisabetham Angliæ Reginam postularet Albanus, inque fœderis leges committi graviter quereretur, quod piratæ in ejus portubus receptum haberent, Illa, fæderatis præmonitis ut rebus suis consulerent, portubus & commeatu illos prohibuit. Id quamvis molestum fœderatis esset, tamen cùm parêre necesse haberent, vento velisque fortunam committunt.

1572. *Briela ab Aurantio capta.*

Dumque Doverâ Enchusam navigant, incidunt in navem Antverpiensem, mercibus magni pretii, onustam; indè in aliam Cantabricam, quas expugnant atque diripiunt. Verùm reflante vento, Enchusam cursum tenere non potuerunt. Quare in Vornam Hollandiæ insulam delati, ex necessitate consilium capiunt, & periculo in audaciam verso, Brielam insulæ portum aggrediuntur, atque excitato ad Australem portam incendio, dum cives ad illud restinguendum accurrunt, portam Septentrionalem pulvere tormentario evertunt, & de improviso vi factâ urbe potiuntur ipso Dominico palmarum.

Mox

Mox in templa irruunt, divorum imagines comminuunt, ſacram ſupellectilem diripiunt, nullamque in ſacrata capita irreverentiam omittunt, dein urbem novis operibus communiunt. Albanus ratus jam ante debellatas partes, iræ immodicus, Comitem Boſſuvium Hollandiæ Præfectum, Brielam properare juſſit, ut hoſtes urbe & inſulâ pelleret. In ipſo appulſu Lumæius ei obviam proceſſit ſtrenueque repulit. Interim recedente æſtu, dum naves in proximam litoris oram deducere properant, circumeunti à Gulielmo Treſlongo, partim cæduntur, partim luto impliciti, capiuntur, navibus ſuccenſis: pauci fugâ elapſi cùm Dordracum confugerent, ingreſſu prohibentur. Indè Roterodamum contendunt, ubi ægrè obtinent ut Centurionibus ſuos decuriatim per urbem ducere poteſtas eſſet. Sed cum hâc lege introducerentur, cuncti fremebant, quod urbe regiâ excluderentur. Itaque cum impetu irruentes, vigiles incautos obtruncant, portaſque vi revellunt, urbemque ſuæ poteſtatis faciunt. Quod immane factum multorum animos exacerbavit, atque in fœderatorum partes pertraxit. Igitur Albanus cùm Vliſſingam Zelandiæ portum & maris clauſtrum, multis de cauſis ſibi muniendam intelligeret, arce ea in urbe exſtrui cœptâ, miſit eò cum octo centuriis militem Oſorium Angulum. Metatores, qui ipſo reſurgentis Domini die in urbem venerant, Senatui denuntiant, Oſorium cum præſidio propediem affuturum, petere itaque, ut ſibi poteſtas detur hoſpitia militibus deſignandi. Vulgatâ per urbem famâ, populus in forum coit, & nonnullis exaggerantibus periculum, quod ab arce omnium cervicibus imminebat, proclamat: Se Hiſpanos nec ferre, nec videre poſſe. Caveret igitur Senatus inconſultis civibus præſidium in urbem admittere. Intreà naves, quæ Hiſpanum militem vehebant, eminus conſpiciebantur: Tum nautica pubes, opfices & reliqua urbis fæx, in armamentarium involant, omnia telorum genera machinaſque bellicas indé extrahunt, pulvere nitroſo infarciunt, dein in portum mœniaque protractas, in adventantes naves ignitarum pilarum magnam vim emittunt. Quâ inopinatâ procellâ Oſorius obrutus, retrorſum vela dedit, atque Montes ad Zomam, unde ſolverat, remeavit. Mox præſidium ex urbe ejiciunt, cœptamque arcem (inviſum opus) funditùs diruunt. Paciottus, quem Albanus arci extruendæ, & præſidio præfecerat, harum rerum ignarus paulò poſt in urbem venit, quem Treſlongus ſubitò comprehendi, atque laqueo ad patibulum ſtrangulari juſſit, ulciſcente Treſlongo Joannis fratris necem, capite ab Albano damnati, tum nè veniæ locum ab Albano (cujus agnatus dicebatur eſſe paciottus) Vliſſin-

Comes Boſſuvius dum properat ut hoſtes Brielâ pellat, caeditur.

Regii Roterodamum occupant.

Vliſſingani deficiunt.

Paciottus laqueo ad patibulum ſtrangulatur.

Vlissinges sperarent. Quo facto ocyùs in Germaniam ad Aurantium, & in Galliam ad Ludovicum Nassovium Legatos misêre opem & auxilium implorantes. Ipsi interim urbem novis propugnaculis septimentis & Vallis firmant; Mox à Lumæo subsidio recreati, non jam de bello sustinendo, sed inferendo cogitare cœperunt, eductisque aliquot peditum signis, Middelburgum, irrito conatu, tentarunt. Dux Albanus tot incommodis circumventus, ad arma animum convertit, jussitque classem sine mora instrui & Franciscum Boshusium Architalassum dixit. Is in portum Enchusanum invectus, ut laceras naves reficeret, classiarii interim in urbe diversabantur, ac ultrò citròque commeabant. Quæ res cùm daret locum suspicioni, non deerant qui eam sermonibus augerent, ac gliscenti seditioni ignem subderent. Hi populo persuaserunt, Boshusium non alio fine illuc appulisse, quàm ut per insidias urbem Albani imperio subjiceret, ac decimum vigesimumque nummum exigeret. Quibus sermonibus cives concitati, Boshusium comprehendunt, & classiarios omnes urbe ejiciunt. Quo facto, miserunt extemplo Brielam ad Lumæum, orantes, ut urbis patrocinium susciperet, præsidiumque militare ad uberiorem defensionem submitteret, quod ille non gravatè fecit. Atque ita tres isti in Belgio celebriores portus, & veluti claustra Hollandiæ Zelandiæque, Briela, Vlissinga, & Enchusa in fœderatorum potestatem venêre. Enchusianorum exemplum continuò imitata sunt cætera Hollandiæ Borealis oppida, Horna, Alcmaria, Edamum, Medenblica. Quæ fama ad Australes Hollandos perlata, etiam ipsi, & in his Dordracenses, Goudavi, Lugdunenses, Veteraquinates in partes Auriaci transiêre. Ita omnes ferè Hollandiæ civitates ab imperio Regis ad Principem Auriacum, & à Religione Catholica ad Calvinianam defecerunt. Amstelodamum tenax propositi in avita Religione & fide Philippo data perstitit. Laboravit anxiè Albanus cùm adversa hæc omnia nuntiarentur. His accedebat, quod Carolus IX. Galliæ Rex, sive Philippi potentiæ iniquus, sive aliis de causis ei infensus, studia & affectum asserendæ Belgarum libertati præferret, Principique Aurantio auxilia clàm depactus, occultâ in Philippum æmulatione diceretur. Alii tradunt connivente Carolo Rege, auxilia Aurantio decreta. Non tamen æquè ista moverunt Albanum, ac nuntius ad eum allatus de montibus Hannoniæ, à Ludovico Nassovio ope Gallorum captis. Diversâ parte Gulielmus Bergensis auriaci Principis affinis, rem gerens, exercitum non contemnendum ex Gelris, Gentibusque finitimis contraxerat, quocum in Comita-

Albanus classem instruit.

Enchusiani Fœderatis se adjungunt.

Hollandia Borealis & Australis in partes Auriaci transit.

Amsterodamum in avita religione & fide Philippi perstat.

Montes Hannoniæ à Lud. Nassavio capti.

mitatum Zutphanienſem hoſtiliter ingreſſus, oppida Doesburgum, olim Druſibuigum, à foſſa Druſiana, cui eſt appoſitum, nomen ducens, Dotecomium & Zutphaniam, Comitatus metropolim, occupavit. Inde copiis in Gelriam tranſportatis Hardervicum, Elburgum & Hattemum imperio ſuo ſubjecit: uti & in Tranſiſelania Oldenſaliam & Goræum. Mox Campenſem civitatem, Haſletum, Suollam & Steenwicam in deditionem accepit. Neque Friſia ab his viciſſitudinibus fuit immunis. Didericus enim Bronchorſtius, homo Batenburgicæ gentis, propinquorum cædem ulturus, cùm intellexiſſet Succenſem populum adipiſcendæ libertatis conſilia agitare, occultato ſub urbanis arundinetis milite, oppidum ſuæ poteſtatis fecit. Gaſparus Robleſius gente Luſitanus, Legionis Valonicæ Præfectus, cum copiis ſub mœnia ſuggreſſus, ac Succâ excluſus, ad Bolſwerdios confeſtim literis locum præſidio Regio rogavit. Quibus acceptis, Magiſtratus ad Robleſium Legatos miſit, qui referrent: prævalere intra urbem fœderatos, neque ſuis erga Philippum Regem ſtudiis reprimi potuiſſe civilium animorum motus, duplicatos vigilum ordines ac portas manipulis obſeptas, ne quis intrare cum milite queat, præterquàm aſſenſu populi, cujus in urbe per diſcordias imperium ſit. Dein Bolſuerdii urbem Aurantio permisêre, evocatoque Bronchorſtio, omnis ordo in verba ejus juravit. Tùm Bronchorſtius de adjicienda victoriis ſuis Francquera cogitavit, quam etiam urbem, illorum temporum fato, vehementia in Albanum odia agitabant. Itaque Bronchorſtius trecentorum militum cohortem iſthuc ire juſſit, caſtraque propé oppidum metatus, Delegatos in urbem miſit, quibus Magiſtratum ſui adventus, & juxta conſilii certiorem faciebat, qui, dùm recipiendi Bronchorſtii conſilium, meditatâ cunctatione, trahit; Plebs moræ impatiens, effractis per vim portarum ſeris, Bronchorſtium cum copiis intromittit. Exindè Magiſtratus novus, vetere abrogato, urbi datus. Tùm reformata Religio invecta, & Sacrarum ædium ſupellex, longâ annorum ſerie intacta, direpta. Deindè Bronchorſtius, ut tuti in utroſque Friſios trajectus eſſent, Stauriam vetus oppidum, Ducum olim Friſiæ ſedem, fugâ Regii præſidii deſertam, ſuam fecit, ac in oppugnando caſtello, quod in Boream portui imminebat, & Valonum præſidio tenebatur, omnem operam collocabat. Quare Robleſius, ne eâ fœderati munitione potirentur, quæ magnum Philippi Regis Imperio ſtabilimentum adferre poſſet, quinquaginta onerariis navigiis milites impoſuit qui proximos lacus navibus emenſi, ac in terram expoſiti, cum fœderatis congreſſi ſunt: quorum terga cùm auxiliares infeſtè ferirent, in fugam

Plurima ità oppida in Comitatu Zutphanienſi Gelria & Tranſiſulania ſubigit.

Succenſes & Bolſwerdii in partes Auraci tranſeunt.

Stauria à Regiis capta & incenſa.

ſe dedêre. Tùm ſtrages edita, totaque fermè urbs miſerabili incendio conflagravit. Cives plurimi è ligneis pontibus penduli ſtrangulati ſunt. Valones paucis deſideratis, Leovardiam ovantes regreſſi ſunt. Fœderati interea Duce Scipione Sceltama obſidere Doccomium conſtituunt. Modicum namque intra urbem erat præſidium, civeſque etiam habebat infenſos & fœderi pro nos. Quare Sceltama militem non lento itinere Doccomium duxit, habitoque ad portam cum præſidiariis conflictu, quo ſuperior fuit Sceltama, cum copiis ſuggreſſus, urbem occupavit. Præſidiarii in turrim altiſſimam craſſiſſimamque ſpe novorum auxiliorum ſe contulêre. Itaque caduceator miſſus, qui veniam præferret. Poſtquàm ea contemptui fuit, præter admotas turri machinas, materies etiam omnis concremandæ moli fuit aggeſta, ut metu inſtantium extremornm, ad faciendam deditionem obſeſſi compellerentur. Cæterùm infracta militum virtus, & cedere periculis neſcia, in flagrantiſſimo etiam incendio perſtitit. Et quamvis à Solis ortu in medium diei turris arderet, nihilo ſeciùs obſeſſi ex ea deſuper in fœderatos ſaxa immania, ſclopoſque magno obſidentium damno jaculabantur, in ipſis flammis ac ardore ignium animas citiùs, quàm arma poſituri. Interim Robleſius, eorum, quæ evenerant certior factus, quingentos pedites ipſo noctis obſcuro Leovardiâ emittit, qui poſitis ad emiſſarium, quod per Ea flumen aquas laxat, caſtris, tormenta mox in urbem laxavêre. Ita ad manus ventum cominuſque acri pugnâ certatum. Poſtquàm verò tumultuaria agrariorum manus ad portarum cuſtodiam collocata fugæ ſe daret, auxiliares portam, quâ plebs ruſtica profugerat, occupant. Tùm milites, qui in turrim ſe receperant, viſo civium languore, deſertâ turre, victoribus ſe ſociant, ſtramineâque faſciâ pileo affixâ, teſſera cædi data. Trucidati plurimi qui arma ferebant, ætati quoque nec ſexui ferè parcitum: Tùm cæde ipſâ pejus incendium eluxit, multique, qui fugiendo ferri periculo ſe ſubduxerant, & in domorum culmina confugerant, fumo ſubtus ardeſcentium ignium depulſi, in manus hoſtium venerunt. Urbs in mediis flammis deſerta, relicto in præſidio cum centum & quinquaginta armatis Montjoyo.

Item Doccomium.

Fortitudo Regiorum.

Ita ſurſum ac deorſum, proſperis juxta & adverſis immiſtæ res per Friſiam fluebant, & incertum eventibus bellum trahebatur. Intereà Albanus tot difficu'tatibns undique circumventus, nequaquàm ſeipſum deſeruit, uni rei de Montibus, Principe Hannoniæ urbe, recuperandis maximè intentus, ne Gallis ad Belgium inva-

dendum pateret aditus, aut in ea urbe operibus ac munitionibus firmissima sedem belli constituerent. Itaque desinente Junio Fredericum filium suum expeditis cum copiis ad obsidionem Montium præmittit, ipse mox cum mole exercitus secuturus. cùm ad Bethlemitanum Cœnobium castra posuisset, eruptionibus & levibus prœliis aliquoties initio certatum est. Nec multò post Epinense Cœnobium quod urbi proximum Galli insiderant, ac ductis aggeribus vallaverant bis ab Hispanis tentatum, demum ejectis acri pugnâ propugnatoribus captum est. Intereà Colinius Gallicam Oceani præfectus, ut obsessis opem ferret, permissu Regis, copias per limitem conscripserat, quibus Jenlisii Dominum præfecerat. In iis erant quatuor millia peditum, ducenti equites cataphracti, & undecim levis armaturæ turmæ, insuper quadringenti Nobiles voluntariam & gratuitam professi militiam. Adventantem Jenlisium Ludovicus Nassavius per celerem nuntium monuerat, ut per agrum Cameracensem iter faceret, nec pugnam iniret, antequam venienti Auriaco se adjungeret. Verùm ille causatus contrarium à Colinio imperium ut se quamprimùm ad urbem conferret, Nassavio minimè audiens fuit. Quàre sibi præfidens, ac consortis impatiens, cùm ad arcem Bossuviam ventum esset, centum equites præmisit, qui quid hostis ageret & quæ castrorum ejus esset positio, explorarent. In eos è sylua exeuntes, jam sole in vesperam inclinante, Lopezius Sapata cum ala equitum sua impetum facit. Rentius confestim quasdam decurias ex suo equitatu legit, quas in fronte aciei collocat, ut Hispanorum impetum sustinerent. Qui in prima acie stabant, cùm Hispanos è sylva prodire & sclopetarios compositis ordinibus se petere conspicerent, sese in fugam verterunt, qui in suos revoluti, pedites sequentes disturbarunt, & exercitum fugiendo solverunt. Dumque per Sylvas armis abjectis palantes errant, à rusticis capti, spoliati, ac crudeliter interfecti sunt. Ita insignis ille exercitus, in quo quadringenti Nobiles, mille quingenti equites & quinque millia peditum fuisse perhibentur, deletus est. Rentius Rhingravius, Dolheinius in fuga cæsi sunt. Jenlisius cum sexcentis aliis capti, & in varias custodias distributi.

Albanus Montes Hannoniæ obsidet.

Francorum clades.

Post eam cladem Fredericus Albani filius, misso ad urbem tubicine, æquas deditionis conditiones obtulit. At Nassovius eas prorsùs abnuit, fratris adventum expectans. Quare Albanus initio Augusti in castra profectus est, ingentes copias ex Germanis, Hispanis & Belgis, ac triginta duo tormenta bellica secum trahens. Tùm perducto ad labrum fossæ vallo, aquam etiam è fossâ derivare instituit.

ſtituit. Deindè crates pluteoſque expedire jubet, ſubvectiſque machinis & tormentis bellicis, infeſtâ diſploſione in urbem fulminat. Intereà Princeps Auriacus contracto in Germania numeroſo exercitu, ſeptem millium equitum, & quatuordecim millium peditum, octavo Idus Julii tranſmiſſo Rheno, ad Moſam contendit, ubi Ruremondam aditum & commeatum recuſantem, protinùs incenſis portis, & vi factâ pridie nonis Sextilis occupavit. Tùm militum furor in tantum exarſit, ut ſacra, profana promiſcuè haberent, eò progreſſi, ut Divorum ſtatuas è templis abjicerent, in ſacras pyxides auguſtiſſimæ Euchariſtiæ impiè ſævirent, & terræ illiſas pedibus conculcarent. Dein calentes adhuc à ſacrilegio, totum Carthuſianorum cænobium ſpoliarunt, & religioſos ordinis Sodales omni immanitatis genere afflixerunt, trucidaruntque. Hos triſtes exitus prolixiùs deſcribit in Commentario ſuo Surius. Indè Auriacus in Brabantiam ingreſſus, Lovanium Muſarum delubrum, ſedecim aureorum millibus multat, & à vi ulteriore abſtinet. Mechlinienſes levæ mentis auſpicio, cùm præ horrore militum Hiſpanorum, paulò ante præſidium accipere recuſaſſent, paucorum conſpiratione clàm præſidiarias ab Auriaco copias recepêre. Idem fatum fuit Nivellarum, Dieſthemii, Sichemii, Thenarum, aliorumque oppidorum. Sicque iſtâ tempeſtate miſerum Belgium quatuor exercitibus hoſtium, terrâ marique diſtractum, hinc Albanum Auriacumque, indè Lumæum & Bergenſem cervicibus ſuorum incumbentes habuit.

Ruremonda ab Aurantio occupata.

Lovanium ære multatum.

Complura Brabantiæ oppida præſidiarias copias ab Aurantio recipiunt.

Ad montes autem ubi Auriacus cum exercitu veniſſet, miratus firmiſſimas caſtrorum munitiones, nec eas perrumpere valens, levibus ſæpenumerò præliis cum hoſte certat, ut, aut Albanum ad certamen eliceret; aut obſeſſos ſubſidio firmaret. Sed neutrum præſtare potuit: Albanus enim aleam univerſarum rerum tentare noluit.

Dùm hæc in Belgio geruntur, Francia in ſpeciem ſtabilitâ pace fovebatur, cùm eâ malaciâ acerbiſſimæ calamitates parabantur. Eâ nempe mente Rex Carolus & Regina parens commodas conditiones Hugnotis indulſerant ut per occultas inſidias rebellionis capita decuterent, quod aperto bello nequierant. Itaque cùm ſponſalia Pariſiis inter Henricum Regem Navarræ, cum Margarita Valeſia Regis ſorore XVI. Cal. Septembris celebrata eſſent, poſtridie apparantur fatales nuptiæ, in quibus Margaritæ nuptialis ſtola pænè ſanguine reſperſa fuit, & ad earum ſolemnia venêre primarii Regni Proceres, cum ingenti Proteſtantium corona, qui ex omnibus

bus regni Provinciis convenerant. Quatriduum impensum conviviis, choreis, spectaculis & hastiludiis. Gasparus Colinius maris Præfectus, cùm domum se reciperet, ac libello fortè legendo intentus, lentiùs incederet, sclopeto à Morevellio disploso, duabus glandibus sauciatus est, & aberrante ictu quò destinabatur, una dextræ indicem incidit, altera in læve brachium graviore plagâ incubuit. Protestantium Proceribus in cubiculum Colinii convenientibus, Joannes Ferrerius Vidamus Carnutensius, conjectans à vulnere Colinii initium tragædiæ factum, dixit è re sibi videri, ut nullâ interjectâ morâ urbe excederetur, cùm adhuc liceret reti erumpere. Id cùm Regi nuntiatum esset, propositam cædem maturare statuit. Itaque Guisius, cui rei exequendæ Provincia demandata erat, accersitis altâ jam nocte Helvetiorum & Gallicarum cohortium Tribunis, Præfecto item mercatorum & Vectigalium curiæ Præside, Regis voluntatem esse aperit, ut cunctis ad Colinium & alios perduelles exscindendos armorum potestas sit. Addit, impetus faciendi signum, horologii palatini tintinnabulum sæpius pulsatum. Ubi primùm increpuit æs campanum, nimirum ante diluculum diei, qui S. Bartholomæo sacer erat, in Colinii ædes & conclave irrumpunt Cossinus, Atinius, Corboranus, Cardillacus, Sarlabosius, Petruccius, & Bemius Guisii domesticus. Ad strepitum irrumpentium Colinius stratis exilit, & togâ tectus talari, stans ponè fores, multis vulneribus confoditur. Cadaver adhuc palpitans, per fenestras in subjectum atrium projicitur: Tùm avulso à trunco capite, pudendis item, manibusque ac pedibus truncatis, à plebe per urbis vicos raptatur, & in profluentem mergitur, indè retractum, ad furcas Monfalconias cruribus in altum sublatis & propendente corpore suspenditur. Indè per urbem armati volitant, & ad cædes promiscuas cuncti feruntur. Comes Rupifocaldius primus post Colinium cæsus est. Telinius quoque Colinii gener, Marchio Revelius, Caumontius, Laverdinus, Pardallanius, Pillæus, Sammartinus, aliique Proceres eandem sortem experti sunt. Dum ipsâ nocte ita in Nobiles Guisius sævit, plebs per se concitata, ac militibus immista, per dies tres continuatos in Hugonotum civem impetum facit, sine sexus, aut conditionis discrimine. Uno verbo sexcentæ domus Parisiis quà direptæ sunt, quà incensæ, & quater mille homines miserè interfecti. Dein urbes vicinæ, oppida ac pagi lanienam Parisiensium in exemplum trahentes, eâdem intemperie in Protestantes furorem exprompsêre. Meldis, Andegavi, Aureliæ, Avarici Bitugirum, Lugduni, Tolosæ, Rotomagi idem factitatum. Proditum

Cædes Bartholomæana Lutetiæ Parisiorum.

ditum eſt, triginta hominum millia toto regno, barbarâ immanitate, trucidata fuiſſe. Hæc eſt illa Hugnotorum cædes, cujus nullum ſimilis ſævitiæ exemplum, in cives ſuos editum, in gentium annalibus reperitur. Quam nunc matutinas Pariſienſes, nunc Sanbartholomeanas noctes nominant.

Hujus cædis fama, cum ad aures Albani perveniſſet, ingentis lætitiæ ſigna edidit ſcloporum exploſione ter repetitâ, læto tympanorum tubarumque cantu, ac toto circùm vallo feſtis ignibus collucente. Contrà Auriacus, attonitus ſtetit, conſternatuſque animo, de belli eventu cæpit dubitare. Intelligebat enim promiſſis Gallicis auxiliis jam ſe deſtitutum iri. Quare Ludovico fratri ſignificat, ut, quando auxiliorum in urbem introducendorum facultas non eſſet, ſibi conſuleret: ſimul ipſe exercitu caſtra moturo conclamari jubet, ut vaſa colligant, Mechliniamque copias reducit, non ſine clade aliqua, in receptu, accepta. Igitur præciſâ omni auxiliorum ſpe, comes Ludovicus cenſuit, ut honeſtis conditionibus deditio fieret. Tandem delecti ſunt à parte Albani Noircarmius, Vaulxius, Liquius & Gognius: à parte obſeſſorum Lanovius, Senarpontius, Soyecurtius, & Elcourtius, qui XIII. Cal. Octobris his conditionibus urbis deditionem pacti ſunt: „Ut Ludovicus Comes, omneſque præſidiarii nobiles & ignobiles, Galli, Germani & Angli cum armis & impedimentis incolumes dimitterentur. Belgæ milites cum gladiis tantum, & iis veſtimentis, quæ ipſi induerint. Qui aliam quàm majorum religionem profitentur, urbe faceſſere teneantur. Dimiſſi tàm nobiles, quàm milites & oppidani fidem obſtringant, intra annum non militaturos contra Hiſpaniarum Regem, aut etiam Regem Galliarum. Quo ſacramento non teneantur obligati Ludovicus Naſſovius, Germani & Angli. Conditionibus approbatis & obſidibus datis, Naſſovius cum ſuis Ruremondam, Galli in Galliam deducti ſunt.

Montes Hannonia in poteſtatem Regis concedunt.

Potitus urbe Albanus, & firmo præſidio munitâ, inſtauratiſque murorum ruinis, copias in Brabantiam reducit. Nivellam, Lovanium, Thenas, Diesthemium, Teneramondam deditione recuperat. Dein pridie Cal. Octobris 1572. Mechliniam contendit, & ad duo ſtadia ab eadem ſubſiſtens, Feciales ultrò expectat. Qui cùm non veniſſent, caſtra ad ipſos muros communit. Tùm, elapſis præſidiariis, Religioſorum hominum ordines cruce prælatâ & inſignibus ſacris, pro mœnibus ſtantes, vim ſupplices miſeræ plebi deprecantur, at nihil preces & infulæ Sacerdotum valuerunt. Captâ citrà certamen urbe, milites nullo non immanitatis, libidinis & avaritiæ genere toto triduo in ea graſſati ſunt. Mox

Mechliniæ direptio.

Cometa apparitio. Mox crinitus & simul caudatus Cometa in cælo effulsit, qui in Cassiopæa surgens, & præter legem superni corporis, anno amplius immotus subsistens, variè, ut solet rebus afflictis, mortalium ingenia affecit. Itaque diversâ ratione Astrologiæ periti de rariore naturæ ostento disseruerunt: existimantibus nonnullis novum sidus, quod vagis sparsisque per aërem ignibus non arderet, lucidissimo fulgore novæ felicitatis ventura tempora indicare. Alii verò, quod eversâ Philosophorum sententiâ, in ipso cælo & æternorum corporum compage quid natum deprehenderetur, tristiorem rerum statum ex inversa naturæ lege ominabantur. Ita sua quisque pericula horrore & aspéctu inusitati sideris æstimabat.

Tergoesium obsidetur. Dum Albanus in Montium obsidione occupatus hæret, Therratius urbis Vlissingæ Præfectus, ad Tergoënsem urbem castra posuit, productisque muralibus tormentis, tridui pulsatione ingentem ruinam edidit & simul urbem invadere statuit Interim excitato juxtà ruinam, oppidanorum operâ, tumultuario opere ad infringendos irrumpentium impetus, obsidentes ab incepto destiterunt, & ad suffossionem murorum & cuniculos conversi sunt, sed crebris obsessorum eruptionibus interturbati, irritus labor fuit. Intereà Albanus Sanctium Avilam cum copiis auxiliaribus misit, ut obsessis opem ferret, eique adjunxit Christophorum Mondragonium, ut vicariam ei operam in hac expeditione impenderet. *Audax & memorabile facinus.* Verùm, cum hostes, cum classe, canalem qui ad urbem ducit, insiderent, Avila peritos aliquot naucleros ad se vocatos consulit, an vado nusquam exercitui transitus esset. Ex quibus cùm audivisset Tergoënsem insulam continenti adhæsisse, & violentâ maris inundatione anno 1532. avulsam, tamen vadosum iter reliquisse, sed laboriosum juxta & periculosum, tùm quod ad aliquot milliaria se porrigeret, tùm etiam quod recedente maris æstu, tres amnes profundo alveo occurrerent: Re cum Mondragonio communicatâ, cum bis mille selectis militibus Oceanum pedibus transmittit, militibus arma & sacculos pulvere sulphureo plenos supra capita gestantibus, & quinque horarum spatio per tractum tenace luto & venis stagnantibus importunum, in Insulam pervenerunt. *Obsidio solvitur.* Ibi quiete refectis copiis, & madore absterso, mox in Therratium ducit, qui novitate rei stupefactus, & inopinato Regiorum adventu attonitus, obsidionem solvit, & ad naves transportando militi, cum suis incompositè properat, regiis interim postremum agmen carpentibus, quo in conflictu multi hostium partim concisi, partim fluctibus hausti sunt.

Nec cessabat intereà in Hollandia Lumæus. Is postridiè D. Michaëlis

chaëlis Scoenhoviam, oppidum in lævâ Leccæ ripâ positum, arctissimâ obsidione circumsedit, sed cum nulla auxilii spes esset, oppidani vitam, fortunas, liberum religionis Catholicæ exercitium, religiosorum locorum, personarumque privilegia, ab hoste pacti, deditionem Lumæo fecerunt. At ille immani feritate, contra promissi sanctionem, contra humana & divina jura, sacra delubra profanavit, aras evertit, omnem sacram supellectilem fœdè diripuit, omnemque religionis Catholicæ cultum profligavit exterminavitque.

Scoenhovia à Lumæo capitur.

Fœdus cum oppidanis initum non servat.

Intereà Albanus receptis Montibus, atque inde Mechliniâ, cæterisque ab Auriaco occupatis, ad obsequium reductis, septimo Cal. Novembris Neomagum venit, mox ad Zutphaniam castra promovit, cæsâque materiâ cratibus & pluteis præstruendis, obsidionem molitur, ac tredecim majoris molis tormentis muros diverberat, quorum displosione editâ ingenti labe præsidiarii noctu urbem deserunt, custodiâ civibus relictâ. Tùm oppidanis timor ingens incussus, dumque suspensi metu & anxii fati deliberant, resistere nè consultiùs esset, an fugere, ab Hispanis per ruinam enitentibus, inopinato impetu oppressi sunt. Itaque fœdæ cædi & libidini, miserrimæ etiam urbis sectio accessit. Tantam finitimis regionibus hæc sociæ urbis fortuna horrorem & trepidationem incussit, ut tota Orientalis Frisia & Trans-Isulana ditio, ad Regis Philippi fidem & obsequium rediret. Accessit Amersfortia, quæ urbis claves ad Comitem Bossuvium Frisiæ Gubernatorem ultrò detulit, postquam præsidiarii intempestâ nocte in effusam fugam sese conjecissent. Itaque per oppida prælucentibus cæreis amburbia rursum & supplicationes decretæ, lustratisque fanis Catholicæ religionis cultus per omnem Provinciam stabilitus.

Zutphania obsidetur & capitur.

Orientalis Frisia & Trans-Isulana ad obsequium Regis redit.

Paulò post Fredericus Albani filius cum parte copiarum obsidendo Nardeno proficiscitur. Est autem caput ditionis Goedelandæ, uno à Mudâ, ab Amstelodamo circiter tertio lapide distans. Cùm urbi appropinquaret, obviam venit Senatus & Consules veniam anteactorum petentes, seque excusantes quod id citiùs præstare nequiissent, deténti per vim partis adversæ. Qui ad Julianum Romerum ablegati, cum eo paciscuntur eâ lege, ut civibus vita facultatesque salvæ essent, tantùm denuò fidem jurejurando obstringerent. Hæc rata forè pollicitus Romerus, oppidum ingreditur, ac mox ipse Fredericus. Evestigiò cives ad tympani cantum, sacramentum dicturi, in templo Xenodochii convocantur. Ubi convenêre, præter fas & æquum, corruptis dolo fœderibus, cuncta nefandis cædibus, incestis, stupris flagitiisque complevit, nullâ sacramenti, nul-

Excidium Nardeni.

lâ ætatis sexûsvé habitâ reverentiâ. Dein igne injecto, oppidum in cinerem favillasque redegit. Parcitum est, idque studio Comitis Bossuvii, Lamberto Hortensio, quem Monfortium in lucem extulit, egregio Satyrographo & Germanicarum & Ultrajectinarum rerum scripto celebri, viro jam propemodum decrepito, qui tamen, cadentem priùs Hispani manu filium viderat. Ejus laneniæ nuntius tanto Hollandorum omnium non terrore, sed odio adversus Hispanum nomen auditus est, ut cæteræ urbes, quæ jam in veniæ spem erectæ, ad deditionem propendebant, obduratis animis, extrema omnia perpeti, quàm duro Albani imperio parere maluerint.

Consilium de obsidendo Harlemo. Post Nardensium cladem, Fredericus regias copias Amstelodamum traduxit. Ibi deliberatum, quo ducendum esset. Auditæ sunt multorum sententiæ, tandem decretum Harlemum deditione, vel expugnatione tentandum esse. Quare Maximilianus de Bossu, Hollandiæ Gubernator, literas ad Harlemenses misit 25. Novemb. 1572. quibus eos præmonebat de instanti exitio, nisi resipiscerent, eademque illos manere fata, quæ Zutphanienses, amplis pollicitationibus Auriaci Principis illectos, penitùs perdiderunt. Sub idem tempus Amstelodamenses quoque, commiseratione vicinæ & amicæ civitatis, literas clàm ad Harlemenses misêre, quibus significarunt gratiæ locum esse, si veniam supplices peterent, antequam exercitus urbem cingeret, hortantes ut sese respicerent, neque præfractè in abyssum miseriarum præcipites agerent. Quibus literis in Senatu lectis, agitatum fuit, an non consultum videretur, ut duo è Senatu, quos sors daret, Amstelodamum mitterentur ad paciscendum cum Frederico à Toledo; aut dilationem petendam dierum aliquot, ut intereà temporis, Principem Auriacum certiorem facere possint, quo loco res civium essent. Non eadem omnibus fuit sententia; quidam veniam & gratiam petendam esse censuerunt. Alii obtendebant veniam petituris eadem expectanda, quæ Mechlinienses, Zutphanienses & Nardeni passi erant. Inter has opiniones heterogeneas prævaluit prior. Itaque sors missa designavit Theodorum de Vries, & Christophorum à Schagen Consules, qui assumpto Adriano ab Assendelphis, Syndico, eodem die trahâ glaciali Amstelodamum ad Fredericum profecti sunt, aliis nequicquam refragantibus. Id cum intellexisset Wiboldus Ripperda, Urbis Præfectus, Duces omnes & civium primipilares cogi jussit, & vehementi oratione populum adeò in Albani odium inflamavit, ut plerique omnes sublatâ voce exclamârint, sese cum fortunis omnibus

Ripperda concitat cives ad resistendum.

para-

paratos esse Auriaco & patriæ impendere. Itaque nihil cunctatus, literas ad Auriacum misit, eumque certiorem fecit, quo loco res Civitatis essent. Dein à Lazaro Mullero Chiliarcha, qui tunc in Waterlandia imperabat, vexilla militum auxiliaria quatuor, ad majorem securitatem in urbem recepit. Tum templum augustum S. Bavonis adiit, & eversis simulacris, divorumque statuis, templum expilavit, & religionem reformatam profitentibus aperuit, quod tacito dolore multorum civium animos momordit & perculit. Admissis interim Legatis, cum ea quæ in mandatis haberent, exposuissent, pro responso à Frederico retulêre: Gaudere se, cives ad saniorem animum rediisse, & ad patrem Ducem Albanum literas daturum ut in gratiam supplices reciperet, hortatus interim, ut ad suos redirent, darentque operam, ut milites dimitterent. Verùm Theodorus de Uries tam perplexo responso parum fidens, Amstelodami substitit: alii duo legationis socii Harlemum reversi, comprehensi & Delphos ad Auriacum missi sunt. Itaque judicio se sistere jussi, condemnati. Adrianus Syndicus capitis supplicio affectus; Christophorus verò per cruciamenta expressam animam in carcere posuit. Quocircà Fredericus Toletanus ex eo deprehendens, nec preces, nec minas apud pervicaces homines quicquam valere, non diutiùs cunctandum ratus, ad expeditionem se comparat, & octavo Idus Decembris Sparewoudæ castra metatus est. Harlemenses munitioni Sparedamensi metuentes, præsidium illius trecentis peditibus, Duce Martino Prusio, auxerunt, aggeremque inter Sparendamum & Sparewoudam medium perfoderunt, ut, immissis aquis, adjacentes agros latè inundarent, regiosque ab oppugnatione Sparendami longè arcerent. Sed nihil profuit hæc solertia, quippe repertâ viâ versus occidentem, quâ aditus pateret per glaciem, decimo mensis die infestâ acie in propugnaculum irruunt, & magnâ propugnantium strage occupant. Harlemenses eminus videntes urbis propugnaculum in summo discrimine esse, submisêre cohortes aliquot subsidiarias, sed prævalente regiorum vi, cæsis trecentis, præceps fuga cæteris profuit. *Sparendamum occupant Regii.*

Capto Sparendamo Ferdinandus die 11. Decembris exercitum propiùs ad urbem admovit. Milites præsidiarii, pugnandi studio accensi, erupêre, & impari congressu magnâ cum strage repulsi sunt. Copiis per sedes dispositis, Fredericus oppidanos ad deditionem interpellari jussit. Responderunt, satiùs esse extrema subire pro aris & focis, proque patria oppetere mortem, quàm periclitari Hispanorum fidem. Tum civitas ipsa in regiones divisa, & cuique suæ

 partes

partes assignatæ, quæ ad tuitionem urbis facerent. Neque in segniore sexu desiderata virtus, trecentæ mulieres sunt ordinatæ, quæ succussis urbis mænibus, aggestâ humo succurrerent. Interim Lumæus Lugduno profectus cum quatuor equitum turmis & quindecim cohortibus, Harlemum tendit, castraque Weilgenbergæ posuit. Admonitus de adventu Toletanus, confestim Bossuvium, Noircarmium, ac Julianum Romerum in occursum cum copiis præmisit, qui infesto agmine in Lumæanos invecti, magnam edidêre stragem, cæsi mille & amplius, sævitum in captivos atrociter, capta quatuor tormenta bellica, pleraque signa & currus complures, ex regiis vix cæsi duodecim. Post stragem Lumæi, quidam in manus Hispanorum cum incidisset, recisum ejus caput in urbem mittebant, addito hoc elogio: *Caput Philippi Coninx, qui liberando Harlemo cum bis mille auxiliaribus advenit.* Oppidani hac contumeliâ exacerbati, nocte proximâ obtruncatis undecim captivis, eorum capita dolio inclusa, in castra devolvunt, cum hoc sarcasmo: *Albanum decimas exegisse ab obsessis, nunc undecimas persolvere in fœnus.* Momordit animum Imperatoris tanta contumacia, itaque ardens vindictâ, 18. Cal. Jan. portam Crucis, ac D. Joannis quatuordecim tormentis quassari jubet, explosis uno die 680. globis ferreis, quibus eversis, editâque ruinâ irruptio facienda pronuntiatur. Mox Hispani impressionem fecerunt, oppidani nihil territi, omnem vim propulsantes tormentis, sclopis, missilibus, mœnia urbis defendebant & plurimis Hispanorum trucidatis, cæteri in castra pedem referre compulsi sunt. Et hæc prima fuit oppugnatio, quæ cum tertiò redintegrata fuisset, magnâ Hispanorum clade, multi Magnatum censebant solvendam molestam & ærumnosam (propter brumæ frigora) obsidionem, atque ob id maximè, quod urbem eam inexpugnabilem judicabant, quamdiu à meridionali plaga lacus navigantibus pateret submittendo commeatu, atque omni apparatu bellico. Albanus interim de his edoctus, misit ocyùs litteras per Bernardinum de Mendoza ad filium Fredericum, quibus seriò hortatus, ne urbem desereret, comminatus etiam si secus fecisset, se quamvis lecto decumbentem, in castra venturum & in obsidione odduraturum. Quocircà ab universo ordine militari acclamatum fuit, se omnem inediam, hiberna frigora, pericula & incommoda castrensia patienter laturos, spe gloriæ & gratiæ ineundæ apud regem. Ex suscitatis militum animis, Fredericus, cum exigua spes esset expugnandæ urbis, obsidionis modum immutare statuit: atque in eum finem omnia consilia eò vertit, ut lacum Harlemensem inter-

Lumæi copiæ cæduntur.

Hispanorum in Harlemẽses conviciũ.

Harlemensiũ responsum.

intercluderet, totiusque maris illius navigationem obsessis adimeret, ut commeatus inopiâ urbem fame exhaustam, ad extremas angustias redigeret; & tandem cogente necessitate sub jugum mitteret. Delegatus ad id negotium Maximilianus Bossuvius Hollandiæ Præfectus, qui cum triginta tribus navibus onerariis, & septem triremibus mare Harlemicum, aggere perfosso intravit, & ut tutam navibus suis stationem haberet, munimentum ad palustria Fuychii excitavit, omnesque fossas, ac incilia ad castra regia interjacentia humo oppleri jussit. Lacu intercluso, urbeque tam arctâ obsidione cinctâ, ut vix ulli ingressus, aut egressus pateret, docuit ingeniosa necessitas novum commentum literas ultrò citroque per columbas mittendi. Hæ ex urbis columbariis ad vicina sociorum oppida asportatæ, cum literis subter alas alligatis emissæ, Harlemum revolabant, hisque aëriis tabellariis deinceps ad finem usque obsidionis usi sunt. Gliscebat interim in urbe rerum omnium inopia, rei cibariæ, pulveris tormentarii, & pecuniæ quæ nervus belli: nec tamen animum despondêre oppidani, sed cogitare de mediis cepêre, quibus levare annonam possent. Itaque habitâ inquisitione rei frumentariæ, viritim singulis in diem panis libra attributa, fæminis semilibra, liberis triens, ancillis, lixis, & calonibus libra hordeacea; ad hæc pretium cerevisiæ positum, & modus in ea coquenda constitutus est. Consumpto jam frumento, cepêre panem conficere ex cannabis & rapi sylvestris seminibus. Pro obsonio erat caro equorum, canum, felium, ipsorumque glirium. Tùm iis deficientibus, tergora boüm sale condita & aquâ calce immissâ macerata in famis miserandæ solatium ventri ingesserunt. Ad extremum jam desperationi proximi, suspenderunt de turri ferale aplustre, quo indicabant extremas angustias, miseruntque ad Auriacum Nicolaum Bernardi, qui Principi supplicaret, ut in proximum diem commeatum mitteret. Itaque laborantis urbis amore incensus, Baronem Batenburgium cum selectis copiis, commeatu, omnique bellico apparatu mittit, qui belli fortunam tentaret. Is nocte concubiâ in Germanorum castra impetum fecit, verùm infaustis avibus, quippe Hispani ad tumultum exciti, arma corripiunt & in hostes invehuntur. Pugnatum est utrimque fortiter, sed supervenientibus aliis atque aliis, inclinari cæpit Batenburgii acies, Regiisque victoria cessit. Cæsi ex Batemburgicis mille sexcenti, inter quos ipse Batenburgius cum multis aliis ordinum Ductoribus & militum Præfectis, & multò major strages fuisset, nisi pugnam nox diremisset. Omnes currus, commeatus, tormenta quatuordecim, vexilla

Columbæ literas perferentes.

Rei cibariæ inopia.

Extrema angustia.

Batenburgii expeditio.

Batenburgii clades.

com-

complura præda fuerunt. Itaque rebus omnibus conclamatis, Auriacus obſeſſos per literas monuit, ut, urgente fatali neceſſitate, ſibi conſulerent. Mox D. Fredericum ſollicitant ad colloquium, ſed re infectâ diremptum, vel quod extrema poſtularet, vel quod oppidani id agerent, ut brutum & famelicum vulgus ſpe aliquâ lactarent. Poſt hæc decretum, ut viri omnes, relictis ſenibus & imbelli ſexu urbe excederent, viamque Salutis per media hoſtium caſtra, armatâ manu quærerent, ſed ad rei famam tanta fœminarum comploratio lugubreſque lamentationes obortæ ſunt, ut ab eo conſilio diſceſſum ſit. Exindè deliberatione habitâ, ſtatutum, ut eo ordine erumperent, ſcilicet, ut collocatis in fronte ſeptem ſclopetariorum ſignis, Magiſtratus & Oppidani cum uxoribus ac liberis ſequerentur, tùm novem cohortes poſterius agmen clauderent; ſed ſpes veniæ impetrandæ illos ab hoc propoſito revocavit. Itaque quarto Idus Julii in caſtra miſſi ſunt duo Conſules, Steinbachius Roſinius, & Chriſtophorus Vadderus, ad paciſcendum cum Frederico Albæ Principe. Conditiones poſitæ quales ferè inter victos & victores: Urbem dedendam ad arbitrium Frederici, ſervato ſibi tàm ad gratiam, quàm ad pœnam jure; numeranda ducenta quadraginta millia florenorum, intra duodecim dies millia centum, reſidium intra trimeſtre proximum dependeretur, ad redimendam urbis direptionem. Diſplicuit hoc pactum Roſinio, qui extrema potius tentanda, quàm conditiones tam iniquas admittendas cenſuit; & jam Oppidanis ferè perſuaſerat; ſed neceſſitati manus dare coâcti ſunt. Indè militibus tympanorum pulſu convocatis, data optio ſine armis exeundi, aut arbitrio Albani ſeſe permittendi: quod poſterius eò lubentius amplexi ſunt, quòd fama ſpargeretur Germanis & Scotis vitæ gratiam factam. Cùm igitur in deditionis leges Præfecti & Duces tam præſidiariorum quàm civium conſenſiſſent, juſſi oppidani, viri, fœminæ, & milites comportatis in Curiam armis, in tria aſſignata templa concedere. Germanis & Scotis exceptis, quibus excubiæ in mœnibus concreditæ ſunt. Dein Germanis & Scotis imperatum ut & ipſi arma deponerent, quo facto, ad Catharinæ & Urſulæ fana ſepoſiti ſunt. Ita tandem Harlemenſes tertio Idus Julii 1573. poſt obſtinatam ſeptem menſium obſidionem, poſt tot tormentorum tonitrua (obſervatum enim pluſquam decies millies & quadragies tormenta diſploſa) poſt toleratam denique infamem famem, ſub jugum miſſi. Exindè D. Ferdinandus urbem eſt ingreſſus, proximè ſequente Comite Boſſuvio & frequente nobilium catervâ. Confeſtim omnes Tribunos

Colloquium cum Toletano.

Deſperationis conſilia.

Conditiones dedendæ Urbis.

Oppidani exarmati.

Don Fredericus urbē ingreditur.

bunos militum, Præfectos, Signiferos in custodiam dedit. Decimo quinto die ejusdem mensis Dux Albanus Amstelredamo Harlemum veniens, castrametationes, munimenta & loricas equo invectus circumquaque lustravit, urbem non ingressus tot fortium virorum sanguine emptam, quibus quasi inferias immolaturi, trecenti Galli, Angli & Belgæ laqueo strangulati sunt. Postridie Præfectus urbis Ripperda, cum Legato suo securi percussi. Et ducenti quadraginta septem milites gladio, laqueo & gurgite necati. Postero die alios trecentos milites & cives, qui fugam instituerant, combinatos & colligatos à tergo ad magni lacus ostia submergi jussit. Tum expiatis per Episcopum Amerledum delubris Templum D. Bavoni sacrum ingressus, Episcopus sacrum coràm Toletano peregit. Atque hæc fuit catastrophe celebris civitatis Harlemensis, quæ inter alia, etiam typorum primam inventionem sibi vendicat.

Templa expiata.

Intereà Don Fredericus novum exercitum conscribit, & militum delectu habito, præmisit Alcmariam tubicinem, qui oppidanos urbem dedere juberet, quod illi, Ruykhaverio ab Auriaco cum bis mille peditibus & trecentis equitibus auxilio sumisso & intra mœnia recepto, facere recusarunt. Interim Hispani tumultuantur, stipendia viginti octo mensium, supra honoraria flagitant, Ducum suorum imperia abrogant, novos constituunt; Seditioni componendæ totus ferè mensis insumptus: Postremò circa medium Augusti Chapinus Vitellius displicentiæ militum occurrit, & numerari jussit in capita singulis triginta aureos, sedecim pro honorario, quatuordecim in solutionem stipendii dum sors accedat universa. Quæ res magnam remoram Toletani conatibus attulit, & magno Alcmariensium commodo cessit, qui festinatis operibus urbem intereà muniverunt. Tandem ad oppidum 11. Cal. Septemb. castra posita, variisque præliis certatum usque ad 16. Cal Octob. tùm Regii viginti tormentis urbem quatuor locis pulsare cœperunt, ac post bis mille ictuum displosionem, editâ ingenti ruinâ, ad turrem rubram ac portam Frisiorum facto eodem tempore impetu, trium horarum spatio obstinatis animis pugnatum est. Postremò Regii repulsi sunt, amplius quingentis occisis, sive sauciatis. Qua in oppugnatione præclara civium & præsidiariorum virtus atque fortitudo, ab ipsis etiam hostibus, est commendata: Neque fœminæ suis partibus deerant, sed pugnantibus in vallo viris, præliandi materiam subministrabant, aut saxis congerendis occupatæ; aut sulphuratis ignium contexendis globis jugiter intentæ: Sæpè totos ferventibus aquis lebetes in hostes effundebant, ingentes truncos & saxa de mœnibus devolvebant, illitos

Seditio militum Hispa.

Placata seditio.

Alcmaria obsidetur.

illitos pice ſevoque orbes conſerebant, vallorum ruinam reſarciebant. Poſtremò Alcmarienſes cum ſeſe expedire aliter non poſſent vocato in ſubſidium Oceano, varia aquarum emiſſaria aperuêre, undè caſtra movere coâcti Hiſpani, deductis in tempore tormentis, quinto Idus Octobris ab obſidione diſceſſum eſt. Nec proſperiore fato pugnatum in maritimis ad Auſtrum, cum navali prælio victus Maximilianus Henninius, Comes Boſſuvii in manus venit, pactus captivitatem Comite dignam & Hornam deductus. Ferunt in eo certamine ſolam Boſſuvii prætoriam navem (cui inviſum Inquiſitionis nomen erat) à cætera claſſe deſtitutam, octo & viginti horarum ſpatio, ſummâ virtute hoſtilem oppugnationem contra viginti hoſtium navigia ſuſtinuiſſe: cumque ſolos quindecim claſſiarios ſuperſtites haberet, & carinæ, fori, & pergulæ humano ſanguine exundarent, honeſtis conditionibus deditionem feciſſe. Sarcita hæc tamen jactura, aliquot in Auſtrali Hollandia oppidis expugnatis, captoque apud Hagam-Comitis Philippo Marnixio Santaldegundio, ſummæ exiſtimationis viro, & primario Auriaci conſiliario, & Trajectum ducto. Cum verò Albanus animadverteret nomen ſuum Belgis inviſum eſſe, incerta omnia adhuc fluctuare, fortunam non reſpondere votis, atque adeò omnia in pejus ruere: neque ignoraret quantâ invidiâ in Aula Regis flagraret, ſucceſſorem ſibi dari petierat. Itaque in ejus locum ſuffectus fuerat Joannes Cerda, Medinæ-cœli Dux, qui cum ſub id tempus provinciam ingreſſus eſſet, quo omnia ad defectionem ſpectabant, publicam adminiſtrationem capeſſere noluit. Igitur Ludovicus Requeſenius, ex familia Seſſiæ, Mediolanenſis Ducatus Præſes, ei ſucceſſor deſignatus 15. Cal. Decemb. Bruxellas venit, & exeunte eodem menſe Albanus provinciam depoſuit, & quarto Non. Decemb. cum Frederico filio Bruxellâ diſcedens, in Italiam & indè, Genuæ conſcenſis triremibus in Hiſpaniam perrexit; relinquens Provincias graviſſimis & ancipitibus bellis implicitas, quas ab exceſſu Celſiſſimæ & prudentiſſimæ Heroïnæ Margaritæ pacatas acceperat. Is initia præfecturæ auſpicatus ab animadverſione in ſuſpectos Belgarum Proceres, dum corruptum membrum altiùs ſecat, detruncavit corpus, quod curaret: nam in Amoralii Egmondani & Philippi Momorantii Hornani funeſto fine ſic Belgarum animos exacerbavit, ut Auriaco inſtante claſſicum, jam nutantis, ac perditæ poſteà Religionis, Provinciarum mox ſecuta ſit illa ſeceſſio & à reliquo corpore, crudeli ſciſſurâ, divulſio, quæ fœderatum Belgium peperit; illuſtriſſimam poſteà Rempublicam, & à terræ limbo mari dominantem.

Solvitur obſidio.

Prælium navale.

Comes Boſſuvius capitur.

1573.

Albanus miſſionem à Rege flagitat.

Lud. Requeſenius Belgii Gubernator.

Albanus in Hiſpaniam revertitur.

Indè

Indè fluxit civile bellum, quo cruento invicem Marte Octoginta duos fermè annos continuos, crudeliter decertatum est. Sanè si Dux Albanus dominatui fomenta lenitatis attemperasset, neque inclementius se gessisset ergà populum, mollioribus assuetum imperiis, cujus genius est, ut nec totam libertatem, nec totam servitutem ferre possit, rediisset fortè reverentia & obsequium. Sed nihil fuisset efficacius, quàm si Rex ipse in hasce regiones venire dignatus esset, ut quasi exortum Solis jubar, vultu conspectuque suo lucem & serenitatem subditis redonaret, ac discordiarum nubes mentibus detergeret. Carolus V. parens ejus, exiguo stipante comitatu, per Galliæ fines iter facere non dubitavit, ut unius urbis Gandavensis tumultum, præsentiâ suâ compesceret. Quanto gravior causa hortari debuit filium, ut paternum exemplum sequi vellet, quùm universum penè Belgium, fatali quodam impulsu, quassaretur, & quasi ab imis sedibus concuteretur. Sed Deus est qui supra nos negotium curat, cujus arcanis consiliis evolvendis, impar est humana fragilitas.

Ea quæ sequuntur, & quæ gesta sunt sub aliis Belgii Præfectis, quoniam amplè ab Historicis pluribus, variis linguis perscripta sunt, ne rem omninò actam agere videar, percurram paucioribus, quantum ad propositum meum sat fuerit. Initiò anni sesquimillesimi 74. Ludovicus Requesenius Belgii Præfecturam iniit. Cum autem paulò ante insigne decus peperisset in illo navali ad Naupactum prælio, quo Joannes Austriacus horribilem & formidolosam Sultani Selymi classem profligavit: Itidem hic à navali prælio administrationem suam auspicari volens, omnia consilia sua ad Middelburgum liberandum, quod arctissimâ obsidione premebant Zelandi, convertit. Itaque mense Januario, Antverpiæ, Montibusque ad Somam, sexaginta navium classem instruit, eâque bipartitâ, jubet Sancium Avilam per Scaldis divortium, quod Houtam vulgò appellant, & Julianum Romerum per Zuydbevelandiam Middelburgum petere. Re intellectâ, Auriacus constituit alteram è duabus classibus impetere, antequam conjungerentur. Quare divisâ & ipse classe, partem ejus fixis ancoris ante Middelburgum consistere jubet; cum reliqua classe Ludovicus Boisottus, Hollandici Oceani Præfectus, secundo maris æstu Montes ad Somam cursum intendit, & confestim in regias naves impressionem fecit, sibi inauspicatò, excusso statim oculo sclopeti ictu. Sed Zelandi numero navium, ac nautarum peritiâ potiores, Regiis incumbentes, ac navigiis partim vado adhærescentibus, partim igne injecto exu-

1574. Requesenius imperium au spicatur ab expeditione navali.

Committitur prælium.

Vincitur classis Hispana. stis, ad extremum victoriam reportarunt. D'Avila cum sua classe circa Walachriam appulsus, ibique subsistens, postquam de Romeri casu certior factus esset, mari remenso Antverpiam reversus est. Interim Middelburgenses ad extremam patientiæ metam pervenerant, imò jam transilierant: Siquidem postquam equos, vervecum instar absumpserant, mox ad canes, feles, muresque ipsos versi, nulli animalium quod duceret vitam, pepercerunt; tùm iis deficientibus, animalium pelles in alimoniam rapuerunt, nec nisi pastillis è lini semine confectis, se sustentabant. Tandem, quando omnia deficiebant subsidia, Mondragonius urbis Præfectus, certis conditionibus deditionem fecit: „Ut scilicet præsidiarii omnes cum „armis & impedimentis, omnes etiam Ecclesiastici sacrâ cum su-„pellectili & quicumque vellent cum rebus domesticis tutò disce-„derent, ac in proximam Flandriam navigiis asportarentur. Præ-„tereà recepit Mondragonius se apud Requesenium effecturum, „ut Philippus Marnixius Santaldegundius, qui Trajecti captivus „detinebatur, Simonius, atque Pertinius Tribuni militum, ac „Centurio Cittadella è custodia dimitterentur, ni faceret, ipse se „captivum sisteret. Acta hæc 12. Cal. Martii. Eodem tempore & Armuda Auriaco se permisit, qui jam totâ Walachriâ potitus, magnum suo imperio addidit incrementum, sedemque firmam sibi fixit.

Atra fames Middelburgensium.

Deditur Middelburgum.

Armuda ab Auriaco occupata.

Intereà Ludovicus & Henricus, Auriaci fratres, ad delectus habendos in Germaniam contenderant, & conscriptis septem millibus peditum & quatuor equitum, Trajectum usque Mosæ venerant, ut urbem astu, sive quorundam proditione interciperent, sed contecta res non mansit. Quare Neomagum versus iter dirigentes inter Mosam & Vahalim in ericeto Moukensi castra metati sunt. Mox Sancius Avila transportatis trans flumen copiis, instructisque ordinibus in hostes ducit. Prima clades in equitatum, cui præerat Christophorus Bavarus, Palatini Septemviri filius incubuit. Fuso fugatoque equitatu, objecti pedites proteruntur, tresque ipsi exercitus Duces, aut cæsi in æstu prælii, aut paludibus hausti sunt; eorum enim corpora, quantumvis diligenter inter cæsorum cadavera vestigata, nusquam reperiri potuêre.

Ludovici Nassovii clades.

Seditio prima Hispanorum. Post Ludovicum Nassovium fusum, Requesenius Lugdunum Batavorum animo præcipiebat, sed consilium id aliquantisper repressit Hispanorum seditio, dum obstructis in promissa auribus, complurium mensium stipendia reposcunt. Ergò tumultuantes novum sibi Imperatorem deligunt, ac infestis signis Antverpiam

versus

versus tendunt. Præsidiarii qui arcem obtinebant, eos per posticum admittunt, & ipsi, abrogato Ducibus imperio, factiosis accedunt, partitique sibi ex militari designatione, opulentiorum civium domos, Requesenio superbè denunciant, nisi stipendia illicò solvantur, se sibi suo arbitratu soluturos. In iis angustiis cum inane esset ærarium, tandem convenit, ut decem mensium solutionem præsenti pecuniâ, pro quinque aliis pannos laneos, lineos ac sericos acciperent. Igitur urbs Antverpiensis indicto in singula capita tributo, quadraginta florenorum millia contulit. Requesenius factum argentum, & quidquid in pretio sibi erat similiter contulit. Eo pacto post quadragesimum & septimum diem seditio compressa est, & Antverpienses metu militumque petulantiâ liberati sunt. Postquam conquievit tumultus, Requesenius coacto exercitu, cui Franciscum Valdesium præfecit, Lugdunum Batavorum obsidet, & castra munit adeò operosè, ut à prorumpente cive securus, ipsi famem necessariò inferret. Didericus Bronchorstius, præclarus bello Dux, Præfectus civitati atque præsidio, curam omnem impendit in annonæ parsimoniam; sperabat moram temporis futuram commodo suis rebus. Nihilo secius deliberatum habebat Valdesius, urbem obsidione & fame ultimâ capere. Lugdunenses intereà ad Auriacum Legatos miserant, qui fidem suam, calamitatem & extrema omnia, ad impetrandum opem, proponerent. Sed cum nulla pateret via summittendi laborantibus commeatus & auxilii, à desperatione captum est consilium. Igitur Hollandi & Zelandi ruptis perforatisque aggerum molibus, ac cataractarum obicibus, totum Meridionalis, ac Occidentalis Hollandiæ tractum undarum mole obtexêre. Quâ opportunitate è vicinis undique Insulis & portubus importato navigiis ad obsessos commeatu, spes omnis potiundæ urbis decollavit, & accedente panici timoris occulto impetu, Valdesius aquarum vi victus solutis castris, intempestâ nocte abscessit, multis è suis aquâ haustis, terreisque contis interfectis. Ità Lugdunum post quinque transactos in ærumnis menses, metu liberatur atque periculo. Periêre obsidionis tempore ferro, fame, pestilentiâque supra septena hominum millia.

Antverpiam intrant.

Stipendia illis persolvuntur.

Lugduni obsidio.

Ferox vicinorum consilium.

Solvitur obsidio.

Primus hujus improsperæ obsidionis partus, altera seditio fuit Hispanorum. Incusabant moram & cunctationem Valdesii, imò fidem sugillabant, & flagitantes rursus stipendia, detrectabant obsequium. Jamque aliorum accessione aucti, Harlemum & Amsterodamum versus profecti, cum excluderentur, ad Urbem Ultrajectensem deflectunt. Nec jam amplius eorum audacia intra ver-

Seditio Hispanorum altera.

ba ſtabat, ſed promota ulteriùs, vim urbi inferebant; at ab oppidanis repulſi, totam illam oram eveſtarunt. Tandem ad eos miſſus Joannes Oſorius Vlloä, quatuor aureos viritim numerari juſſit, & ita placatos in hyberna diſtribuit.

Cùm Hiſpani paſſim turbas cierent tragicas, nec ſeditionum modum nec finem facerent, & ob eam cauſam hoſtes & perduelles proclamati eſſent, tandem execrari omnes bella cæpêre & præoptare pacem. Quare Imperator Maximilianus nihil intentatum reliquit, quò hæc bellorum incendia reſtingueret. Requeſenius quoque de pace ineundâ interpoſitu Marnixii Santaldegundii ſeriò

1575. agebat. Miſſus ab Imperatore Comes Swartzemburgius, diſſidentes animos concordiâ conciliaret. Locus conventui deſignatus oppidum Bredanum; pactâ die conveniunt in pacem arbitri. Cæterum dùm Batavi pertinaciùs exterorum omnium è Belgio miſſionem, iiſque adminiſtrationem ac imperium omne abrogandum contenderent, ac invectæ nuper religionis liberum exercitium urgerent: Regii contrà orthodoxam, patrum cultu ſancitam, flagrantiſſimis animis tuerentur, nolletque Requeſenius tam iniquis conditionibus commodare aures, dirempto colloquio abceſſerunt re nullâ perfectâ, inflamante Auriaco fomitem, qui ſuam induſtriam pacis otio conſeneſcere ratus, atque authoritatis vim bello invaleſcere, procellas optabat. Dùm Bredæ pacis negotium agitur, Auriacus facto divortio cum Mauritii Electoris Saxoniæ Ducis filia, Charolottam Borboniam, Ducis Monpenſerii filiam Chriſto prius deſponſatam, tertiam uxorem duxit.

Conventus Bredæ de pace, irrito ſucceſſu.

Conjugium tertium Auriaci.

Spe pacis interciſâ, de bello nova conſilia capiuntur, renovantur funera, graſſatur ubique armorum furor. Hiergius, Barlemontii filius, collectis copiis, ex Requeſenii imperio, in oppidum Buranum eas educit. Nec mora, urbem cingit, & indeſinenti tormentorum diſploſione ruinam aperit, quæ in oppugnationem abundè foret; ita oppidanis una jam in prompta deditione ſalus vitam fortunaſque incolumes pacti, oppidum cum arce dediderunt. Burâ ad Aquas veteres itum, ibi ſpreto Regiorum conamine deditionem abnegat præſidiarius miles. Hiergius nihil moratus admovet muris, primùm legiones, dehinc tormenta, & poſt editam continenti diſploſione ruinam, vi urbem expugnat, nulloque ſexus aut ætatis habito diſcrimine jugulati omnes. Poſt prædam ignis inditur & ſolo æquatur. Indè Schoonhoviam caſtra promota, quam Auriacus D. de la Garde Gallorum Chiliarchæ tutelæ commiſerat, tormènta bellica 23. muro admota, quo diutinâ verberatione ſtrato,

Bura ad obſequium redacta.

Aquas veteres obſeſſæ, & expugnatæ.

Schoonhovia deditur.

to,

to,factum, ut despondens animum hostis,deditionis leges ex militari regula subiverit.Requesenius cùm videret totam ferè continentem in potestatem redactam, Insulas, quibus se Fœderati continerent tantùm superesse, ad eas subjugandas animum adjecit. Postquàm verò ex quorundam relatu comperisset, recedente mari, posse vado in eas transmitti,arduum juxtà & illustre facinus aggreditur. Quarto Cal. Octobris in S. Michaëlis profesto, adultâ jam nocte, exercitum per S. Annæ & Philippi insulas, in Duvelandiam (à columbarum frequentiâ ita denominatam) vado transmittit, nihil prohibente alto limo vastisque voraginibus, quæ incedentes remorabantur. Indè in Scaldiam, à præterlabente Scaldi sic dictam, penetrat, & Vianæ munitionem occupat. Deindè Bommeneam loco munitam, ac milite firmatam aggreditur, quæ dum se dedere renuit, vi expugnatur,omnesque infesto ferro conciduntur.Exindè Ziriczeam exercitus deportatus, urbem naturâ loci & arte munitissimam. Præerat urbi Arnoldus Dorpius, qui subductis cataractis & apertis emissariis circumjacentes agros aquarum exundatione opplevit, ita ut obsidentes fluctibus obruti,castra sua in ipsis tantum aggeribus locare potuerint. Videns itaque Requesenius lentam fore obsidionem, neque vi expugnare urbem posse, commissâ exercitus mole Mondragonio ipse Bruxellas reversus est. Mondragonius, ut omnem aditum ad urbem obsessis obstrueret,fretum inter Scaldiam &Duvelandiam ingentibus palis ac trabibus,longo catenarum nexu,in fundum adactis, interclusit. Jam in octavum mensem trahebatur obsidio, cùm Holachius Comes & Ludovicus Boisottus,Zelandici maris Præfectus, ultimam vim tentaturi,cum instructa classe obsessis auxilio veniunt; at hæc, tempestate exortâ, in vada impulsa,paludoso solo insedit. Navis etiam immensæ molis, mille ducentarum amphorarum, quæ ipsum Boisottum cum sexcentis lectissimis militibus portabat, ad brevia illisa, & regiarum machinarum ictibus quassata, demersa est. Periere in ea trecenti classiarii, in quibus ipse Architalassus Boisottus, cùm tabulæ hærens, diu cum aquis luctatus esset. Postquàm nulla auxiliorum spes superesset,obsessi cumMondragonio æquis conditionibus transigerunt nono post obsidionem mense. Paulò ante deditionem Requesenium mors rapuit III. Non. Mart. virum summâ animi moderatione, & prudentiâ longo rerum usu confirmatâ ;cujus morte, penes primarium Senatum, cui à Statu nomen, Belgicæ administrationis summa mansit, quoad Joannem Austriacum Rex in Belgium immitteret.

Regiorum in Zelandia progressus.

1567. *Ziriczea obsidio.*

Ziriczeá deditio.

Requesenii mors.

Imperii summa penes Consilium status.

Intereà Fœderati, post irritum Bredanum conventum, undique

angu-

Fœderati de novo Principe eligendo deliberant.

anguſtiis preſſi, cùm nec pecunia in militem, nec miles deficiente pecuniâ, ſuppeteret, de potenti alicujus Principis patrocinio implorando cogitare cuperunt, & diſcordibus ſententiis aliquandiu diſceptatum eſt; cùm alii ad Imperium & Imperii Principes, alii ad Regem Gallorum, alli denique ad Reginam Angliæ inclinatione propenderent. Prævaluit tamen quæ pro Anglia erat, ob religionis conſenſionem & negotiationis, ob portuum opportunitatem & comcommoditatem. Itaque decreta in Angliam legatio. At Regina perpendens Hiſpani potentiam, Galli invidiam, & maximos belli gerundi ſumptus, Legatorum poſtulatis aſſentiri, temerarium arbitrata eſt. Ita dimiſſi Legati, quibus tamen permiſſum, militem in Anglia conſcribere, arma, machinas, commeatum liberè comparare.

Quarta Hiſpanorum ſeditio.

Captâ Ziriczeâ Hiſpani denuò ſeditionem cient, & Aloſtum occupant, & ob eam cauſam hoſtes patriæ & perduelles, publico Senatus decreto, renuntiantur. Germani milites cum ſua æra non procederent, conſpiratione & coïtione factâ, in partes Hiſpanorum iverunt, opponentibus ſeſe provinciarum Ordinibus quantum poſſent & vim vi repellentibus. Cùmque Hiſpanorum diſſoluta licentia & audacia, incrementa caperet indies majora, coâcti tandem Ordines, cum Hollandiæ & Zelandiæ delegatis, pacis Bredanæ fœdera renovare. Interim Hiſpani depopulantur Trajectum ad Moſam: Antverpia ex improviſo oppreſſa, direpta, incenſa opitulantibus Germanis, non ſine maxima civium clade & pernicie; ita ut ſupra ſeptem millia cùm oppidanorum, tùm præſidiariorum cæſa perhibeantur. Tenuit populatio tribus continenter diebus: coâctis opulentioribus civibus ac mercatoribus merces ſuas numeratâ pecuniâ, redimere ex quo vicies centena nummûm aureorum millia conflata eſſe Hiſtorici aſſeverant, ac militum multos gladiorum glandes, galeas, & loricas ex auro ſolido confici ſibi; caſque, ne agnoſcerentur, atro colore tingi curaſſe. Auri argentique non ſignati, unionum, gemmarum, aliarumque rerum pretioſarum, quæ ante pactam redemtionem direptæ erant, nulla fuit inita ratio.

Trajectum diripiunt.

Antverpiam opprimunt, expilant, incendunt.

qVarta heV lVCe rVIt antVerpIa VICta noVeMbrIs,
CIVe orbata, eXVta Lare, aC eXVta nItore.

Comitia Gandavi habita.

Antuerpienſes, dùm tot damnis malè multantur, Gandavi de pace in Belgio reſtituenda agi cœptum eſt; advenerant in hanc urbem non modò Brabantiæ, Flandriæ, Hannoniæ, Arteſiæ, nec non Hollandiæ & Zelandiæ Provinciarum, ſed ſacrorum etiam per Belgium Antiſtitum Legati, qui præmiſsâ ſtipulatione amneſtiæ oblitera-

terata injuriarum omnium memoriâ, has pacis leges sanxerunt, quarum huc redit summa. „Hispanos, aliosque peregrinos milites „è Belgio exigendos, Religionem sartam tectam habendam; com- „mercia libera; Ducis Albani abroganda trophæa, statuas, inscrip- „tiones leges, de hæresi, earumq executio suspendatur, donec aliud „ab Ordinibus Generalibus decretum fuerit, Principem Auriacum „agnoscendum pro Præfecto maris, nec non pro Hollandiæ & Ze- „landiæ Gubernatore. Acta hæc signata, & jurejurando firmata sexto Id. Novemb. anno 1576. Hinc occupatæ arces Gandavi, Valencenæ, Cameraci; Groeningæ & Ultrajecti, quibusdam eversis & solo æquatis. Quo die impotenti Hispanorum furore Antverpia direpta est, Joannes Austriacus, Philippi Hispaniarm Regis nothus frater, Caroli Cæsaris filius, cujus virtus non unâ Europæ laude contenta, alias quoque Orbis partes sui nominis gloriâ impleverat, Lucemburgum venit. Mox ad Senatum componit literas, quibus eum de adventu suo certiorem facit, eoque consilio à Philippo missum, ut cum imperio Provinciis præesset, Belgium intestinis agitatum dissensionibus tranquillaret, & ab interuecinis bellis ad pacem & concordiam traduceret, addit, non nisi lacessitum de armis cogitare. Ad Hispanorum quoque Tribunos scribit, & ut deinceps ab omni vi & injuria abstineant, pro imperio mandat. Senatus conventum Antistitum, Nobilium & Delegatorum Urbium indicit, in quo variis sententiis de admittendo, vel rejiciendo novo Gubernatore dissertatum est. Qui cum Auriaco stabant, nihil eo inconsulto hac in re statuendum contendebant. Hi suffragantium numero superiores, obtinuerunt, ut Auriaci consilium peteretur: qui magno argumentorum pondere rejiciendum eum suasit: quod decessorum vestigiis insistens, omnem rursùs Ordinibus auctoritatem abrogare, imò patriæ libertatem opprimere, meditaretur; nullum proindè cum Austrio fœdus, aut pactum inirent, nisi priùs Hispanos omnes exterosque milites Belgio excedere jubeat; juretque Provinciis, se omnia præteritis sæculis, à variis Brabantiæ Ducibus concessa & donata privilegia, integra & inconcussa servaturum, & juxtà eorum præscriptum Provincias administraturum. Ad hæc Gandavensem pacificationem confirmet, nihilque nisi ex Ordinum decreto statuturum promittat, quibus jus ac potestas esset, bis terve quotannis coire & conventus publicos habere, Reipb. administrationem inspicere & de summa rerum decernere. Prætereà præfigendam conditionem ut arces diruantur, neque militem conscribat, aut præsidia urbibus, aliisque locis imponat absque Ordinum consensu, & arbitrio

Pacificatio Gandensis.

Ioannes Austriacus Lucemburgum venit.

Ordinum foederatorum deliberatio de admittendo Austriaco.

Consultant Auriacum.

Ejus consilium.

bitrio. Hæc ferè ſumma conſilii Auriaci, qui in dominationem intentus, duras has conditiones ſuggeſſit, ſperans eas ab Auſtriaco neutiquam accipiendas, ſed contrà quàm putavit, evenit. Quippè Cùm Auſtriacus Lucemburgo Marcham in Faminia veniſſet, Legati Ordinum eò venêre, ut pacis fœdera cum eo icerent. Compoſitis tandem opinionum diſſidiis, Auſtriacus ſententiâ ſacrorum codicum Interpretum confirmatus, nihil in capitibus pacis Gandavenſis contineri orthodoxæ fidei Regisque dignitati adversùm, ſeu noxium, pridie Id. Februarii cum Delegatis tranſigit, his inter cætera legibus. „ Ut Gandavenſe fædus, omniaque ejus capita Rex „ probaret, rata faceret & confirmaret; Regi ſua auctoritas & obſe„ quium conſtaret, omnis externa militia, tempore præfinito, toto „ Belgio diſcederet; bello capti ſine redemptonis pretio, utrimque „ dimitterentur: ut Rex ejuſque in Belgii procuratione Legati, im„ munitates, libertates, conſuetudines, ritus antiquos & privilegia „ Provinciarum ſarta tecta ſervarent, neque ullum in Ordinem Sena„ torium legerent, niſi indigenam & in Belgio natum. Generales Or„ dines viciſſim ſanctè pollicerentur, ſe ubique locorum Catholicam, „ Apoſtolicam & Romanam Religionem, majorum cultu ſancitam „ ſervaturos, omnemque obſervantiam & obſequium Regi exhibi„ turos, fœdus inſuper ſociis renunciaturos, omneſque peregrinos „ milites dimiſſuros. Deindè Philippus pacificationem ratam habuit: quâ Bruxellis, exindè Antverpiæ, aliiſque in urbibus promulgatâ, Auſtriacus ineunte Martio menſe 1577. Lovanium venit, ac ſummâ gratulatione Belgii Gubernator ſalutatus eſt.

Legati Ordinum tranſigunt cum Auſtriaco

Pacificationem Gandenſium ratam habet.

1577. Auſtriacus Lovanium venit.

Auriacus verò, & cum eo Hollandi Zelandique, ut edicto pacis ſubſcriberent, induci non potuêre; ſiquidem multa in eo carpebant, deſiderabantque ad publicam ſecuritatem addi, ut, ſi definito ab Auſtriaco tempore, Hiſpani Belgio non excedant, eorum diſceſſus apertâ vi urgeatur. Deindè, ut poſt externorum miſſionem, Auſtriacus omnia collapſa in integrum reſtituat, & de his ſibi idoneè caveri poſtulant. Interim Auſtriacus, ut pollicitis & jurejurando ſe exſolveret, decimo tertio Cal. Aprilis, in Philippi Arſchotani Reguli manus arcem Antuerpianam tradit, Hiſpanis, quamvis ægré parentibus, abire juſſis. Ut autem Hiſpanorum profectionem adurgeret Auſtriacus, neque Ordines, ob ærarii inopiam, ſexcenta florenorum millia, quæ eâ fine promiſerant, conficere poſſent, ipſe de ſuo peculio ducenta millia, ſupplevit. Sic deſinente Aprili menſe Hiſpani, Itali, aliique peregrini milites Belgio exceſsêre, deducente eos Comite Mansfeldio in Ducatum Lucemburgenſem

Miſſio Hiſpanorum è Belgio.

gensem. indè per Lotharingiam, Burgundiam, ac Sabaudiam in Italiam descenderunt.

Dimissis Hispanis, Austriacus medius inter Legatum Pontificium & Leodiensium Antistitem, ipsis Cal. Maii, Bruxellas ingreditur. Indè tormentorum displosione, & confusis, Gubernatorem salutantium & advenienti benè precantium, vocibus, ac tympanorum buccinarumque sonitu reboante passim aëre, nullum magnificentiæ, lætitiæ publicæ, oblectamentorum, ac ludorum genus non ei prolixè exhibitum. Mox quarto Non. Maii, dicto solemni Sacramento, Belgicarum Provinciarum administrationem iniit, & omnia ea, quæ Ordines privilegiorum specie ei confirmanda obtulerunt, rata habuit. Quibus ritè peractis, animum ad Reipub. curam appulit: quâ in re nihil statuebat nisi ex sententia eorum, qui Regi publico de statu Consiliarii, quique sanctioris Consilii assessores, & rei ærariæ præfecti essent. Quin etiam, cùm res postulabat, Provinciarum Rectores, Ordinesque cum adessent, consulebat; eò semper studium intendens, ut leges in pristinam dignitatem ac integritatem restitui, mores corrupti emendari, vitia expurgari, bellorum civilium, ac dissensionum semina stirpitùs evelli possent. Ità faciles ad eum aditus patebant, ut neque tempore, neque loco unquam ullo, quisquam exclusus sit. Amabat omnes, æquus erat omnibus, benignus in bonos, mitis in reos, indulgens in omnes. Cum civium tribubus tam populariter agebat, ut curialium invitatu ad epulum eorum ipse accumberet, cum eo tamen temperamento, ut nihil gravitati facilitas, nihil Majestati humanitas detraheret. At qui rebus novis gaudebant, hanc ejus lenitatem comitatemque in deterius interpretabantur, ignemque doloso sub cinere latentem dictitabant aliquando foras ereptarum in Belgarum perniciem. Spargebant quoque in vulgus, literas tunc temporis à Rege Navarræo in Galliis interceptas, quibus Austriacus & Escovedus Philippum Regem ad Bellum in Belgio movendum incitabant, rationibus etiam belli gerendi adjunctis, ut nimirum Insulæ primò invaderentur, captis & adempto maritimo commercio, cæteræ urbes in continenti sitæ, facilè sub jugum mitterentur. Ad id expediendum commodum videri, ut specie auxilii Regi Galliæ ad bellum contra Protestantes gerendi, Hispani & Itali milites in Gallia sisterentur, ut indè in omnem occasionem citiùs in Belgium evocari possent. Has literas Navarrus ad Auriacum miserat, qui mox easdem ad Ordines perferendas curavit, monuitque, ut consilium rebus suis utile caperent; & si se ab Austriaco securos vellent, eum in sua potestate fideliter detentum, asservarent.

Auriacus Bruxellæ excipitur & Belgii præfecturam capessit.

Austriaci ad Belgorū animos conciliā-dos studia.

Confœderatorum querela.

Austriaci literæ ad Regem interceptæ.

Austriaci ab Ordinibus postulata.

Intereà Austriacus Ordinibus instat, ut potestatem conditionibus coërcitam amplient; ut sibi tuendo, tale adhibeatur præsidium, quale in pacificatione Gandavensi Gubernatori decernitur; ut dies comitiales anticipentur, in quibus ea quæ pertinent ad Religionem, odedientiam Regi debitam, tributorum laxationem, publicum ditionis statum, discuterentur. Quo fine ad Auriacum legatio decreta, arma poneret, munitiones recèns erectas dirueret, pacisque pacta promulgaret. Respondet Auriacus, se, neque suos in fœderis Marchiani capita consensisse, evertendas primùm arces contra Patriæ leges erectas, & Germanos in visceribus adhuc hærentes, sacramento liberandos. His initiis odia, suspiciones, diffidentia & simultates inter Austriacum & Auriacum creverunt, quibus effectum est, ut Austriaco plurimum de sua apud populum gratia & auctoritate decederet, ac mobile ad nova quævis vulgus in suspicionem vocaretur, eum sub mantelo pacis, bella crudelia occulere.

Ad Auriacũ legatio.

Ejus responsum.

Decrescit Belgarũ studium ergà Austriacum.

Quin & nonnulli è Bruxellensibus seditiosiores, eo die, quo è Basilica anniversarias dedicationis pompas spectabat, in stipatores ejus impetum fecerunt. Circumferebantur & passim belli seditiosi & famosa carmina, quibus nomen ejus & facta fœdissimè proscindebant. Quare perfugium aliquod circumspectare cœpit. Placuit Namurci arx, firma & valida, & ab hostili tuta periculo. Nonis igitur Junii Bruxellâ Mechliniam digreditur, specie dirimendæ contentionis, inter legiones Germanicas & Ordinum Quæstores super residuo æris militaris, exortæ: ubi dum rursus securitatem non reperiret, indè secedere animo designavit; occasionemque quærenti commodum incidit adventus Margaretæ Galliarum Regis sororis & Navarri uxoris, quæ ad Spadanos fontes in Eburonum regione proficiscens, iter per Belgium factura erat. Igitur Mechliniâ magno Nobilium comitatu profectus, Margaretam in limite perhonorificè excepit, abeuntemque prosecutus, Namurcum venit, ubi dies paucos moratus, nono Cal. Aug. urbe egreditur, quasi venatui daturus operam, dùmque arcem urbi imminentem, obequitat, à Barlamontii filiis, qui ex condicto, stabant in porta, rogatus, an non etiam arcem introspicere vellet, quibus ille annuens, eam cum comitatu suo subiit, & occupavit. Postridie compositis ad Ordinum Senatum literis, facti rationem exposuit, questusque de injuria contumeliaque sibi fuisque illata, deque structis sibi insidiis, in eam se arcem contulisse affirmat, ut securitati suæ consuleret, cæterùm sibi deliberatum ac fixum esse, pacem Marchianam religiosè servare, modò ipsi Ordines à pactionibus non discedant. Ordines per Delegatos suos intempestivam hanc arcis Namurcensis occupationem queruntur: inanes de structis insidiis

Austriacus Bruxellâ abscedit Mechliniam.

Indè Namurcum contendit & arcem occupat.

Austriaci ad Ordines litera.

Horum litera ad Austriacum.

metus ac suspiciones uti deponat, rogant, ac Bruxellas reverso, polliceantur, insidiarum reos inquisituros, ac insuper ad majorem securitatem sui, prætorianorum cohortem adaucturos. Negabat Austriacus rediturum se, donec cives arma ponerent, Aldegundius ac Teronius, quos ad se circumveniendum & opprimendum missos ab Auriaco constabat, Bruxellis subsisterent, donec ipsi Ordines, renuntiatâ Auriaco amicitiâ, illum, æqua postulata recusantem seriò non cogerent Gandavensi fœderi, edictoque Marchiano obtemperare Hæ & similes querimoniæ ultrò citròque jactabantur, quæ variis literis expressæ & prelo descriptæ sunt.

Austriaci responsum.

Interim Austriacus obscurè moliebatur, ut arx Antverpiana in manibus suis esset; Quæ molimina ubi patefacta sunt, Ordines in suæ potestatis eam fecerunt Paulò post Champignius, Ordinum mandato, arcem Woudanam occupat: Montes ad Zomam certis conditionibus ad deditionem compellit; indè Steenbergam in suam fidem recipit, uti & Insulam oppidumque Tholense. Deindè Sylvam-ducis leges accipere cogit, Bredam sub jugum mittit. Nihilosecius nihil non agebat Austriacus, quò icta fœdera, & universæ & singulæ pacis conditiones integrè servarentur, Religio Catholica Sanctè coleretur, & debita Regi suo obedientia maneret. Verùm Ordines tam sancto proposito intercedebant, & ad extremum iniquas & indecoras postulationes proponebant, harum argumentum erat: ut omnes domesticos & Consiliarios Ordinibus suspectos à se removeret. Ut oppidum & arcem Namurcensem, Carolomontium, Marieburgum, aliasque arces Ordinibus restitueret. Similiter & totum Ducatum Lucemburgensem. Ut omnia præsidia Germanorum ex urbibus & locis munitioribus deduceret, Ordinibusque in manum traderet, donec Rex alium Principem regii sanguinis, Belgicis Provinciis gratiorem, cum potestate imperioque proregis præficiat. Quod si reputet Belgio expedire, ut citius discedat, administrationem Concilio Status tradat, cui omnes parere cupiant. Rogant insuper ne se ulterius inutili scriptorum concertatione oneret, se intereà oppressis ab eo suppetias ferre decrevisse. Exindè arces ac munitiones ubique diruebantur. Antverpiæ arx in manus civium consignatur, qui summâ cum lætitiâ propugnacula duo in urbem projecta everterunt. Horum exemplum mox secuti sunt Gandavenses, indè Ultrajectenses, Insulani, Valencenenses, Tantum servatæ Tornaci & Cameraci arces. Mox Auriacum Bruxellas accersitum, Ruarti, sive conservatoris Brabantiæ titulo, eundem ornârunt, revocato in usum veteri vocabulo, quo affici illi solent, qui periclitante Repub. ad eam suffulciendum

Ordines urbes & arces in suam potestatem redigunt.

Ordinum ab Austriaco postulata.

Arces in Belgio dirutæ.

Auriacus dictus Ruartus Brabantiæ.

 evo-

evocantur. Quâ re magnam cæterorum procerum invidiam concivit, quasi ad summam Belgii præfecturam contenderet.

Coëgerant jam Ordines non contemnendas militum copias, & ad Waveram quarto à Namurco lapide castra posuerant, ut indè Namurcum ducerent. Austriacus cum procellam majorem opinione in dies præsagiret, omnemque reconciliationis spem præcisam videret, relicto Namurci valido præsidio, ipse exiguo cum comitatu Lucemburgum profectus est.

Austriacus Lucemburgum proficiscitur.

Proceres Auriaci æmuli de alio Gubernatore deliberant.

Post exceptum magnificentissimo culto Principem Auriacum, fremebant indignatione Belgarum Proceres, Auriaco vastæ & immodicæ ambitionis, Sectariisque applicito, qui paulò ante patriæ libertatis oppressor renuntiatus fuerat, nunc ejusdem vindicis & defensoris titulum delatum, se levi pretio habitos. Itaque, ut ejus ambitum opprimerent, auctoritatemque infringerent, rem novam comminiscuntur, & de alio Gubernatore, qui regii sanguinis esset, deliberare cœperunt. Decretum igitur, ut Matthias, Archidux Austriæ, Cæsaris Rudolphi frater, & Regis Philippi è sorore nepos, clàm acciretur, qui toti Belgio summo cum imperio præesset. Auriaco itaque hujus consilii ignaro, Maelstedium in Austriam ad Matthiam Oratorem mittunt, qui verborum illecebris & rationum momentis tam peritè rem confecit, ut Archidux clàm noctu, Viennâ se proripuerit, & decursâ citis equis Germaniâ, cum exiguo comitatu Coloniam & indè Liram in Brabantiam sub medium Octob. pervenerit, ibique aliquantisper moratus, tertio Id. Novembris Antverpiam ingressus, læto gentis plausu & insigni pompâ exceptus est, mox Bruxellis supremus Belgii Gubernator, magnâ omnium Ordinum gratulatione salutatus; hâc inter cæteras lege:

Ad Matthiã Archiducem legationem decernunt.

Liram venit.

„Ut nihil ipse inconsulto Ordinum consilio, sive ad bellum, sive „ad pacem pertineat, moliatur. In rebus magni ponderis & mo„menti, ut sunt populi tributa, mutui acceptio, æs alienum, bel„lum suscipere, pacem & inducias pangere, fœdera icere, nihil „statuat absque solemni Universorum Ordinum assensu, juxta ve„tera privilegia receptos Provinciæ mores. Ut insciis Ordinibus „generalibus, nulla Edicta, aut novas constitutiones condat. Ad „summam, ne agam de singulis, nihil decernat iis in rebus, in „quibus princeps, tanquam Dux Brabantiæ, tenetur Ordinum „sententias rogare. Et quamvis haberet à natura dotes ad regnandum eximias, sublimes spiritus & cujusvis capaces oneris, ingenium perspicax vividumque, tenacem memoriam: attamen, quia vicesimum ætatis annum vix absolverat, & viro Gubernatore tùm maxi-

Matthias Archidux Gubernator Belgii salutatur.

Conditiones quibus præfectura ei delata.

mè

mè Belgium indigeret, ipseque militiam nunquam tractasset, nunquam Rempub. administrasset: visum fuit Ordinibus Auriacum Archiducis Legatum, seu Vicarium, & instructorum dicere.

His confectis, Catholici & Sectarii se ad mutuum patrocinium, datâ fide, obligant, neutros passuros, ut alteris molestia, aut injuria fiat, aut libertates & patriæ privilegia ulla ex parte labefactentur. Id actum Bruxellis IV. Id. Decembris. Deindè annitente Auriaco, Austriacus tanquàm violatâ pace, hostis declaratur, ejusque sectatores ad causam dicendam intra dies XV. citantur, & contumaces pariter tanquâm patriæ hostes proscribuntur. *Auriacus Archiducis Vicarius. Nova Ordinum unio. Austriacus hostis declaratur.*

Quo decreto Austriacus exacerbatus, arma parat; mox simul libellis, ac scriptis testatur Deum maximum superosque Cœlites, eum unum armorum & votorum scopum esse, ac finem, ut per ea Religio Catholica Romana servetur, ac populi suo legitimo Principi obsequantur. Ad eum ex Italia jam venerat Alexander Farnesius, Octavi Parmensium Ducis & Margaretæ Austriæ filius, cum veteranis Hispanorum & Italorum Legionibus. Carolus quoque Mansfeldius magnas Gallorum copias adduxerat. Et numeratis Burgundionum & Germanorum delectibus, sedecim peditum millia & duo millia equitum conficiebat. His copiis fretus, in agrum Namurcensem ducit & in hostem progreditur, qui ad D. Martinni Fanum, haud procul Namurco, castra habebat, atque à pugna abhorrens, statuerat se Gemblacum in asylum recipere. Itoque succensis castris, Ordinum exercitus, dubiâ adhuc luce, instructo agmine iter accelerat, festinatque jam fugæ propior. Instat Octavius Gonzaga ferox properantibus, agmenque postremum suis armis carpit, levi tamen clade, donec ad declivem semitam cœno & aquis inaccessam perventum est. Ibi loci angustiis frequentem transitum prohibentibus, conseritur prælium pridie Cal. Feb. cùm annus ageretur 1578. Eo in prælio Alexandri Farnesii virtus enituit, qui auditâ dimicatione, cum trecentis equitibus rapitur in pugnam, adversus equites octingentos, & irruptione subitâ, per cæsorum sanguinem, per cadaverum cumulos, equitibus quos ducebat, & pugnandi & vincendi artem ostendit. Cæsa eo die, ut constans fama tradit, hostium decem millia, capta equitum signa quatuor, peditum septuaginta, tormenta bellica sex. Pervenère ad victoris potestatem præter copiosum commeatum atque impedimenta, Guignius totius exercitus Dux, Præfecti, seu Centuriones triginta, & hominum capita circiter sexcenta. Ex Austriacis tantum decem desiderati sunt. Postridie Austriaco deditionem imperanti, Gemblacum patuit, *1578. Hispani & Itali in Belgium redeunt ductore Alexandro Farnesio. Exercitus Ordinū stratus. Gemblacum deditur.*

templi

templi olim ſanctitate & bibliothecæ nobilitate, nunc etiam hoſtium cæde memorandum, quod Lamberti Gemblacenſis Comitis & Abbatis apud Alexandrum Principem deprecantis operâ, à direptione & injuriâ immune ſtetit.

Pugnam conſequuta. Vix ulla victoria tantum fructum tam brevi collegit. Poſtquàm audita eſt Bruxellis clades, Archidux Matthias cum Auriaco Antuerpiam, traducto illuc Senatu, conceſſit. Auſtriacus uno victoriæ curſu, Bovinam, Lovanium, Arſchotum, Dieſtemum, Thenas & Levacum in fidem recipit. Mox ad Zichemium admotus exercitus, tormentis verberat, atque Hiſpanis ac Walonibus per ruinam muri ſcandentibus vi capit, cæſis præſidiariis, feminarum pudori parcitum eſt. Exindè Carolus Mansfeldius Nivellam aggreditur, & admotus octo muralibus machinis, cùm ingens ruina edita eſſet, poſt quatuor impreſſiones fortiter repulſas, cum nulla auxiliorum ſpes affulgeret, tandem honeſtis conditionibus fit deditio. Mox Reuxia & Gogneſia deditæ, quarum exemplum & Bincium, Bellomontium, Vallicurtium, Malabogium ſtatim ſecutum eſt. Tentatum dein, ſed fruſtrà, Trajectum-ad-Moſam.

Amſtelrodamenſes in partes Auriaci venere. Hactenus Amſtelrodamenſes in fide Regis perſtiterant. Verùm cum aliquandiu ab Auriaco obſeſſi fuiſſent & jam gravi omnium rerum penuriâ premerentur, omneſque aditus terrâ mariquе interclusi eſſent, nec ſpes ulla ſolvendæ obſidionis affulgeret, tandem cogente neceſſitate, ſexto Id. Febr. in partes Ordinum tranſierunt, pacti deditionis leges Religioni & ſibi commodas & optatas, ſi apud illos fides integritaſque ſalva manſiſſet. Ità nobiliſſimum illud emporium Nonis Feb. in ſuam poteſtatem aſſeruerunt, & dein mutato rerum cardine, exauctoratoque Magiſtratu, Rempub. invasêre, intromiſſis ad præſidia militibus, qui templa, cœnobia expilarunt, aras everterunt, ſacras veſtes diripuerunt, imagines pictas fictaſque diſtraxerunt: Et qui Magiſtratu abdicati, ad hæc Eccleſiaſtici, *Deditiones leges non ſervata.* Religioſi, Paſtores, ac denique omnes qui Religionem Romanam profitebantur, Civitate exire juſſi. Eo modo violata fœdera, quibus religionis libertas conceſſa & approbata Ordinum ſigillo. Exemplum illud, militibus qui Harlemi erant, ſtimulos ſubdidit, ſimilia patrandi, & ſucceſſum habuit ſatis funeſtum, ibi Catholici ipſo Venerabilis Sacramenti Feſto malè multati in altaria & ſimulacra impiè ſævitum, auguſtum alabaſtrum Chriſti corporis terræ illiſum, & pedibus conculcatum.

Propoſita nova jurisjurandi formula. Sub idem tempus ab Ordinum Senatu compoſita nova jurisjurandi formula, quâ ſacer juxtà ac profanus Ordo pollicerentur, ſe cum hoſte

hoſte nulla communicaturos conſilia; pro concione nihil dicturos, quo exiſtimationi, & auctoritati Archiducis, Auriaci, aut Ordinum aliquid derogetur, cum Joanne autem Auſtriaco, uti cum hoſte acturos. Quod juramentum dum Franciſcanis & PP. Societatis Jeſu, qui Antverpiæ habitabant propoſitum eſſet, jurare noluerunt, ne fidem Pontifici Romano obſtrictam, fallerent. Cumque in propoſito præfractè perſeverarent, tandem ipſo Pentecoſtes die, urbe ſunt exacti, & navigiis impoſiti Mechliniam, atque indè Lovanium profecti. Secundum hæc Ordines ſeverè prohibent, ne annuus reditus vacantis beneficii Eccleſiaſtici, Pontifici dependatur, ſed in ærarium inferatur. Decimo Cal. Julii, Sectarii qui numero per ſingulas urbes admodum increverant porrecto Archiduci & Ordinibus libello ſupplici, petiverunt, ut libera eſſet ubique in Belgio ſuæ religionis facultas. Quod ubi impetrarunt, auguſtiora paſſim ſibi templa vendicarunt. Et Autverpiæ quidem primarium B. Mariæ Virginis, B. Andreæ, Jeſuitarum, Franciſcanorum, Dominicanorum, reſervatis ad uſum Catholicorum choris. Ita hæreſis ſanciebatur Archiducis, Ordinumque auctoritate, & templa templis, aræ altaribus, veritati mendacium, æquâ propemodum lance, opponebantur.

Prohibent Ordines annuum Sacerdotiorum vectigal Romam mitti.

Libertas religionis in Belgio conceſſa.

Dum licentiam ſuam inſolenter promovent Sectarii, Auſtriacus Philippopolim ſitu operâque validam, ad deditionem compulit. Paulò poſt cum valetudinis causâ Namurcum conceſſiſſet, Alexander Farneſius, ejus Vicarius, in Limburgenſem agrum ducit, & ad Limburgum copias admovet, tum novem tormentis ingentibus muros diverberat, poſtquam partem muri proſtravit, ſtatim, quâ patebat labes, aggreſſionem inſtituit. Eo defenſores perterriti, urbem atque arcem dedunt. Milites omnes, circiter mille, novo adacti ſacramento, tranſiêre ad Regis caſtra. Exindè Falcoburgum à Farneſio receptum, Daelhemum vi expugnatum. Quæ res maximam regionis Trans-moſanæ partem in Regis ditionem redegit.

Philippopolis deditur.

Limburgum deditur.

Daelhemum expugnatur.

Dum hæc à Farneſio geruntur, omniaque ex ſententia fluunt, Ordines habito Senatu, magnos in Germania militum delectus inſtituunt. Contracta demum undecim equitum millia, peditum verò quinque millia, hiſque, cum in Brabantiam venerunt, ſe junxerunt Hollandorum, Anglorum & Scotorum aliquot centuriæ: Dein munitis ad Rimenantam, haud procul Mechlinia, caſtris, conſederunt. Hæc inter Dux Alenſonius, Henrici III. Galliarum Regis frater, auditâ exercitus Ordinum ad Gemblacum ſtrage, ultrò Ordinibus auxilium & operam detulit. Hâc re in Senatu agitatâ,

Ordinũ copia.

Alenſonius primò in Belgium.

Oratores,

Conditiones fœderis cum eo icti. „ Oratores ad eum mittunt, quibus comiter ecceptis, benigneque „ auditis, pepigêre tandem, ut Dux adversus Joannem Austriacum & „ Hispanos patrocinio Belgii suscepto, Defensor Belgicæ libertatis ab „ Ordinibus promulgaretur; decem peditum millia, & duo millia „ equitum suis sumptibus per trimestre proximum suppeditaret: Si „ intereà temporis bellum confectum non fuerit, tria peditum mil„ lia, & quingentos equites tantum sufficere teneretur. Erant & aliæ conditiones perplures, eæque amplissimæ, quibus Archiducis auctoritas impendiò frangebatur. His confectis, Alensonius paratis aliquot copiis in Hannoniam bellum infert, Bintzium circumsidet, convectisque sedecim tormentis æneis, diebus quatuordecim *Regreditur in Franciã.* concussis mœnibus, oppidanos ad deditionem cogit. Quorum exemplum Maubugenses quoque secuti sunt. Sed ortâ ipsum inter & Casimirum Palatinum Rheni æmulatione, aliquantò post in Franciam regreditur, tentaturus posteà expeditionem alteram, eventu neutiquam meliore.

Austriacus Ducum suorum sententias exquirit. Dum ad Rimenantam sedet exercitus Ordinum, Austriacus accersitis ad se Ducibus, quid potissimum agendum censeant, sciscitatur. Pars potior totam belli molem in hostem vertendam differebat, at Farnesius hanc sententiam, uti temerariam, repudiabat. In *Consilium de invadendo hoste.* hac opinionum dissensione, prior sententia invadendi Ordinum castra prævaluit. Igitur decretâ jam pugnâ, ac traducto per Areschoti pontem exercitu, secundis castris in hostium conspectum venit, contemplatusque munitiones, aciem instruit, sublimi conspicuus equo. Numerabat in exercitu duodecim millia peditum, & quinqne equitum. Ordinum exercitui moderabatur Maximilianus Henninius, Bossuvii Comes, vir militarium rerum peritiâ clarus. Habebat sub signis duodecim peditum millia, & circiter septem millia equitum, par robur par militum audacia. Utrimque Imperatores rem egregiè curabant, ipsi suos quisque hortabantur. Et jam signa canere incipiebant. Erat medio utriusque exercitûs vasta planities, in qua Austriacus copias explicat. Alphonso Leva assignati sunt sclopetarii octingenti, qui tramitem inter hostium munitiones & sylvam insideret. Simul Marchioni à Monte imperatum, cum tribus equitum turmis Levæ Cohortes *Austriacus Ordinũ exercitum invadit.* à tergo fulcire. Comes Bossuvius jubet Joannem Noricium Anglorum Tribunum, hostium conatibus se objicere. Itaque inter Hispanos Anglosque velitatio & pugnæ prolusio instituta. Strenuè utrimque pro gloria, pro salute pugnatur, donec ad Anglorum auxilium, quoniam hi plures cadebant, inferenti se Egmontio Comiti, cum de-

lectis

lectis equitum turmis, illicò Montinius cum equitatu suo in eum invehitur. Pugnatur utrimque obstinatissimis animis, integris fessis succedentibus. Et jam res in universi exercitus certamen spectare videbatur, hoste copias promovente, Regiis non solum non detrectantibus pugnam, sed ultrò etiam ad conferendas manus provocantibus. Quare utrimque Duces acies instruunt, suos militari oratione in prælium accendunt. Editur pugna atrox, fortibus utrimque animis decertata, vulnera cædesque promiscuæ, modò hi modò illi aut pellere aut pelli, sauciare aut sauciari. Ipse Austriacus in media versari acie, milites cohortari, vulneratos ex acie subducere, recentes fessis, sauciis integros summittere, addere suis animum, in hostem strenuum quemque immittere, sæpè ante suorum ora volitare, nihil remissum agi sinere. Aliâ parte Alexander Farnesius summâ diligentiâ curare omnia, quocumque casus vocasset, illic adesse, plura simul prospicere, periculis occurrere, prehensare alios, alios hortari voce, vultu, manibus, ac nunc ante suorum ora ferri, nunc gladio hostem petere, peditem immittere. Nec verò Duces adversarum partium non & ipsi ferire, cædere, in hostem incurrere, milites impellere. Hoc prælio videri potuit, si quando aliàs, fortunam ipsam belli Dominam mediam se statuisse inter utramque aciem, nunc his, nunc illis victoriam offerentem, nec pati eo die acie decerni, utrius exercitus milites, utrius partis Duces, aut fortiùs rem gererent, aut majore animo consilioque administrarent; quippe vix quadringentis utrimque desideratis, æquatâ propemodùm jacturâ, à pugna cessatum est, nisi quod ex Regiis plures sauciati captique. Indè Austriacus in agrum Namurcensem regreditur, Ordinumque copiæ Arschotum occupant, diripiunt, incendunt. *Confertur pugna atrox*

Sub id novi motus Gandavi exorti sunt ab iis, qui alteram à majorum religione doctrinam profitebantur: Hi odio Religionis in omnem intemperiem effusi, nullo non contumeliæ ac sævitiæ genere in sacrum Ordinem ac cæteros Catholicos debacchati sunt, ac gliscente licentiâ bellum statuis, imaginibus, templis indixerunt: Ecclesiasticos & Regiis partibus addictos urbe exegerunt, eorum bona hastæ subjecerunt, pecuniarum collationes, in communis belli sumptus ab Ordinibus imperatas, erogare recusarunt. Exin Joannem Embisium, quem causæ suæ favere noverant, cum summo imperio urbi præficiunt, Magistratum novum ex suæ factionis hominibus, Catholico abrogato, legunt, militem scribunt, urbem vallo, fossâ & propugnaculis muniunt, ex ære campano è turribus templorum ablato, ingentem tormentorum copiam conflant. Dein ea lues instar incendii longinqua per proxima rapiens, se effudit in Brugenses, *Gandavenses tumultuantur, & Calvinismũ amplectũtur.*

Iprenses Teneræmondanos, Aldenardenses, Alostenses, aliasque minores Flandriæ urbes. Nobiles Hannoniæ & Arthesiæ, quorum ope & consilio pax Gandavensis maximè coäluerat, nefarii sceleris indignitate concussi, cùm viderent Religionem Catholicam proteri & conculcari, Regem contemni, Catholicos à muneribus publicis moveri, Hæreticos substitui, omneque imperium auctoritatemque Auriaco deferri, & ipsi collationes pecuniarum ab Ordinibus in communem rem indictas, privatæ tutelæ seponunt, copiasque cogunt, & hæc factio vulgò Male-contentorum dicta est, quòd neque Regis, neque Ordinum administratio Reipub. ipsis faceret satis. Quare perductis in suas partes Montignii, Hesii, Egmondani, Caprii, Boursii aliorumque Chiliarcharum legionibus, multæ quotidie velitationes, leviaque prœlia inter Gandavenses & Male-contentos conserebantur, in quibus hi, tanquàm veterani, victoriam plerumque referebant. Mox exeunte mense Septembri, Meninas ad Lisam fluvium in finibus Cortracensium interceperunt, communierunt, & belli quod genere meditabantur, sedem constituerunt, bellam deindè, Poperingam & alios pagos occupârunt. Quorum progressus & excursiones ut Gandavenses coërcerent, Casimirum Palatinum evocârunt, qui ut militibus suis æra procederent, confestim advolavit & Gandavi læto populi plausu sexto Id. Octobris exceptus, centum septuaginta aureorum millibus donatus est, cujus adventu Male-contentorum excursiones non nihil repressæ sunt. Nec multò post Joannes Austriacus D. Caroli Quinti Imperatoris filius febre correptus, eâque lentè depastus, cùm delibaret ætatis annum à tricesimo tertiû, debitum naturæ persolvit Cal. Octob. in flore ætatis, quam animi ægritudines præcipitaverunt. Mortalitatis admonitus, ad exitum vitæ ritu Christiano se comparavit, & depositis noxis, ac Sacramentis expiatus, Alexandrum Farnesium, ex sorore Margareta nepotem, quem ipse exploraverat, Belgii Gubernatorem armorumque Præfectum, quoad Regi videretur, dixit. Princeps ut formâ, sic moribus suavissimis, rarâ indole, fortitudine imperterritâ in adeundis periculis, in ferendis adversis invictâ magnanimitate, prudentiâ, & militari peritiâ summus vera, fortissimi Caroli V. Imperatoris Soboles, paternæ virtutis æmulus, Turcarum victor, Maurorum triumphator, Catholicorum propugnator, eximiâ laude nomen suum consignavit. Plures in morbo variant, Famiano ego assentior, cum ex rerum improsperè succedentum tædio, ex mœrore contabuisse. Funus mortuo summâ magnificentiâ factum ab Alexandro Farnesio, & cadaver eductis visceribus conditum aromatibus in æde primaria;

Factio Male-contentorum.

Obitus Ioannis Austriaci, ejusque virtutes & laudes

maria Namurci depositum, conditisque ibi visceribus, dein in Hispaniam asportatum & in Escuriali juxtà patrem Carolum V. Imperatorem conditorio illatum est.

Post fata Joannis Austriaci non fuit Regi diu aut multùm deliberandum quin Alexandrum Farnesium, Octavii filium, Petri nepotem, Pauli III. Pont. Max. pronepotem, Parmæ & Placentiæ Ducem, verè sui sæculi Alexandrum, publicis rebus præficeret, quem ipse jam diu animo destinârat. Nec ignorabat prudentissimus Rex quale & quam inusitatum specimen dedisset Imperatoris per ipsos quatuordecim annos, factus avunculo consiliorum conscius, periculorum particeps, muneris amplissimi consors. Rex igitur Farnesium Gubernatorem totius Belgii & Regii exercitus Imperatorem, amplissimis verbis & clarissimâ amoris significatione suo diplomate, dicit. Cùm Imperium inivit, res Hispanorum in angusto versabantur, quippè è septendecim Belgii Provinciis, dumtaxat duas, Luxemburgû, Namurcumque, & unam prætereà urbem Ruremondam Joannes Austriacus moriens Farnesio reliquit, neque hæc tamen satis in tuto: quippe Alençonius cum Gallis, & acerrimus ille hæreticorum propugnatòr Joannes Casimirus cum Germanis, omnia ferè infesta habebant. In hanc tantam conversionem rerum, aut eversionem potiùs inciderat Farnesii præfectura, sed ex cœca illa temporum tempestate, virtus ejus apparuit illustrior, & plurimum accessit laudum ex multitudine terrorum. Igitur cùm nondum ab Avunculi obitu luctu abstersisset; nondum sese à mœrore aliquantum recreasset, ratus plurimum in ipsis initiis ad famam momenti esse, quibus ad utramque partem ferè homines impelluntur, ex Sequanis Germanisque quinque & viginti millium, & septem millium equitum exercitum explevit. His fretis viribus, etsi nequaquàm par hosti, qui duplo majores copias recensebat, Carpenani qnarto post obsidionem die capit: Herculanum non exspectatâ aggressione, deditionem facit. Indè Stralam & Wertam ad obsequium reducit: Gallo-Belgicas Provincias & Male-contentos Regi reconciliat: copias Joannis Casimiri, quas multas easque validas habebat, eò angustiarum compulit, ut cum neque progredi ad pugnam auderent, elabi verò sine clade non possent, non nisi acceptis conditionibus in Germaniam dimissæ sunt. Dein quarto Idus Martii 1579 Trajectum-ad-Mosam exercitu undique cinxit. Trajectum urbs est ampla, frequens, situ commoda & amœna, perluiturque Mosâ amne, qui alveo lato & profundo eam bifariam dispescit, in ulteriorem & citeriorem. Citima urbis regio, quæ Brabantiam spectat, Trajectum

Alexander Farnesius Belgii Gubernator.

Status Belgii cum gubernaculo suscepit.

1579. Exercitum coegit.

Trajectum ad Mosam obsidet.

Situs urbis.

 appel-

appellatur; illa verò Aquisgranum versus Wyca nuncupatur. Utráque ponte lapideo splendidi admodùm operis, decem pilarum intergerinis fornicatis, coït, magno incolarum commodo. De hoc ponte Tacitus lib. vigesimo Hist. Augustæ, mentionem facit, his verbis: Quo minùs ultrà pergeret Claudius Labeo, Bethasiarum Tongrorumque & Nerviorum tumultuariâ manu restitit, fretus loco, quia pontem Mosæ fluminis anteceperat. Hunc verò pontem ab Augusto, vel Tiberio sublicibus hoc loco constructum ex Strabone conjecturam facio, cujus hæc sunt verba: Post Mediomatrices autem, atque Tribochos, Tongri juxtà Rhenum habitant, apud quos Romani nunc pontem ædificant contra Germanos belligerantes. Crevit loco celebritas à Divi Servatii, urbis Tutelaris, sanctimonia & obitu, de quo inquit Joannes Placentius Trudonensis Dominicanus in suo catalogo AntistitumTongarorum: ejus genus proximè ad Christum pertingere compertissimum habuisse sæcula priora. Nam sorores erant Germanæ Anna & Hesmeria. Anna enixa est Mariam Christiparam. Hesmeria Elisabetham Ioannis Baptistæ matrem, & Filium Heliud. Is genuit Emin: rursus iste ex Nemelia præclaræ indolis sobolem Divum Servatium anno Salutis trigesimo, Imperii Tiberii anno sexto decimo, assumptus verò in Tongrorum Antistitem anno ætatis nonagesimo septimo, Pontificatûs Silvestri anno tertio decimo, Imperii Constantini magni anno decimo nono. Videtur quoque idem innuere Sigebertus in Chronico ad annum 399. in verbis: Servatius quoque decimus Tongrensis Episcopus, Domini nostri Jesu Christi consanguineus non solùm ex eo, quod voluntatem Dei Patris faciebat; sed etiam, secundùm carnem. Qui natus quidem in Persidé filius fuit Eminiu, cujus Pater fuit Heliud frater Elisabeth, quæ peperit Ioannem Baptistam. Mater vero Heliud & Elisabeth, Hesmeria, soror fuit Annæ, quæ genuit Mariam matrem Domini. Præfuit annis circiter centum septuaginta sex. Obiit anno ætatis suæ trecentesimo septuagesimo tertio. Floruit sub viris Apostolicis Melchiade, Silvestro I. Marco, Julio, Liberio, Fælice secundo & Damaso: Imperantibus, Constantino magno, Constante, Juliano Apostatâ, Joviniano, Valentiniano, Valente & Theodosio Magno. Equidem si hæreant hic curiosi, obtendantque non esse verisimile cum tertiam explevisse hominum ætatem; meminerint ii singula ad amussim olim discussa in Concilio Moguntino, cum de his sigillatim quæstionem movisset Romanorum Imperator Henricus II. Ibi tum etiam decreto Leonis Pontificis Max. omnis scrupulus ea de re-

Celebritas eius à S. Servatio.

Ejus Genus

Ætas & obitus

re exemptus est. Tametsi ipsum vitæ institutum sanctitasque cum Christo conformis eos coarguere posset. Et ne multus sim; quicumque impetrabat manuum ejus salutarem contactum, hoc ipso incolumem se sentiebat. Quare Porus, Comes Lovaniensis, olenti narium polypo miserè afflictus, Antistitē appellare cœpit, quem ille protinus sanum demisit. Comes verò ut acceptæ gratiæ, venturis temporibus aliquod exstaret testimonium, dimidium civitatis Trajectensis divo Servatio assignavit, quod huc usque Pontifices Leodienses, successione hæreditaria, retinent. Ex his, ac opportuno loci situ, urbs sensim cepit incrementa, incolarum frequentiâ propagata, mœnibus & munitionibus firmata. Præerat urbi, cum primùm obsideretur Swartzenburgius Herlensis, cui additus vicarius Sebastianus Tapinus Lotharingus, vir impiger & rei militaris peritus. Propugnabant urbem mille ac ducenti selectissimi milites Galli partim & Walones, partim Angli & Scoti, præter totidem cives, qui militares operas inter milites forti animo obibant, & magna agrestium manus, qui sese eò contulerant, conatibusque hostium fortiter obsistebant. Adjecit quoque Tapinus animum muniendæ Urbi, ita ut siquid vetere in muro vitii, aut ineptæ defensionis foret, ea omnia ex disciplina bellicorum operum emendarentur. Portis insuper nova propugnacula imposuit & magno operarum ardore, quæ opus faciebant, urbem egregiè communivit. Farnesius extemplò aditus quosque, qui in urbem ferebant, præsepsit, & contractis undique navigiis, Mosam gemino ponte consterni jussit; altero supra Trajectum, altero infra, traditaque Christophoro Mondragonio parte exercitus, eam traducere in ulteriorem ripam, atque Wicam circumsedere imperavit. Ipse, quâ parte Trajectum Brabantiæ obversum est, munimenta quatuor erexit, ad S. Petri montem, quà in urbem tendit rivus Jecora: alterum in tumulo adversus Tongrensem portam: tertium contra S. Servatii propugnaculum: ultimum in depressiore urbis regione ad cœnobium equitum Teutonicorum, eaque milite & omni instructu munivit, atque ità obsessâ utrimque urbe, quadraginta sex tormentis muralibus murum quatere adortus est, & à curiosis observatum fuit, sexies mille ictus biduo displosos, instituitque geminam oppugnationem, alteram ad portam Tongrensem, alteram ad portam Buscoducensem, ut obsessorum vires divideret & in plures partes distraheret; neque interim cessabat cuniculos agere, ut murorum fundamenta exscinderet, vel subterfossis mœnibus, per occultos specus in urbem penetraret. Jamque indesinenti tormentorum pulsatione magna muri pars decussâ & prostrata erat, regiique fasces.

Prodigiis clarus

Incrementa urbis.

Farnesius geminas oppugnationes instituit

Obsessi urbem egregiè muniunt. fasces virgultorum in fossam provolvebant, ut eâ æquatâ, facilius in ruinam evaderent. At obsessi, ad retundendam impressionem egregiè se comparaverant, & æquato civium militumque studio, valido excitato aggere, fossâque latâ ac præcipite post murum ductâ, accuratissimè communiverant. Subière tamen Hispani, Germanique, *Regii impressionem faciunt.* qui cum per ardua enitentur, obsessi densâ glandium procellâ subeuntes perfuderunt, & præter præsidiarios, feminæ, pueri, & imbellis alioqui turba, omnem quoque operam gnaviter navabat, ingentes saxorum moles è superiore loco devolvebat in oppugnantes *Obsessi fortiter repugnant.* mox telo alio ad mortem sævientes, ferventem aquam, calcem, picem in subeuntes supernè effundebat. Quo malo perterriti Regii, per ruinas præcipites acti, multis suorum amissis, & pluribus igne ambustis ac sauciatis, non tamen inulti, se receperunt: Ex hac improspera aggressione, adeò obsessis creverunt animi, ut sæpè in obsessores erumperent, sæpè non nisi victores, aut æquo marte, prælio excederent. Remissâ paululùm oppugnatione, Farnesius coâcto sæpiùs *Cuniculis res agitur* bellico Senatu, exquisitisque sententiis, decrevit urbem suffossionibus, quàm aggressionibus securiùs expugnandam. Quamobrem cunicularii ac fossores Leodio, ubi peritissimi habentur, ad tria millia acciti, qui dum cœptum opus diu noctúque pertinaciter urgent, Farnesius intereà pluribus simul locis æneis tormentis muros continentèr quassat, circumsessos assiduis prælıis distinet, crebrò lacessit, nihilq; remissum, aut quietum apud eos esse sinit. Nec verò Tapinius segniùs rem gerebat, sed frequens mœnia invisere, quatefactorum mœnium hiatus instaurare, novas substructiones munimentaq; moliri, milites adhortari, præmia polliceri, nihilque eorum negligere, quæ in *Tapinii conatus in defendenda urbe.* tali discrimine ad confirmandos animos desiderari solent. Inter alia munimenta, quibus urbem communiverant oppidani, ante portam Bruxellensem excitaverant molem terream, vallo ac præcipiti fossâ *Propugnaculum obsessorum.* præcinctam, ex qua crebrâ displosione Regios multùm infestabant, & ab mœnium accessu arcebant. Hanc ut dirueret Farnesius, propugnaculum quadrangulari formâ illi ex adverso opposuit, tandem *Contra hoc molem excitavit Farnesius.* post crebras tormentorum verberationes, suffossiones, variaque certamina Regii eâ mole potiti sunt. Deindè, actis subter ima murorum fundamenta trinis cuniculis, subditisque ignibus repentè revulsi muri funditus corruerunt, ruinaque alios oppressit ac protrivit, alios in sublime excussos, erumpentes flammæ miserabilem in modum afflixêre. Mox edito irruptionis signo, Hispani Germanique alacri animo ad labem procurrunt, obsessi fortiter repugnant, ac continuis glan *Conseritur inter invadentes & repugnantes pugna.* dium ictibus, hastarumque mucronibus subeuntes impetunt: multi vul-

vulnerantur, multi transfactis ferro lateribus, truncatis membris lacerr vitā gloriosè ponunt. Nec ideò Regii animo frangi, nec ab oppugnatione avocari, sed recentes fessis, ac sauciis integri succedentes, pugnā atrocem ac cruentā instaurant, adeò ut quamvis obsessi omnis generis tela & tormenta in subeuntes contorquerent, & ipse Tapinus fortiter repugnans, graviterque saucius, egregiè nominis famam tueretur, irrumpentium tamen vim ac impetum sustinere non poterant & loco cedere cogebantur. Primus in hostilibus mœniis Regium vexillum defigere ausus Camillus Mannellius Picente, magni animi signiter, quem propterea Farnesius Torque aureo donavit. Neque ideò fracta est obsessorum pertinacia, neque refrixit propugnatorum ardor, ii enim introrsus à muro juxtà portam Bruxellensem firmam munitionem erexerant, machinisque egregiè instruxerant, nevè ad eam penetrare possent regii, fossā alta & lata præmuniverant. Hanc obsessi cum delecta militum manu tuebantur. At Hispani, Itali, Germanique tamquam æmulatione decoris à diversis gentibus certaretur, contemptis periculis, munitionem adoriuntur, conseritur pugna varia, atrox, cruenta; oppidanis pro sua, conjugum liberorumque salute pugnantibus Regiis pro victoria, pro præda, quod eā munitione expugnatā, nihil sibi reliquum futurum ad victoriam arbitrarentur. Itaque duabus horis magnā animorum contentione, vario certamine, dubioque Marte pugnatum est: Præfectorumnè, an militum, civium, an qui stipendia facerent, virtus major fuerit, æquè ab utraque parte dubitatum. Tandem concussā ac dirutā alterā munitionis parte, Regii scalas admovent, scandentesque eā potiuntur. Neque tunc quidem cadebant animis oppidani, sed ad aggerem post munitionem relictum procurrentes, in eo subitarias munitiones certatim erigere aggressi sunt, ibi cibum, ibi somnum immoti capientes. Interim Farnesius caduceatorem ad eos misit, clementerque monuit; ut cùm subsidium nullum esset, satis multa cum & fortitudinis & invicti animi documenta dedissent, ne se caputque suum ultra extremo discrimini objicerent, tempori fortunæque cederent vitā sospite; sin minus in rebellione pertinaces perseverent, perditionis eorum se fore innoxium, seramque posteritatem casum urbis aliquando cum horrore audituram. Sed tot salutaribus monitionibus nihil actum. Quare cum per aggeris vitium, speculatores animadvertissent obsessos diurnis ac nocturnis laboribus vigiliisque exhaustos, remissiores agitare excubias, regii aggerem adoriri constituunt, ac die tertio ante Cal. Quintiles Principibus Appstolorum Petto & Paulo sacro, summo impetu in aggerē ruunt, ac partim suffossum intrāt, partim scalis

Pelluntur mœnibus obsessi.

Invadunt & expugnāt regii internā munitionem.

Ad aggerem se recipiunt obsessi.

Fecialis ab Alexandro missus obsessos ad deditionem hortatur.

Animadversum obsessos remissiores custodias agere.

Vis iis admovetur, & urbs invaditur.

ſcalis tranſcendunt. Tùm oppidani metu periculoque perterriti, huc illuc diffugere, latebras quærere, in loca religioſa ſe condere, ſenes, mulieres, impuberes flebili clamore, lamentatione, ejulatu cœlum implere. Intereà victores paſſim diſcurrẽtes, omni crudelitatis genere in obvios quoſque graſſantur, neq; ſenibus ætas decrepita, neque pueris innoxia, neque mulieribus prærogativa ſexus quicquam proderat:

In corpora primùm libidine, tum ferro ſævitũ.

pro cujuſque ira, ac libidine res geritur, virgines inceſtantur, matres nefariis ſtupris contaminantur, pueri è parentum complexu divelluntur, promiſcuus furor ferro graſſatur, pecudum inſtar cæduntur, jacentium cruore paſſim undante ſolo, diro ubique ac deformi ſpectaculo. Nuſquam tamen, quam in ponte Moſæ amni impoſito crebrior, aut dirior cædes fuit. Etenim cùm Wicam defendi poſſe crederẽt, mares mulieresque tenellis cũ liberis, quos cervicibus implicatos geſtabant, aut manu tremulâ trahebant, eò agminatim, velut unicum calamitatis effugium, confluebant. Verumtamen cùm redundantem hominum turbam pontis anguſtia non caperet, multi validiorum impulſu preſſi,

præſertim in ponte ibique obteriti

mutuâ corporum colliſione extincti ſunt; multi præcluſis faucibus præfocati; augebat horrorem interruptus pons. Veriti enim Wichenſes, ne hoſtes oppidanis immiſti irrumperent, tigna quibus pons ligneus ad extremam amnis ripam innitebatur, illicò revulſerant, ignarique

In flumen prolapſi paſſim pereunt.

qui conferti ponè urgebantur, in amnem præcipites acti, undarum vorticibus, acerbo ſpectaculo abſorbebantur. Intereà, dum Wicchenſes reſtituto ponte, cũ Mansfeldio & Gonzaga de conditionibus deditionis colloquuntur, Mondragonii ſpe prædæ illecti, in muros

Wiechenſes de deditione agunt, & interea redintegratur cædes & direptio

evadunt, portam, cæſis excubiis, effringunt, ſocios intrò accipiunt, effuſique per compita cædem & internecionem miſeris civibus inferunt. Id autem Cis-moſani conſpicati, & ipſi irrumpunt, omniaque cæde ac terrore complent. Periêre eo die, aut ferro abſumpti, aut flùmine hauſti, quatuor amplius millia hominùm. Indè ad prædam verſi, reliqui nihil fecêre: ſuperſtitibus, & qui latebris ſe occultaverát, vitam interminantur, ni latentes & abditas facultates ſuas proferant, variiſque tormentis divexant: adeò, ut reperti, qui ægritudine &

Cõercet illã edicto Farneſius

deſperatione vitæ, quaſi monſtraturi conditæ pecuniæ locum, è torquentium manibus elapſi, ſe è ponte præcipites in flumen dejicerent. Duravit populatio toto triduo donec Farneſii edicto à rapinis, expilationibus, captivitatibus, redemptionum pretio deſitum eſt. Sic

Numerus mortuorum

Trajectum quarto obſidii menſe captum expugnatumque eſt. Toto eo quadrimeſtri tempore ex civibus & præſidiariis ſex millibus ac

Farneſius triumphans in urbem invehitur.

trecentis deſideratis: ex mulieribus verò mille, & ſeptingentis. Ex Regiis cecidêre bis mille ac quingenti milites, & ſeptem ac triginta

Cen

Centuriones. Farnesius aliquot dies ab accessu captæ urbis abstinuit, donec paratis omnibus, quæ spectaculi pompam augere poterant, imitatus antiquorum triumphos, per murorum labem sellæ gestatoriæ impositus, purpurâ auroque instratæ, urbem ingressus est, ac more à majoribus accepto, solenni ritu secundarum rerum auctori in primis Deo honores ac laudes persolvit.

Porrò hæc fuêre Alexandri Farnesii auspicatissima exordia. Et quoniam ejus egregia facinora, ac res militares prudenter & fortiter pro publica salute terrâ marique gestas, varias expeditiones, victorias miraculo proximas, Famianus Strada, historicus luculentissimus scitè disertèque perscripsit, supervacanei studii foret, ea singula retexere; eam ob rem summatim illustriora quædam facinora, pluribus prætermissis, percurram.

Miserabile Trajectensium fatum tantum terrorem toti confinio incussit, Brabantiæ in primis, Flandriæ, Frisiæque, ut tanquam Annibal ad portas, urbes quæque suas firmioribus præsidiis instrueret, commeatum congereret, omniaque ad tuitionem appararet. Et quantùm acerbus ille casus arrogantes Calvinianorum animos retundebat; tantùm Catholicorum erigebat, usque adeò, ut hæreticis permisti, pro Religione ac Rege armis decertare non vererentur. Sylvæ-Ducis ortâ inter Catholicos & Sectarios contentione, an recipienda, an repudianda esset unio Ultrajectensis, tandem ad arma ventum est, initaque infestis animis armisque pugna, in qua centum & septuaginta è Sectariis cæsi sunt, reliqui omnes urbe ejecti. Mox Brugenses simile tentârunt; etenim abolito factionis hæreticæ Magistratu, Calviniani dogmatis præconibus urbe pulsis, atque adeò civibus in diversa studia scissis, res ad cædem spectare videbatur. Sed jussus à Farnesio Mottæus Catholicos juvare auxilio, dùm is lento itinere militem ducit, octo Scotorum signa, à Calvinianis tacitè accita, ipso noctis obscuro, in urbem inducta sunt, sicque Catholicorum conatus incassum recidit. Intereà populus Gandavensis, prægnans novorum motuum, ac classicum inflante Imbisio, rursus in sacra involat, omnia in prædam vertit, Cœnobitarum bona hastâ positâ voci præconis subjicit, ac in omnem insolentiam effusus, omnia rapinis fœdat. Dum hæc Gandavi geruntur, Mechlinia ab Ordinibus defecit, & ad Farnesium se contulit. Sylva-ducis excusso Auriaci seditioso jugo, in Regis fidem concessit. Eodem tempore Georgius Lalinius, Rennebergii Comes, Frisiæ ac Transiselaniæ Præfectus, Gallo-belgicæ Nobilitatis exemplo se Regi Provinciasque addixit. Farnesius autem, qui cum Provinciis Gallo-belgicis nuper

Sylvæducensiũ tumultus

Gandavensium in Ecclesiasticos crudelitas.

Mechlinia & Sylvaducis Regi se dedunt.

peregrinum militem è Belgio dimittit. pepigerat, ut ex omni Belgio emitterentur peregrini milites, Hispanos, Jtalos, Burgundos, Germanosque depenso stipendio, è Provinciis, Martio exeunte, dimisit. Cæterùm Auriacus cum videret incerta omnia fluctuare, Catholicorum & Calvinianorum odia invalescere, distractam Rempub. in partes, Magnatum Urbiumque defectiones, civium periculosas factiones, atque adeò cuncta in pejus ruere, novi imperii consilia agitare cœpit, datisque ad Ordines literis, eos seriò commonuit, ut ejuratâ Philippi Regis dominatione, *Revocatur in Belgium Alençonius* Franciscum Andegavensem, Galliarum Regis fratrem, asciscerent, eique legatariam in Provincias potestatem darent: hâc tamen cautelâ interpositâ, ne quid fraudis Religioni, omnibusque gentis juribus & immunitatibus fiat. Alterum enim eligendum esse; aut adoptandum externum Principem, cujus potentiâ armisque communis Reipub. salus in tuto sit: aut turpiter serviendum valido & inexorabili Regi. Non alia de causa tot annorum curas & impendia se sustinuisse, quam ut ab immani Hispanorum dominatu populum Belgicum liberaret, omniaque gentis privilegia & immunitates integras incorruptasque assereret: eoque tandem rem perduxisse, ut plurimæ per Brabantiam, Flandriam, Hannoniam, Hollandiam & Zelandiam urbes, exclusis aut ejectis præsidiis, libertatem amplexæ, sanctissima & carissima quæque pignora, suæ fidei commiserint. Postremò poscit ab Ordinibus, ut, si eum Belgii Legatum dicere velint, ea etiam permittant, sine quibus Provinciæ rectè atque ordine administrari non possunt. Ut verò robustis in posterum nervis bellum trahi queat, non supplementis tantùm copiarum, sed novo milite, & ad hoc pecuniâ opus esse, sine quâ nulla temporum ætas magnum aliquod, aut memorabile gessit, ejus penuriâ disciplinæ militari locum non esse, licentiam militum suboriri bellumque ipsum velut marcore, aut tabe suâ deficere. Quare cum Provinciæ, urbesque tardè & ægrè indictiones suas pensitent, vult, ut contra hujusmodi in posterum rigidior adhibeatur ratio. Quorum omnium ut nihil Regem fallebat, regium animum primò consternatio, post ira occupavêre. Itaque non ultra *Auriacus proscribitur.* laturus Auriaci contumeliam, tot à Cæsare Patre, tot à se beneficiis & honoribus aucti, illum ut perduellem, proditorem, patriæ hostem ferali programmate, pro rostris recitato, proscribit, aquâ & igni interdicit, & velut piacularem læsæ Majestatis victimam, trucidandum edicit; occisoribusque aut eorum hæredibus vigintiquinque millium aureorum præmium decernit. Quod ubi Auriaco innotuit, ipse prolixo scripto objecta crimina refutavit, idque typis expressum passim vulgari mandavit.

Intereà

Intereà variâ fortunâ pugnant, & velitantur cum Farnesio Brabanti Flandrique. Farnesius Cortraco Centronum in Flandria oppido, astu potitur. Mortaignum oppidum Hannoniæ vi expugnat. Dein Fanum S. Amandi in fidem Regis recipit. Indè Tornacum Nerviorum sedem movens, rebellium agros prædationibus incendiisque vastat. At Jusius Cameracensis Præfectus viribus diffisus, cum Andegavensi transegit, & Gallorum aliquot centurias equitumque turmas in urbem recepit. Eodem tempore Bruxellenses Nivellam astu militari recipiunt: Leowardienses arcem expugnant, & quâ parte urbi obversa est, solo æquant. Ordines, duce Lannoïo, Ninovam sui juris faciunt. Mechliniam nudatam præsidio Noresius Anglorum Tribunus, & Oliverius Templius Gubernator Bruxellensis, diversis locis adoriuntur, & invadunt, eamque sacri profanique nullo discrimine populantur. Multa ibi fœdè, crudeliter, immanem in modum patrata, sepulchra eruta, spoliata donaria, direpti loculi venerabilium reliquiarum, aræ etiam sanguine fœdatæ, ac poluta adyta. Quodq; mulieres ac imbellis turba eò confugerant, quisque pro libidine trahere, cædere, infantes à matrum complexu divellere, ac solo illidere. Sic militum furori parentatum civium cæde, sanguine & miserorum direptione. Interea Auriacus Ordines continenter urgebat, ut in Franciscum Andegavensem summæ rei regimen transferrent. Igitur habitis Antverpiæ comitiis, in quibus Legati à Brabantis, Flandris, Hollandis, Zelandis, Frisiis, ac Geldris, convenerunt, in Andegavensi Duce nuncupando: publicoque edicto denunciarunt Philippum Hispaniarum Regem propter fidem non servatam principatu, atque imperio Belgarum excidisse, subditosque omni obedientiæ religione exsolutos. Detonabant jura majorum, immunitates, privilegia Belgis concessa, quorum in verba jurant Principes, quum imperii gubernaculo admoventur, indignis modis rupta esse, ac violata: Belgas se sacramento obstrinxisse suis Principibus sub certis legibus & conditionibus, quæ mutuum obligationis vinculum constituunt inter Principem & subditos; adeò ut si promissis à parte Principis non stetur, cives & incolas nullis obsequii legibus teneri, solutosque esse omni sacramento fidelitatis & reverentiæ, quam subditi Principibus suis debent. Addebant ad efferandos populorum animos, Hispanorum inauditam seculis tyrannidem; Inquisitionem efferam; crudeles & flecti nescios animos, duræ servitutis metum, conjugum, liberorum vel necem, vel vi adimendum pudorem. Postquam Hagæ-Comitis publicatum esset edictum, rupta passim, insigni perduellionis crimine, Regis sigilla, dejecta insignia,

Farnesius astu Cortraco potitur.

Mechlinia fœdè diripitur.

Confœderati à Rege deficiunt & in Alençonium summam rerum transferunt.

Philippum Hisp. Regem pronũtiarũt belgarum imperio excidisse

comminutæ imagines, erasa nomina, cautumque ne quid deinceps Regis nomine edatur, aut obsignetur. Dein composita vulgataque nova jurisjurandi formula, vetitumque ne ulla posthac moneta cudatur, nomine, titulo aut insignibus Hispaniarum Regis. Execrandum ac nefarium facinus! Quasi verò Deus non esset, qui Reges inaugurat, & cui soli competit jus eosdem exaugurandi: non enim potestas nisi à Deo, & qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Verùm Auriacus alium in finem sua dirigebat consilia, ut nimirum

1581. in turbido capturam exerceret, suisque auspiciis omnia moderaretur. Rebus hunc in modum fluentibus, Archidux Matthias, cujus animum Austriacæ familiæ despectus altè fodicabat, petito ab Ordinibus commeatu, per Clivensem ditionem facto itinere, ad sua perrexit. Legationes verò ad Alençonium accersendum missæ, pactaque inita, quæ ut implerentur, eum cum excercitu penetrare in Belgium oportebat. At copias sine Regis consensu legere perdifficile erat, cùm is intercederet vetaretque, sive invidentiâ fraternæ gloriæ, sive ne Regem Hispaniarum lacesseret: tandem annitente matre, tacitè annuit uti per Galliam delectus Andegavensis nomine haberentur. Imò ut expeditioni major dignitas accederet, celebrem legationem in Angliam mittit, quæ fratris connubium cum Regina Elisabetha flagitet. Mox instructus exercitus, in quo quatuor equitum millia, peditum verò millia decem, & Proceres magnique nominis Nobiles quamplurimi. Primò Andegavensis Cameracum versus copias movit, quam urbem, cùm Farnesius per obseptos aditus arctè obsideret, tuebatur Balduinus Gaurius, Inckii Dominus Ordinum nomine, multarum rerum inopiâ pressus. Laboranti præstò fuit Andegavensis, cujus adventu, Farnesius copias subitò contraxit, & cum ante urbem in armis ambo exercitus aliquandiu constitissent, Farnesius motis castris, Valencenas contendit. Andegavensis postridiè magnâ pompâ urbem ingreditur, festis populi acclamationibus exceptus, biduoque post solemni sacramento se obstrinxit civitatem civesque protecturum, ac juxtà privilegia, leges antiquas, ac immunitates Rempublicam administraturum. Postridiè Slusam deflexit, atque indè in Britanniam transmisit, ut fidem de nuptiis cum Elisabetha datam impleret.

Archidux Matthias belgio excedit

Alensonius venit Cameracum.

Navigat in Angliam.

Farnesius intereà Tornacum, Nerviorum metropolim, ducit, admotisque viginti tribus tormentis, muros quati assiduè jubet. Interim circumsessi non operâ, non arte sibi deesse, propugnacula munire, aggerem intus substruere, crebris eruptionibus Regios lacessere, opera subruere. Mox suffossionibus & cuniculis agendis, magnâ

Farnesius Tornacum movet & occupat

curâ

curâ, dari operam Farnesius jussit. Re autem ab obsessis cognitâ, nihil ab iis omittitur, quò frustrari hostium conatus posset. Itaque admoto cuniculis igni, cum murus magno fragore procubuisset, ac munimenta ab imo essent eversa, subsidium nullum appareret, neque diutiùs sustineri oppugnatio posset, missis Oratoribus Tornacenses Regi sese certis conditionibus dedidêre, ipso D. Andreæ pervigilio 1581.

Andegavensis exactâ hyëme in Britannia apud Elisabetham Reginam inter choreas, symphoniacorum ac fidium concentus, hastatorum equestrium ludicras decursiones & certamina, nuptiarum fiduciâ, de quibus conscriptis tabulis jam convenerat, postremò bonâ Reginæ gratiâ, ab ea auctus ingenti pecuniâ, Londino solvit Cal. Februariis anno 1582. ac biduo post Vlissingam appulsus, obvios habuit Auriacum, Espinoium, atque Ordinum Legatos, adventum felicem novo Principi gratulantes. Indè Middelburgum profectus, inter tubarum clangores & tormentorum ex urbe & navibus displosionum fragores, in urbis basilica sumptuosissimo epulo exceptus est, ac XIIII. Cal. Martii Lilloüm iter intendit, & postridiè Antverpiam ingressum omnium hominum ordines nullo non honoris genere cumulârunt: Gaudii lætitiæque ab omni ætate in compitis, porticibus privatorumque civium domibus signa promiscuè edita. Secundùm hæc, Læti introitûs, ut vocant, capita, præeunte Theodoro Liesfeldio, Brabantiæ Cancellario, jurejurando confirmat: Se, nempè, bonum æquumque Principem fore, & Rempublicam juxta juris & immunitatum formam administraturum. Quibus peractis trabeâ Ducali solemni ritu indutus, Dux Brabantiæ inauguratur, & Sacri imperii Marchio inter tubarum lituorumque cantus, tormentorum displosiones, & festas populi acclamationes consalutatur, sparsis interim in vulgus missilibus. Tum ad Palatium, Cœnobio D. Michaëlis contiguum, deducitur, ac magnificentissimo epulo excipitur. Verùm lætissima hæc novi Ducis auspicia, tristes ac ominosæ ventorum tempestates fœdavêre. Illæ etenim subitò exortæ, prodigioso turbine plura navigia in imum depresserunt, aggerum munimenta straverunt, & Andegavensis insignia portæ, quæ Scaldim respicit, suffixa, quippe Hispaniarum Regis insignibus supereminebant, in imum flumen abripuerunt. Neque ipsum Palatium a clade immune fuit. Primò vitreæ totis ædibus fenestræ flatuum vehementiâ concuti, parietes tremere, tecta collisis tegulis crepare, dein summa fastigia præcipitari. Portentosa ea indicia, malique ominis prænuntia interpretabantur rerum periti, & illius calamitatis, quæ mox

Andegavensis Antverpiæ exceptus

1582. Dux Brabantiæ inauguratur

Tempestas fœda exorta mali ominis

mox ſubſecuta eſt, præludia augurabantur: Alii à natura hæc eveniſſe arbitrabantur: Alii denenique ludibrio habebant. Cum autem Catholicæ religionis cultus paulò antè Antverpiæ interdictus fuiſſet, inſtabat apud Ordines Andegavenſis, ut Catholicis priſtinus ſacrorum uſus, ſuo beneficio, reſtitueretur. Verùm cum id ægrè impetraret, tandem templum S. Michaëlis ſibi familiæque obtinuit, & Sacerdotibus qui ab eo deligerentur, in eo ſacra peragendi facultas data, eâ lege, ut populares ejus aditu prohiberentur, ni prius Philippo Regi obſequium renuntiaſſent, & obedientiam ſuæ Celſitudini juraſſent.

Andegavenſis fruſtra inſtat, ut Catholicus ſacrorum cultus reſtituatur.

Ad priora illa infauſti eventus omina, caſus triſtior acceſſit. Etenim decimo quinto Cal. Aprilis, qui dies Andegavenſi natalis erat, dum Antverpienſes ludicra ſpectacula, cœnamque Principum collegio parant, Joannes Jaurengius, Cantaber adoleſcens, heri ſui Gaſparis Anaſtri lenocinio, ac promiſſorum ſpe invitatus ac perſuaſus, breviſſimo Sclopo & pugione armatus ad arcem tendit, conſurgentemque è menſa Principem Auriacum ad fores opperiebatur, egreſſo ſupplicem libellum offert, legentique ſclopetum admovet, ac maxillam utramque glande tranſverberat, excuſſo uno alterovè dente. Verùm cum in ipſo jactu fiſtula rupta crepuiſſet, atque inde pollice truncatus, non ità expeditè pugionem ſtringere poſſet, à corporis ſtipatoribus, bipenni haſtâ, perfoſſus occubuit. Hujus facinoris famâ vulgatâ, civium cohortes confeſtim arma corripiunt, & cæco animi impetu diſcurrentes, Palatium Andegavenſis circumſiſtunt, feroceſque minas intendunt, Siculas Veſperas & Pariſienſes nuptias, ferales utraſque tragœdias ingeminantes. Andegavenſis prodi ſe ratus, trepidare, Sacra Deoſque conteſtari, & inauſpicatum in Belgium adventum execrari. Interim Auriacus ex animi deliquio recreatus, cognito civium fremitu, amotâ ab Andegavenſi perpetrati ſceleris ſuſpicione, cives blandâ oratione demulſit. Porrò Jaurengii cadaver deterſâ ſanie, in forum pertractum è pegmate ſuſpenditur, agnitumque Anaſtri prodebat domicilium, in quod advolantes ſatellites, Antonium Venerum, qui Anaſtro à rationibus erat, comprehendunt, arcas omnes & capſas excutiunt, rationum codices, commentarios & codicillos aſportant & ad Magiſtratum deferunt, cujus juſſu de Antonio quæſtione tormentis habitâ, totius rei ſeriem faſſus eſt: Gaſparem ſcilicet Anaſtrium, poſtquam acciſis rebus Antverpia in Hiſpaniam profugiſſet, cum Regis Philippi Conſiliariis Auriaci necem magno pretio pactum, binis comitatum famulis rediiſſe, & ingentibus pollicitationibus Jaurengium ad ſcelus pellexiſſe, ejuſque

Auriacus vulneratur.

Antonius Venerus Gaſpari Anaſtri domeſtic. comprehenditur.

ejusque eventum Gravelingæ, quò paucis ante diebus concesserat, præstolari. Mancipatus insuper carceri Antonius Timmermans è D. Dominici familia religiosus, quod Jaurengio confitenti aurem præbuisset, & eucharisticum mysterium impertivisset. Quare paullò post cum Antonio Venero in pegmate priùs strangulatus, quadrifariam dissectus fuit, & capita, ac membra eorum pro portis & urbis propugnaculis affixa, triste spectaculum prebuêre.

Dum hæc Antverpiæ geruntur, Farnesius & Andegavensis, alternante fortunâ vices, nunc has, nunc illas urbes tentant, aut intercipiunt, aut expugnant. Primum omnium à Gallis tentatum fuit Namurcum, sed re infectâ discessum est. Dein Lensium Gallicæ-Belgicæ oppidum per insidias occupârunt; quod Farnesius mox obsidione cinxit, & ad deditionem compulit. Indè in Flandriam exercitum transportavit, tanquam Meninas obsessurus: Verùm mox Aldenardam deflexit, urbem situ munitam ad Scaldim positam, admotisque viginti tribus majoribus tormentis, magna vi oppidum pulsabat, cui sustinendæ cum intus pares non essent, laxatis emissariis suburbanum campum longè latèque inundant. Sed Farnesius belli prudentissimus, sic castra muniverat, ut ab inundatione minimè incommodaretur. Acerrima oppugnatio ad semilunare ante portam Gandavensem propugnaculum fuit, & ad noctem usque producta, cadentibus utrimque compluribus. Interim cum inter turrim ac portæ molem vi tormentorum magna muri pars diruta esset, fossaque ruinis oppleta, impressionem Farnesius instituit. Contra propugnantes ad retundendam vim, densas sudes stipitesque acutos humi fixerant, catenis ferreis simul vinctos ac ponè has vacerras aggerem ac vallum duxerant. Sed jussis militibus fossoribusque palorum ima suffodere, brevî ad aggerem ventum est. Tandem cum nulla, aut sera spes auxiliorum esset, obsessi cum Farnesio paciscuntur, ut præsidiariis egredi cum armis liceret; oppidani triginta millia Florenorum exsolverent; Hæreticis spatium trium mensium concessum, ad deliberandum, religionem suam ejurare, an urbem relinquere malint.

Varia belli vices

Aldenarda à Farnesio obsessa & capta

Haud multò post Tianus Nivellæ, & Olivarius Templeus Bruxellæ Præfecti, Alostum horâ intempestâ noctis aggrediuntur, & admotis scalis in murum enituntur, trucidatisque excubitoribus urbe potiuntur. Is casus à Regiis, arce Gaesbekanâ astu interceptâ, pensatus est. Andegavensis autem Flandriæ, amplissimæ Belgii provinciæ possessionem adepturus xvij. Cal. Aug. Antverpiâ solvens, Brugas Flandrorum venit, regiaque cum pompa Flandriæ Comes festis acclama-

Alostum à fœderatis occupatum.

Andegavensis Flandriæ Comes salutatur.

clamationibus salutatur. Sub id tempus nobilis Scotus, cognomento Simplius Præfectus præsidii Lirensis, novo stratagemate Liram in potestatem Regis tradidit. Petitâ namque à Gubernatore potestate excundi, ad insidias Regiis, quos illàc ituros acceperat, struendas, per obscuræ noctis caliginem cum viginti delectis urbe egreditur. Ac manè, nondum albescente die ingentem armentorum, equorumque, ac hominum catervam adducens, Liram redit, ac portam sibi suisque aperiri postulat, quod hostis tergo immineret. Reclusâ portâ, clavibusque ostiario ereptis portas reliquas, reductis valvis, patefaciunt, Regiosque qui proximis campis latitaverant, intus accipiunt. Et ita Lira, urbs haud quidem magna, sed egregié permunita, sine sanguine & impendio in sui Regis potestatem redacta est.

Lira in potestatem Regis redacta.

Intereà Verdugius, Frisiæ Præfectus Lochemium in Zutphaniæ Comitatu exiguâ manu cingebat, jamque ad extremas angustias obsessos redegerat, cum Hoghenlöus & Nassavius cum decem millibus peditum & duobus millibus equitum, suppetias obsessis laturi, superveniunt, & copioso commeatu in oppidum invecto, hostem profligant. Confœderati hâc victoriâ elati, illicò Invicti Cæsaris Caroli V. Regisq; Philippi arma gentilitia totâ Flandriâ cominuunt, aut eradunt, substitutis in eorum locum Francorum Liliis. Insuper hæc Andegavensis, quò rerum suarum statum magis figeret firmaretque, cum Provinciarum fœderatarum Legatis agit de Belgio perenni vinculo Franciæ adnectendo, si ipse sine prole decederet. Verùm cum paucorum animos in id propensos, certis indiciis cognosceret, quod arte non poterat, Marte tentandum ratus, sensim stativa præsidia ex oppidis deducit atque ut ea sui juris faceret eaque cum plena potestate armis teneret, præsidia Gallica substituit. Per hæc tempora Gregorius XIII. Pontifex Max. Calendarium variis mutationibus obnoxium, insignium Mathematicorum operâ correxit, præcisisque decem diebus, annum Solis cursui penè adæquavit. Opus sané utile & memorabile, quod à pluribus antecessoribus frustrà cœptum, ipse confecit. De qua re diploma Pontificium edidit, quod Itali, Hispani, Poloni, Brabanti, Flandri, Hollandi, aliæque nationes mox gratanter receperunt: Ultrajectenses tamen, Geldrii Germanique Protestantes rejecerunt, quod dicerent in eo negotio Cæsaris & S. Imperii auctoritatem & existimationem verti, quam Pontifex eâ potestate, quam sibi vendicaret, convellere niteretur.

Fœderati Caroli V. & Philippi Regis insignia totâ Flandriâ cōminuunt & eradunt.

Agit Andegavensis de Belgio Franciæ annectendo.

Calēdiarum à Gregorio 13. correctum

Ineunte anno 1583. Franciscus Dux Andegavensis, dum cuncta ex Ordinum decreto & avitis privilegiis se administraturum jurejurando spopondisset, animadvertens in se titulos inanes & umbram imperii

imperii collatam, penes alios summam rerum potestatem esse, tandem pactorum oblitus, statuit precarium imperium excutere. Igitur accersitis Gallorum Helvetiorumque copiis, quæ recens e Gallia, cum mille ac quingentis equitibus, subsidio venerant, ad Antverpiensium suburbia considere jussit. Ex eaque occasione ducenti Nobiles ad eum venerant, quasi salutandi causâ. At itus hi reditusque, solicitos Oppidanos suspicione, & suspensos metu habebant. Quare misso XVI. Januarii ad Andegavensem Petro Alostano, Urbis Consule, catenis & repagulis viarum aditus maturiùs claudi, faces, funalia & lanternas succendi, supplicant. Andegavensis turbatus, primò perplexis fucatisque verbis omnem à se suspicionem amoliri, dein, ut specie recti obduceret fraudem, postulatis eorum assentiri, nimirum ut affectos nocturnâ vigiliâ incautos opprimeret. Posterâ namque luce, inter horam duodecimam & primam, specie lustrandi ac recensendi exercitus, ducentis nobilibus stipatus, aliisque Gallis Helvetiisque prætorianis militibus ad portam urbis Kipdorpiam tendit, ac juxtà pontem sublicium à Stationariis perhonorificè salutatur. Continuò quidam e comitatu, deditâ operâ, subsistit, equi calcitratu se appetitum assimulans. Ad quem dum accurrunt stationarii & excubitores, extemplo obtruncantur: Indè ducenti illi equites, inflexis habenis, interceptam portam sibi asserunt, signoque dato, peditum septemdecim cohortes, & quatuor equitum turmas immittunt. Primi circumposita hinc indè portæ mœnia & propugnacula occupant: alii usque ad portam Cæsaream diffusi ænea tormenta urbi obvertunt: alii ad urbis interiora penetrantes, Missam ac Ducem inclamant, cædem & exitium ubique interminantur. Cives repentino metu concussi, & Parisiensis lanienæ memoriam altiùs repetentes, ubi primum concrepuit æs campanum, nihil prohibente diversitate religionum, conjunctis animis pro vita, liberis, uxoribus, fortunisque ad arma concurrunt, plateas objectis ferreis catenis claudunt, in irruentes milites, qui ad urbem accurrebant, ignitas pilas tormentis intorquent, & in eos qui per urbem vagabantur, ferream minorum sclopetorum grandinem emittunt, fœdamque stragem edunt, præsertim dum Galli fugam circumspectant & perturbatè Kipdorpiam repetunt. Ibi tam multi angusto in aditu proculcati ac protriti acervabantur, ut duorum altitudinem hominum exæquaret cadaverum moles. Et augebatur strues, dum super ea Nobiles complures, derelictis equis, transcendere pertentantes, non irritis glandium ictibus trajecti, cæsorum acervum cumulabant: alii, cum aliud effugium non pateret, se in equis e mœnibus in sub-

Andegavensis statuit precarium imperium excutere.

Cades Gallorum Antverpiæ.

jectam fossam præcipites dabant Interim Dux Andegavensis extrà portam eventum opperiens, cum neminem portâ, quam à suis teneri sciebat, egredi, multos é mœnibus præcipites dari é longinquo cerneret, rem confectam rebatur. Quare Helvetios progredi ad urbem imperat, at postquàm in eos ex urbe tormenta explodi animadvertit, tunc serâ pœnitentiâ ductus, ex infausto eventu temeritatem consilii sui damnavit, ac retrò in castra concessit. Mirum profectò, ac prodigio simile, rem maximam maximique discriminis, intra horæ spatium esse confectam. Ex Gallis cecidêre mille & quingenti, & in iis viri Principes non pauci, præter saucios & captos. Ex civibus octoginta tres. Ita non absurdè interpretati videbantur, qui dixerant Ædium D. Michaëlis fastigium, ventorum flatibus dejectum, Andegavensis dominatûs casum portendisse, quem magnis primùm populi Antverpiensis studiis cultum & adoratum, nunc omnes detestabantur atque abominabantur. Ita Ducis Brabantiæ nomen instar fumi evanuit, atque hinc evidentissimum est, minoris opus laboris esse, regna parere, quàm tueri. Postridie Andegavensis literis se Antverpiensibus purgavit; factique invidiam, quàm maximè potuit, elevavit, se, suaque omnia Ordinibus properè offerens, eosque ad novas concordiæ rationes ineundas invitans. Sed vulnus adhuc crudum recensque, hoc intempestivum pharmacum respuebat, præsertim quùm fama vulgasset, eodem die simili proditione frustrà tentatas fuisse Brugas Flandrorum, Ostendam & Neoportum: Duynkerckæ autem, Dixmudæ atque Teneramundæ Gallorum conatus ex voto successisse. Tandem Dux, cùm nullam sinceram & solidam cum Belgis gratiam inire se posse animadverteret, facinusque Antverpiæ perpetratum, ultra modum contumeliosissimis maledictis ubique exagitaretur, invidiæ cedere & in Galliam reverti statuit, quò per sui absentiam commoti Belgarum animi defervescerent. Itaque collectis vasis, cum copiis, ac comitatu aulico, mense Junio in Franciam concessit.

Andegavensis in Galliam revertitur.

De cujus discessu certior factus Farnesius, statim Duynkerkam, oppidum in Flandrico littore, terrâ marique obsidione obvallat, ac viginti muralibus tormentis continente decem hororam spatio verberat, decussoque propugnaculi supercilio, impressionem adornabat, quum Chamosius oppidi Præfectus, præcisâ omni auxiliorum spe, de deditione transegit, ut ipse cum suis, gladiis tantum accinctis urbe exiret. Mox Neoportus, Winociberga, Veurna atque Dixmuda citra sanguinem in Farnesii potestatem venêre. Accessit paulo post Steenberga, noctis silentio, scalis occupata. Nutantibus ubique Or-

Duynkercka, Neoportus, aliaque Flandria oppida in fidem Regis redeunt.

dinum

dinum rebus. Auriacus ipse suspicionibus variis laborabat, ob recens matrimonium cum Aloïsia Colinia, Gasparis Castellionei maris Gallici Præfecti, filia, & Caroli Telinii, in tumultu Parisiensi interfecti, vidua contractum, quasi Gallorum partibus impensius faveret, & tumultui Antverpiano causam præbuisset. Quare relictâ Antverpiâ, dictoque Marnixio, Santaldegundio urbis Præfecto, ipse cum aulica omni familia XI. Cal. Aug. in Zelandiam secessit. *Aurantius relictâ Antverpia in Zelandiam secedit.*

Intereà Farnesius de Ipris obsidendis cogitare cœpit, verùm quod exercitus magnoperè esset imminutus, propter præsidia in oppidis & arcibus recens subactis, collocata; neque tantum esset militum, quò urbem obvallare posset, satis habuit, molem ingentem & prævalidam contra urbis portam excitare, quâ commeatûs importatio à Gandavo, atque à Brugis prohiberetur. In quam inductis sexcentis peditibus, & equitibus ducentis, octo majoribus machinis, arci præfecit Antonium de Grenet, Werpii Dominum, virum strenuum & qui multa virtutis militaris documenta dedit. Indè copias Farnesius Eckeloo tendere jubet, vicus est ad amnem Liviam positus, medio Brugas inter & Gandavum, quo potitus, alvei Gandavensis os & fauces, fugato præsidio, occupat. Dein ducto exercitu in Wasianum territorium, Axellam & Hulstum, omnemque ditionem in potestatem redigit: utque Scaldi frænos injiceret, Rupelmondæ castrum sibi asseruit. Quare Antuerpienses trepidi rerum suarum, nevè in arctum redigerentur, aggeres omnes meridionales, Scaldi objectos, perfodiunt, & aquis redundantibus omnem illam regionem Borchtam & Callöam usque operiunt; tùm Borchti propugnaculum erigunt, & trajectum fluminis ex adverso Antverpiæ, quod Flandriæ caput nominant, tormentis & militibus muniunt. Restabat in Flandria Alostum, quod Anglorum præsidio tenebatur. Sed cum iis promissa diu stipendia ab Ordinibus non repræsentarentur, clam cum Farnesio, certâ pecuniæ summâ paciscuntur, eique oppidum tradunt. Hæc seu vi, seu metu oppida in potestatem redacta, uti famam Farnesii successuum auxere, ita contrà Ordinum animos haud parum infregêre. Nihilominùs Aldegundius, ut aliquid Consule Antverpiano dignum auderet, Januario mense 1584., nivibus ac frigore horrido, loca Liræ vicina, cum suis noctu insedit, urbique insidias struxit. Quarum conscius Præfectus, artem arte delusit; nam & ipsis collocatis insidiis, insidiatores in ipsis latibulis oppressit, cunctos fudit fugavitque. 1584 *Farnesius omnem ditionem Wasianam subigit.* *Alostum Farnesio traditur.*

Intereà Iprenses superiore anno mense Septembri obsessi, nullis conditionibus ad deditionem compelli poterant, ne quidem cùm *Ipra dedita*

 cogno-

cognoverunt irrito ſemel atque iterum conatu, Brugenſium auxilia cæſa & profligata fuiſſe, atque commeatum omnem in Werpii poteſtatem veniſſe. Tandem premente rerum omnium penuriâ, deſperatiſque auxiliis, inflecti cœperunt ac ſeptimo poſt obſidionem menſe, vitam & res ſalvas ſibi pacti, urbem Werpio certis conditionibus dedere coäcti ſunt.

Brugenſes tranſigunt. Mox eorum exemplo Brugenſes cum Farneſio tranſigerunt, ſtatimque per Epiſcopum Brugenſem delubra, Calviniſmo polluta, expiata, & majorum ſacra reſtituta.

Mors Andegavenſis. Quæ dùm fiunt, Andegavenſis, novitius Brabantiæ Dux, Cal. Maii phtihſi conflictari cœpit, ac quadragſimo, poſtquam ægrotare cœpit, die, in Thedorici caſtro, ditionis ſuæ oppido, anno ætatis ſuæ trigeſimo animam egit.

Auriaci cædes. Proximè ſecuta eſt Auriaci cædes; Balthaſar Gerardus, ex villa Famenſi in Sequanis natus, viginti & ſeptem annorum adoleſcens, in agendo promptus & expeditus, ad Auriacum, qui Delphis in Batavis erat, ineunte Maio venit, ſeque artificioſâ induſtriâ in ejus notitiam & benevolentiam paulatim inſinuavit. Indè bona cum Auriaci veniâ apud Andegavenſem locatas habuit operas, cumque eum redeuntem in Galliam ſecutus fuerat. Quo extincto, Catharina Henrici III. Regis Francorum uxor, eum cum literis ad Auriacum ablegavit, quibus illum de Andegavenſis obitu certiorem faciebat. Traditis literis, dùm ſexto Id. Julii, velut in Galliam reverſurus, Auriaci reſponſum ad fores cœnaculi præſtolatur, conſurgentem è menſa Principem, diſploſâ levi catapultâ tribus glandibus oneratâ, trajicit. Ille in terram corruens, ſtatimque in conclave relatus, lectoque impoſitus vitam finivit. Balthaſar patrato facinore per ſtabulum horto vicinum fugiens, jam in eo erat, ut ſuperatis mœnibus in foſſam deſileret, ſed à ſtipatoribus inſequentibus aſſecutus, comprehenſus eſt, coäctoque Senatu interrogatus, chartam & calamum poſcit, ſcriptoque luculento ſeriem & cauſas facti complexus eſt, ſe videlicet nec prece nec pretio mortalium cujuſquam, ſed ſolo conſcientiæ inſtinctu, animique permotione cælitùs immiſſâ, id facinus deſignaſſe, ut patriæ, Auriaci tyrannide oppreſſæ libertatem aſſereret. Itaque cùm horrendum ultimi ſupplicii carmen, pridie Idus Julii ei pronuntiatum eſſet, inaudito cruciatu delaniatus fuit, quem tamen forti & invicto animo ſuſtinuit, neque ullum doloris, per ejulatus aut vultûs convulſiones, ſignum dedit, ac poſtremò inter cruciatus vitam finivit. Poſteà caput præciſum, & præpilatæ haſtæ juxtà urbis mœnia infixum, & corpus in quatuor partes

te dissectum, ad totidem oppidi Delphensis portas ex patibulis suspensæ sunt.

Ordinespost obitum Andegavensis, Ducis inopes, atque Auriaco cæso, animis consternati, de externo auxilio cogitare cœpêre. Itaque Oratores ad Henricum Regem Galliarum mittunt, rogatum, ut clientela suscepta Belgii, regiones illas suam in ditionem admitteret. Post diuturnam cunctationem, cum Guisius pacem rupisset, & universam bello Franciam miscuisset, Rex humanissimè sese excusavit, & respondit nec se posse auxiliari cæteris, aut iis tranquillitatem facere, quandiu ipse in tempestate ac tumultu ageret, ac spe factâ temporis commodioris, Oratores dimisit. *Ordines fœderati, Galliæ Regem appellant, ut tutelam Belgii suscipiat.*

Nec cessabat interim Farnesius, & primò Callöo ad Scaldim vallum construit, indè 5. Id. Julii munimentum, cui Liefkenshoeck nomen, e regione Lillöæ expugnat. Ex adverso Mondragonius Lilloam tormentis quatit, dein cuniculis & suffossionibus rem agit. At qui Lilloam tenebant milites gnaviter se defendebant, & transversis cuniculis Mondragonii excepere, perforatisque, pleno orbe Lunâ, aggeribus, tantum aquæ marinæ in Regiorum castra immiserunt, ut obsidionem solvere coactus fuerit. Posteà Farnesius Ordamum & Boerenschans munitiones ad Scaldim sui juris facit, indeque partem exercitûs Teneramondam deportat. Vallo circumjacto, mox per elices & sulcos aquas è fossis deducit, dein cataractis ruptis & amne obstructo, machinis muros, ingensque propugnaculum ante portam Bruxellensem excitatum, concutit, quo semidiruto oppugnationem orditur, ibi cùm per tres horas acriter certatum esset, tandem cedentibus propugnatoribus, Regii eo potiti sunt; Cives cum viderent oppidum defendi non posse, novissimè in has conditiones convenerunt: „ Ut præsidiarii cum armis, ac rebus quas asportare „ possent in tutum deducerentur. Civibus gratia facta exolutis sexa„ginta florenorum millibus. Atque ita munitissima urbs spatio sex „ dierum felicibus Farnesii auspiciis in Regis sui redit potestatem. *Farnesius Liefkenshoeck Ordamũ & Boerenschans sui juris facit.* *Teneramonda in Regis redacta potestatem.*

Indè occupato propugnaculo juxtà Willebrockam, Farnesius exercitum Vilvordiam ducit, quæ & statim summo Antverpianorum incommodo dedita est, quippe ità navigatione inter Antverpiam & Bruxellas interclusâ. Quibus successibus infracti hactenus Gandavenses, cum animos feroces paulatim deponere inciperent, tandem decimo post Vilvordiam deditam die, Beveræ cum Farnesio his conditionibus transigerunt: „ Ut privilegia antiqua & immu„nitates, quas ante hos tumultus habuerant, retinerent. Arx Cæsa„rea antè diruta, continuò restauraretur. Sacer ordo in pristinam bono- *Vilvordia dedita* *Gandavenses cum Farnesio transigunt leges que accipiunt.*

„ bonorum possessionem restitueretur. Et quamvis cuncti unius ejusdem criminis rei essent, veniâ cæteris indultâ, intra sex capita pœna revocaretur, quæ velut publicæ victimæ pro civibus immolarentur; quibus nihilominus Farnesii clementiâ parcitum est. Civitas ducenta florenorum millia penderet. Emendatæ Religioni addictis biennii mora concederetur, quo tempore de facultatibus suis statuere aut alio migrare ipsis permitteretur. Præsidiariis militibus cum armis abire liceret. Sic urbs potentissima, fossis, vallis, loricibus, ac propugnaculis ad stuporem munita, citrà certamen minimaque Regis impensâ, victoris arbitrio, leges accipere coäcta est.

1585 *Obsidio Antverpiensis.* Domita Flandrorum gente, Farnesius omnes curas cogtationesque ad obsidionem Antverpianam appulit, in qua tanquàm totius Belgii arce, omne belli momentum verti judicabat. Quare, tametsi urbs naturâ loci &opere inter omnes munitissima, tunc vero, cùm vicinarum, tùm remotissimarum gentium auxiliis, propter societatem fœderis ab omnibus copiis instructa esset, ut pauci sperarent Farnesium eâ aliquando potiri posse, multi non cosentiente suis votis opinione ad oppugnationis nomen trepidarent; Farnesius tamen, cujus animum nulla unquàm vel formidolosa ingentis dis[illegible] objecta facies deterruerat, in proposito perstabat. Itaque omni diligentiâ incubuit obstructioni Scaldis, ut navigatione & commeatu intercluso, fame, atque inediâ Antverpianos in ordinem redigeret. Quamobrem consilium singulare & inauditum cepit, ut Atrocitatem fluminis, Oceano permisti, frænaret: Duo ingentia propugnacula in utraque Scaldis adversa ripa excitat, tormentis instruit, præsidiisque firmat, unum in Flandria prope Calloum; alterum in Brabantia propè Ordamum. Huc lectissimarum trabium, cæsarumque arborum è vicinis saltibus, fascium, effossarum glebarum, funium, atque hujusmodi armamentorum vim planè innumerabilem comportari jubet. Tùm hinc, atque hinc prætentato alveo, defigit alté in aquas trabem plurimam æqualibus intervallis, solidatque virgultis ingestis. Mox per capita extantia ligneam jacit compagem cujus margo uterque, multiplici è ferro culpide prætexebatur; atque hæc primo in flumine: In medio enim, ubi amnis altior, vectoria graviaque navigia duo & triginta, binis singula fundata anchoris, binis etiam armata majoribus tormentis, ac tricenis militibus, alterno nexu ita statuit, ut per superpositum tabulatum validum ac *Pons operis mirabilis.* fidum ingrediens miles, rapidissimas subjecti fluminis calcaret undas. Talis erat ea moles, longa pedes bis mille & quadringentos, tantâ operis firmitate, tanto materiæ robore, ut crebrerrimas hostium

insul-

insultus & impetus sustinuerit, nullisque machinarum ictibus cesserit. Aliquanto deindè longiùs ad teli jactum, tegebant ipsius latera è binis denis suspensæ anchoris trabes quingenæ, per mutua contextæ, mucronibus ferreis & acutis radiis omni ex parte prominentibus, ut si quod periculum hostis operi majori strueret, arceretur, aut certe hâc objectâ mora infringeretur. Denæ præstereà naves ad utramque ripam excubabant cum omni apparatu bellico expeditæ, & ad omnem occasionem intentæ. Sic Farnesius altissimo flumini, post septimum obsidionis mensem, jugum imposuit, victâ domitâque rerum asperitate, Antverpianis primùm irridentibus, mox admirantibus, ad extremum ultimam veluti machinam in lignantibus. Irruerant plus octies hostes ut pontem everterent, aut disturbarent, multis tormentis verberârant, subjecerant ardentes faces, pugnarant cum Farnesianis eventu vario; tandem inventum excogitant omni prodigio majus, demittunt prono alveo inusitatas machinas, & præ se attemperatum fomitem portantes concepto igne, ut ubi ventum esset ad molem, incenso pulvere, globos ferreos, saxa ingentia & pondera vi ejectarent, & ita pontem everterent. Quo comperto Regii naves aliquot, quibus pons imminebat, præcisis anchoris & rudentibus, subducunt, viamque navigiis patefaciunt. Cum verò transissent, unum eorum ignem concipiens, cum ingenti & formidabili fragore minutatim discerptum est, nullo ponti illato damno. Aliud verò Regii insecuti, in id insilierunt & subtracto ignis fomento, navem in castra remulco traxerunt. Indè Farnesius ponti instaurando summâ diligentia incubuit. Itaque cùm nihil Antverpianis procederet ex voto, tandem ineunte Maio navigium insanæ magnitudinis, quod cubitalibus literis FINEM BELLI inscribebant, tribus elatum malis, inflatum velis, succinctum antennis, magno tormentorum numero instructum, & circiter mille delectis sclopetariis munitum, contra munitionem Ordamensem impellunt: Verùm cùm eò proxime appulsum esset, mari subsidente, vado adhæsit, indeque Farnesii potestatem venit. Jam restabat aliud nihil, quàm per campos depressiores, infuso æquore stagnantes, inferre commeatus, sed navigationi intercedebat agger Couwenstenius, qui à pago Stabroeck ad Scaldim usque protenditur: hunc Antverpiani Zelandique cum centum circiter navibus, veterano milite, & omni bellico apparatu instructis adoriuntur, tantamque globorum vim, ac glandium imbrem in Farnesianos ejaculantur, ut loco cedere cogerentur. Intereà hostes excensu è navibus in terram facto aggerem occupant, neque eorum consilia successu caruissent, nisi Farnesius suos perterritos & obstupefactos, vehe-

Inventum Antverpianorum ad evertendum pontem.

Ingentis moles navigium ab Antverpianis cõstructum quod indigitarunt FINEM BELLI.

Antverpianorum Zelandorumque ad aggerem Couwensteinium clades.

mentissimis verbis & admirabili exemplo ad conserendam manum, & ad repellendum hostem concitasset. Etenim cum tormenta bellica horribili fremitu sæpeque impetu emissa, ita tonarent, ut usum aurium adimerent: eos ignes efflarent, ut oculos perstringerent: eam caliginem offunderent, ut cœlum nubilum & caliginosum redderent, ipse nec pedem retulit, nec exhorruit tormentorum tonitrua, nec volitantes globos obvia quæque miserabili ruinâ quatientes formidavit: Sed tamdiu animo & corpore indomitus perstitit, quoad hostiles classes, interfectis duobus militum millibus, multis navibus captis, aut depressis, aut cōbustis, aut velis & gubernaculis amissis, inutiliter fluctuantibus, disjectæ, fugati cum clade hostes, certam exploratamque victoriam fecerunt. Ea clades Antverpianorum spes ultimas infregit, pacem vociferante passim plebe, præsertim cum rumor increbuit, Mechliniam & Bruxellas, urgente penuria, in Farnesii potestatem redactas. Tandem Antverpiani missis Oratoribus, XVI. Cal. Septembris, spem omnem in Farnesii clementia reposuêre, in qua infelicis perfidiæ suæ satis felicem exitum invenerunt, qui pleraque illis indulsit, ut alias deditiones exemplo invitaret. Igitur victam à se urbem VI. Cal. Septemb. triumphali more ingressus, Ædem Cathedralem subiit, ibique sacro gratiarum carmine ad musicos modulos decantato, ad arcem contendit: mox eandem arcem, quà urbem respicit, studio libertatis pridem ab Auriaco dejectam, septuaginta aureorum millium impensâ, instaurat, imperioque restituit.

Farnesius Antverpiam ad obsequiū reducit.

Intereà Ordines fœderatarum Provinciarum cùm viribus suis non satis fiderent, de externo auxilio cogitare cœpêre. Itaque Comitiis habitis, decretum: Elisabethæ Angliæ Reginæ jus omne supremæ potestatis, æquis ac legitimis conditionibus deferre: vel, si id obtinere Ordines non possent, ut Belgas in suum patrocinium, ac clientelam recipere dignetur: vel subsidia & copias auxiliares mitteret, quibus resistere Hispanorum potentiæ possent. Delatum Belgii imperium Regina detrectavit, sed opem illis prolixè pollicita est. Dein perscriptæ fœderis leges, ut quinque millia peditum, equites mille mitterentur, qui Reginæ stipendiis in Belgis militarent: pro restituendis impensis obligatæ pignori urbes maritimæ Vlissinga & Brila cum arce Rammekenia, quæ Anglorum præsidio tenerentur. Pactis conventis & subsignatis auxiliarium copiarum imperium Robertus Dudlæus, Northumbriæ Dux, & Leicestriæ Comes accepit, qui insigni Anglorum Procerum comitatu, ac pompâ ex Anglia solvit XIX. Decemb. Is cum Vlissingam appulisset, splen-

Fœderati Ordines jus supremæ potestatis deferunt Reginæ Angliæ, quod illa detrectavit.

Robert. Dudlæo defertur summa Provinciarū fœderatarum præfectura.

ſplendidè ac honorificè ſummo cum civium plauſu & gratulatione exceptus eſt. Indè in Hollandiam profectus, Dordracum appulit pridie Cal. Jan. Die poſtero Hagam tendit, & VII. Id. Jan. 1556. in frequenti conſeſſu Ordinum, Elbertus Leoninus nomine Ordinum orationem habuit, quâ delata illi ſumma Provinciarum præfectura, ſalvis privilegiis, & receptis conſuetudinibus; ſupremum inſuper imperium rei bellicæ terrâ, marique: & ſimul, contrà quàm convenerat, eum Gubernatorem renuntiârunt, quod ægré tulit Regina, & clientis ſui arrogantiam acerbè increpuit. Verùm ille arbitratus factam ſibi plenariam quidvis agendi poteſtatem, poſthabitis Privilegiis, inconſultis Ordinibus, poſteà Gubernationis ſuæ limitationem nullus admiſit. Perluſtratis exindè Hollandiæ Civitatibus, nihil non ſibi arrogavit, fixit leges, atque refixit, auctoritatis ſuæ fiduciâ. Ac primùm diſciplinam militarem innovavit: Edicto publico commercia cum hoſtibus eorumque ſociis prohibuit, quo offenſi mercatores, plurimi Belgio relicto, Hamburgum, Bremam, Embdam & in alia loca maritima migrârunt, negotiationibus eò tranſlatis.

Dudlæus omnia pro ſuo arbitratu gerit.

Hæc dum in Hollandia geruntur, Farneſius obſidionem Graviæ Carolo Mansfeldio mandaverat. Sita eſt ad ſiniſtram Moſæ ripam, in agro fertili & amœno, duabus leucis à Raveſteinio, quatuor à Sylva-ducis. Oppidum ambitu quidem exiguum, ſed naturâ muniтiſſimum; nam maximâ parte à Moſa lambitur, & prætereà valido vallo, & firmiſſimis magnæ molis propugnaculis cingitur. Præerat oppido Toparcha in Hemert, nobilis Geldrus, cum præſidiariis quingentis, præter oppidanos imbutos militiâ. Ergò Mansfeldius rem aggreſſurus, Moſæ fluentum ſuprà infraque Graviam, acutâ cuſpide contis interclusit, ſtratoque ſuper palos ponte, additis utrimque propugnaculis, in eam aditum ſimul præcluſit. Poſt trimeſtrem obſidionem, Leiceſtrius belli auſpicia facturus, perfoſſis Moſæ aggeribus, aquas latè in ſubjectos campos immittit, & cymbarum ope annonâ, pulvere bellico, ac milite inſtructis commeatum in oppidum importat. His auditis, Farneſius collectis copiis, in caſtra properat menſe Maio, & diſpoſitis transMoſam viginti & quatuor tormentis, urbem ab utraque fluminis parte aſſiduis ictibus pulſat, editaque magnâ murorum ſtrage, & turre ingenti everſâ, cuncta ad oppugnationem inſtruit, quam imminentem cum videret Præfectus, VII. Id. Jun. colloquium poſcit, eaque conditione oppidum dedidit: „Ut milites cum armis & ſignis explica-

1586. Gravia à Farneſio obſeſſa: inque ejus poteſtatem concedit.

„tis & impedimentis dimitterentur. Egressi circiter mille præsidiarii, qui Bommeliam deducti sunt. Reperta sunt in urbe tormenta ænea septem & viginti; bellici pulveris dolia centum & octo; & annona in annos sufficiens. Hemertius, ubi Bommeliam venit, jussu Leicestrii, ob præproperam deditionem, comprehensus, unà cum duobus centurionibus securi percussi sunt.

Venlonam ad deditionem compellit.

Deditâ Graviâ Farnesius Megam, ad sinistram Mosæ ripam, & Batenburgum ad dextram primo impetu occupat. Indè sparso sui terrore, non intermisso victoriæ cursu, ad Venlonam, urbem in Menapiorum finibus, Mosæ imminentem, castra posita, stratoque super amnem ponte, insessisque aditibus, prima expeditio fuit ad Insulam urbi proximam, arce fossaque munitam, ac præsidio firmatam. In hanc Farnesius cum delecta militum manu irruit: ad cujus nomen exterriti Insulæ defensores, desertis illicò stationibus, in oppidum se receperunt. Tum tormenta contra urbem diriguntur, quo conspecto, oppidani cum numero vincerent, præsidiarios ad transigendum adigerunt. Missi igitur qui urbem traderent, quam Farnesius in suam potestatem accepit hac lege: „Ut præsidiarii absque armis signisque egrederentur: Qui Catholicam religionem profiteri nollent „se tutò post evolutum semestre, aliò se reciperent.„

Novesium obsessum à Farnesio & expugnatum.

Captâ Venlonâ promotisque castris vj. Id. Jul. Novesium venit, & Rheno transmisso, locum castrorum designavit, cunctosque se operi accingere, hos humum, fasces & virgulta erigendis munitionibus subvectare, illos in flumine præcludendo, alios ducendis fossis insudare jussit; Indè tormenta admovit, quà facilior ad oppugnandum accessus videbatur. Urbem tuebatur Hermannus Fredericus Clöetius, nobilis adolescens, impiger juxtà ac strenuus, cum mille ac sexcentis præsidiariis, & duobus equitum signis, præter cohortes manipulosque complures oppidanorum. Verùm antequam oppugnationem ordiretur, placuit Farnesio, quâ erat animi mansuetudine, per tubicinem præsidiarium militem vocare ad deditionem, impetratoque spatio ad deliberandum, dùm Farnesius inter inducias & armorum cessationem ad colloquium accedit, obsessi infestâ sclopetariorum displosione, colloquium abrumpunt, penè ut ictuum grandine obrueretur ipse Farnesius, qui tamen stomacho ad præsens compresso, novas molliores que conditiones offert: tandem Novesiani iis spretis, respondent: „Urbem esse juris Cæsarei, quæ neque „ad Hispaniarum Regem pertineat, neque verò Archiepiscopi Coloniensis ditionis sit. Quo responso irritatus Farnesius, illicò triginta muralibus tormentis mœnia à mane ad vesperam conquassare cœpit,

pit, illataque duobus locis ampla ac legitima ad irrumpendum labe, festo S. Jacobi die, Hispanis religioso, aggressionem edicit, datoque signo, Regii magna vi irrumpunt. Acriter utrimque pro labe pugnatum: ab oppidanis pro salute, & à Regiis pro victoriâ certantibus. Eoque in conflictu cùm Cloëtus sclopeti ictu graviter læsus, à pugna discedere cogeretur, ejus discessu obsessorum animi sensim frangi & languescere cæpêre. Postridie redintegrata verberatio ad portam Rhenensem, cumque in eo essent Hispani, ut vim tentarent, subitò ignes artificiosi ad duarum turrium defensionem parati pulverem nitratum, haud longè indè sepositum, invaserunt, & miserabili incendio complures domos in urbe depasti sunt. Indè occasionem nacti Hispani, vim faciunt, defensoribus metu incendii huc illuc diffugientibus: ab altera parte Germani, Belgæ & Sequani urbem quoque invadunt, obvios quosque trucidant, multaque omnis generis hominum cædes passim facta. At Cloëtium, cum è vulnere pridem accepto saucium in lecto decumbentem reperissent, laqueo collo injecto strangulatum, ac præterea cum eo duos ordinum ductores, & Calvinianum ministrum è fenestra suspendunt. Et ita munitissima civitas, leucis quatuor Coloniâ distans, ad quam Carolus Audax cum valido exercitu annum integrum hæserat, paucorum dierum spatio expugnata est.

Indè Meursium oppidum, & Alpenum arcem in fidem accepit, quibus præsidio firmatis, Farnesius Berkam, Rheno flumini adjacentem, tendit, quam valido præsidio tenebant Schenckius & Morganus: neque deerant immani mole propugnacula, commeatus, tormenta bellica, pilæ ferreæ, sclopeti, aliaque id genus ad propulsandam obsidionem. Explorato attentius loco, præscribit militiæ ordinem, Præfectisque munia distribuit. Medio flumine non urbe procul sita est insula, quam inter & urbem, bellicæ aliquot naves, & in insula statio militaris, ad arcendos hostes excubabant. Hâc expugnatâ, Regii castellum excitant, advectisque tormentis, præsidio firmant. Dehinc, quâ parte Berka continentem aspicit, geminas munitiones, sistendis hostium excursionibus, erigunt. Interim Leicestrius Comes contracto exercitu, quem octo peditum millia, atque tria equitum millia implebant; in Zulphaniæ Comitatum irruit, ac Doesburgum oppidum, ipsi crepidini fossæ Drusianæ impositum, obsidione cingit. Jactis aggeribus, tormenta decem admoventur, quorum displosione cum ingens murorum strages edita esset, præsidiarii non expectatâ oppugnatione, vitam incolumem pacti XVII. Cal. Oct. oppidum dedunt. Cujus rei famâ excitus

Berka obsessa.

Doesburgum Leicestrio deditum.

Farnesius soluta Berkæ obsidione Zutphaniæ commeatum & annonam importat. Farnesius, munitis quæ circum Berkam occupaverat locis, obsidium solvit, & Zutphaniæ annonam importat, quæ cum vix in mensem sufficeret, mox copiosiorem commeatum ipsis Cal. Oct. induxit, Leicestriosque loco cedere coëgit.

Interim subortâ in Britannia seditione, Leicestrius trajecit in Angliam; quo absente, cum Ordines fœderatarum Provinciarum deliberarent de conscribendo exercitu, ille in Hollandiam rediit; indignatus ità prostitui auctoritatem suam, atque injuriam sibi factam *Leicestrius secedit in Angliam.* scripto publico divulgavit. Detectâ tandem conspiratione Lugdunensi, fides Leicestrio abrogata, omnesque sibi adversos habuit. Itaque non diutiùs sibi in Belgio commorandnm ratus, collectis vasis in Angliam rediit inglorius, ac post tres menses imperio renuntiavit. Et Farnesius Zutphaniâ præsidio & commeatu abundè communitâ, asperâ jam hyeme Bruxellas concessit.

1587. Initio anni 1587. Farnesius arcem Wouwensem naturâ & arte munitissimam, haud procul à Bergis-ad-Somam sitam, viginti florenorum millibus redemit, tradente eam Marcantio Gallo præsidii Præfecto. *Daventria Farnesio tradita.* Eodem tempore Daventria in Farnesii potestatem quoque venit: Ea Transiselaniæ est Princeps, sita in dextra Isalæ ripa, sesquimilliari infra Zutphaniam, versus continentem fossis & muro præalto turribus distincto munita; ex altera parte fluvio & portu, quem Isala efficit, firmata. Præerat urbi Gulielmus Stanlæus, illustri loco in Anglia natus, Catholicæ Religioni impensè addictus. Is urgente conscientiâ, cum Tassio Zutphaniæ Gubernatore egit de restituenda Regi Daventria. Eo Consilio sub vesperam exit, & ut faciliùs conatum exsequeretur, ex Hibernis rei conscii duplices excubias ante urbis portas disponit, quorum ope patefactis primo diluculo portis, cum Tassii sexcentis sclopetariis, & quadringentis equitibus, urbem in suam potestatem redegit & Tassio consignavit. Eodem die quo Daventria amissa est, Rolandus Jorco, Eboracensis, propugnaculum nobilius ad Zutphaniam Tassio similiter tradidit. Hâc jacturâ perculsi Ordines, Anglorum gentem perfidiæ, ac proditionis insimulabant, & futurorum metu anxii, conventum Hagæ indicunt, resumptâque pristinâ potestate, quam illis ademisse sibi videbatur Leicestrius, *Mauritius Nassavius Gubernator fœderatarum Provinciarũ renuntiatur.* Mauritio Nassavio, Gulielmi Auriaci ex Anna Saxoniæ filio, Provinciarum Gubernatorem renuntiant, delatâ ei summâ auctoritate. Verùm, quod needum belli peritiâ polleret, Comitem Hohenloium ei adjungunt, qui juveniles impetus moderaretur.

Annonæ difficultas. Eâ tempestate tanta frumentariæ rei difficultas Flandriæ Brabantiæque incubuit, ut passim ad propulsandam famem, ex omni genere

rere leguminum panis conficeretur, hominesque viribus exhausti, simulacrorum specie, huc illuc vacillantes, in medias plateas prolapsi, animam agerent; imò plures integræ existimationis, sub vesperam incogniti panem ostiatim mendicarent. Et ut alia ex aliis mala nascuntur, sibique alternis vicibus succedunt, famem pestilentia excepit, quæ grassata per Provincias, ingentem mortalium stragem densatis funeribus edidit.

Laxatâ jam annonâ, Dux Parmensis exercitum cogit, & Slusas, oppidum munitissimum in ultimâ Flandrici maris orâ, que Zelandiam spectat, coronâ cingit. Et primò Blanckebergense propugnaculum, pari ferè inter Ostendam & Slusas intervallo, adoritur & expugnat. Intereà Altapennius, strenuus Hispanicarum partium Tribunus, oppidum Geldram, undè Geldriæ regioni nomen est, pactus cum Potonio Scoto, qui ei præerat, in se traduxit. Diversâ parte, Hohenloius, qui ad Sylvam-Ducis castra posuerat, ut Parmensem à Slusæ oppugnatione avocaret, cæso Altapennio, Engelam arcem, urbi proximam, sui juris fecit. *Slusa obsidium.*

Jamque acriter oppugnabantur Slusæ. Pulsatus locus admotis quatuor & viginti muralibus tormentis, stragesque murorum edita ducentos amplius passus lata, ad eam septies repetitâ irruptione acerrimè pugnatum. Cumque per dies octodecim defensores locum tutati essent, Ordines fœderati legationem ad Leicestrium decernunt, poscentes, ut in provinciam redeat, & obsessis suppetias ferat. Ille optimam occasionem nactus, quâ, aliquo egregio facinore, præteritas offensiones ex popularium animis deleret, protinùs ex Anglia, cum septem peditum millibus, atque equitibus sexcentis solvit: Et cum se in tempore venisse speraret, rem, votum & opinionem superasse comperit; nihilominùs, ut aliquod pretium curæ faceret, Blanckebergense propugnaculum aggreditur, & post aliquot campestrium machinarum contra illud displosos ictus, veritus ne Parmensis obsessis subveniret, Ostendam concessit. Igitur Slusani, cum omni se auxilii spe destitutos cernerent, pridie Non. Aug. perhonorificis conditionibus, urbem dedunt: „ Ut præsidiarii „ cum armis & sarcinis omnibus, explicatis signis, tympanis pulsantibus, sclopetorum funiculis accensis exirent, & ad Zelandicas na-„ ves deducerentur. *Slusa leges à Farnesio accipit.*

Slusis captis, occultæ simultates inter Leicestrium & Ordines in apertum odium & publicas contentiones eruperunt. Oppidi jacturam Leicestrio in Ordines rejiciente, quod cupienti sibi hostem depellere, militem, pecuniam & cætera malignè administrassent: *Contentiones inter Leicestrium & Ordines.*

Quæ

Quæ ad belli molem conferrent vix præsidiis sufficere, nedum bello sustinendo: addebatque si bello gerendo impares essent, pacis viam cum Parmensi minimè interclusam. Querebantur Ordines, illum summam imperii potestatem, quam sibi servârant, ad se trahere; præfecturis admovere Anglos, exclusis indigenis optimè de Repub. meritis, seditiones moliri, & Ultrajectensibus auctorem fuisse, ut res suas à communi Belgicarum Provinciarum Concilio segregarent, & plura hujusmodi. Quæ cum non laterent Elisabetham Reginam, illa metuens ne huic flammæ ampliorem fomitem subministraret Leicestrius, eum maturare reditum, Belgiique gubernaculis cedere imperavit: Paruit, & sub initium Decembris in Angliam tranfretavit, ibique in Belgas imperium ejuravit.

Leicestrius cedit Belgii Gubernaculis.

1588. Annum aggredior post mille quingentos, octuagesimum & octavum, quem Joannes Regiomontanus, uno ferè sæculo, ante hoc bellum mundi climactericum edixerat. Postquam Legati ad pacem ineundam inter Philippum Regem & Elisabetham Angliæ Reginam, Belgicarum rerum arbitram, per speciem compositionis tempus extraxissent ad Junium usque mensem, tandem fama formidatæ diu classis Regiæ, colloquium diremit. Tedebat regem Philippum diuturni belli, quod tot labentibus annis adversus rebelles sibi populos gesserat; quodque tam iniquæ causæ, non patrocinium solùm, sed & auxilium Anglia daret, non satis æquâ mente ferebat. Igitur ulturus injuriam, decernit magno exercitu bellum traducere in Angliam, tunc intestinis malis laborantem. Ad eam rem numerosam classem magno sumptu adornat, totumque triennium in ea instruenda insumptum. Apparatæ centum, ac triginta quinque naves, partim triremes & actuariæ; partim Gauli, (Galeones vocant) tantâ mole, ut arces veriùs, quàm naves viderentur. His impositi erant veteranorum militum viginti millia: Ad hæc nautæ navalesque socii septem millia & quadringenti quadraginta novem. Præter eà Nobiles & Spontanei cum famulis servitiisque mille & ducenti. Insuper instructa erat annonâ semestri, atque omnis generis commeatu, tormentis machinisque bellicis vicies quinquies centenis. Uno verbo videbatur Hispania in novas sedes migrare. Summum imperium Alphonso Perisio Gusmanno, Medinæ Sidoniæ Duci datum, generis fulgore, quàm rei militaris scientiâ majori, huicque vicarius attributus Joannes Martines Ricaldus. Nec cessabat interim Parmensis rebus in Belgio ad classem excipiendam, magnâ diligentiâ, comparatis: nam octo & viginti onerarias naves; planis carinis, ut sine noxa littus legerent, ferè quadragintas, partim emi,

Classis Regia ad invadendam Angliam missa.

par-

partim construi jusserat, nautasq; Hamburgo, Bremâ, Emdâ conduci curaverat; tum quicquid ad struendos pontes, portuumque aditus obturandos requiritur, studiosè parari jusserat. Navibus ità instructis, fossas duci curaverat, per quas copiæ maritimis oppidis acciperentur. Præterea circa Dunkerkam exercitum convenire jussit, numeravitque viginti & sex millia peditum, præter equites mille. Instruxerat etiam Regina plurium navium classem, cui præposuit Carolum Howardum summum maris Præfectum, huic adjunctus vicarius, ob rei maritimæ peritiam, Franciscus Dracus. Minores naves numero quinquaginta fretum, quod Doveram & Iccium portum interjacet, insidere jussæ. Majores centum numero naves, Plimuthæ stationem agere, ut indè, cum opus esset hosti occurrerent. Et quia rumor erat, Hispanos per Tamesis æstuarium exscensionem facturos, utramque ripam equitatu & cohortibus complet. Fœderatæ quoque Provinciæ classem instruunt, quam ità distribuunt, ut omnes portus à Scaldis ostio, ad Gravelingam usque, atque adeò Iccium Portum in Caletis insiderent, & Parmensem Dunkerkæ inclusum tenerent.

Interim pridie Cal. Junii solvit è portu Vlissiponensi Regia classis, quam vix provectam in altum, excepit tam atrox & fœda tempestas, ut momento temporis, naves disjectas in varias oras effuderit, ita ut tertia pars è tanto numero ægrè Corunnam Gallæciæ portum tenuerit, quasi Neptuno indignante tanto se pondere premi, imponique urbes Oceano. Subsidente tempestate, navigiisque in unum coäctis, cum rursus alto se commisisset, tandem mense Julio, die S. Jacobo sacro, venit ad ostium freti, seu canalis Anglici, Austro-Africo rectà Plimutham ferente. Si obsecundante vento, Sidonius protinùs in portum penetrasset, haud dubiè periclitatura erat Anglia, saltem Parmensi viam ad egressum commodiorem patefecisset: Verùm districta Regis mandata caussante Sidonio, qui sibi præscripserat nihil tentandum, antequam Parmensis mare ingressus, copias conjungeret, Plimutham præternavigavit. Quo periculo defuncti Howardus & Dracus, classem Anglicam portu educunt, regiamque assecuti, quæ pigrâ mole ferebatur, assiduis tormentorum ictibus quatiunt. Tum Sidonius classem in hemicycli formam contrahi, vela decumana adduci, ac minoribus velis remigare jussit. Tandem post dierum octo juge eminus certamen, & machinarum displosionem, ad freti Gallici fauces octavo Idus Sextiles pervenit, jactisque in conspectu Caleti anchoris, consedit, nuntios ad Parmensem missos operiens. At Howardus & Draco, qui & ipsi

Angli classi regiam adoriuntur.

ipſi in anchoris ſtabant Vectem inter & Caletum, naves octo ictibus laceras & fatiſcentes, pulvere nitrato, pice ſulphureâ, omniqueaiâ ad ignem alendum ſundendumque materiâ, completas, machinaſque bello inutiles, ſaxis, clavis, catenis ferreis oppletas, vento & æſtu ſecundo, intempeſtâ nocte in claſſem regiam immittunt. Hiſpani conſpicati ferales machinas, veritique inevitabilem ſtragem, quam gravido rates utero ferrent, non exſpectato Imperatoris, aut Præfectorum imperio, ſuccifis anchorariis rudentibus, ſublatiſque velis, in altum ſe dant. In hac perturbata rerum ſerie, triremis prætoria Hugonis Moncadæ, alterius navis rudentibus innexa, indè excuſſo gubernaculo ad Caletanum littus ejecta eſt, circumſeſſamque magno navium numero, Moncada diu ſtrenuè defendit, ſed eo inter pugnandum pilâ in fronte trajecto, multiſque ſimul ferro cæſis, aut fluctibus hauſtis, eâ Angli facilè potiti ſunt. Poſtridie Angli ad Gravelingam, quò claſſis ſe receperat, ex humilioribus navigiis continenti machinarum verberatione Hiſpanos infeſtant. Quò factum, ut duas naves ex vaſtiſſimis, ictibus laceras, ſalum abſorbuerit: quædam in vada impactæ, in Anglorum poteſtatem venêre: aliæ, furente Cauro, in Zelandiæ littora actæ, hoſtibus in prædam ceſſêre. Sidonius tot malis conflictatus, cum videret præcidi ſibi modum copias ſuas cum Parmenſibus conjungendi, Hiſpaniam repetendi conſilium cœpit. Igitur directis in Septentrionalem Oceanum proris, immenſo marium tractu emenſo, horrendiſque procellis per ignota maria, perque Syrtes & ſcopulos jactatus, tandem ad inſulam inhoſpitam in ora Scotiæ, appulit, conſilioque cum Ducibus habito, decretum fuit, ut quando res, cælo ac mari inimicis, eò redactæ eſſent, ut nullo conſilio, vi, aut virtute humanâ reſtitui poſſent, & contra ventos infeſtos pugnare, jam inclinatâ anni tempeſtate, temerarium videretur, claſſem dividerent, & quiſque in Hiſpaniam, quâ poſſet, curſum intenderet. Indè cum Orcades prætervecti, canalem inter Scotiam & Hiberniam ingreſſi eſſent, inhorreſcente ſubitò pelago, procellamque excitantibus ventis, naves reciprocante vehementiore æſtu collidi, mox toto æquore disjici: aliæ ad extremæ Daniæ & Norwegiæ fines propelli: aliæ ad Hiberniæ vadoſa littora illiſæ, cum vectoribus mari hauſtæ ſunt. Sexaginta omninò ſuperfuêre, quæ Hiſpaniam tenuerunt. Primores multi, vulgique pars magna, non multò poſt reditum vitâ exceſſêre, ſive contracto ex tam moleſta jactatione morbo; ſive animi ægritudine. Ita claſſis illa, terror Europæ, inſtar fulminis, tam citò evaneſcentis, quàm percellentis, fructu nullo disjecta eſt; adeò diſcrepant eventa conſiliis.

Claſſe injuriâ tempeſtatis conquaſſata cõvulſaq; Thalaſſiarchus remeat in Hiſpaniã.

Etſi

Etſi Parmenſem Ducem diſſipatæ claſſis infortunium conſternaverat, tamen quâ erat animi magnitudine, recenſitis copiis, jacturam hanc ſarciendam ratus, Bergarum-ad-Zomam expeditionem ſuſcipit. Et quoniam ex inſula Tola certior erat ad Bergas acceſſio, Marchionem Renthiscum cum delecta manu ad occupandam inſulam mittit. Sed male obſervato æſtus tempore, qui jam increſcebat, quadringentis ſuorum altâ uligine hærentibus, & deſtinatis telorum ictibus interemtis, caſſo labore reverſus eſt. Indè Bergas tranſlatus impetus. Oppidum hoc in extremis Brabantiæ ad occaſum finibus poſitum eſt ad amnem Zomam, qui oppido nomen dedit, & mediâ ferè infra id leuca in Scaldim influit. Oppidum inter Scaldimque caſtella erant duo, hoc marchionis, inde æſtu ſitus defenſa: quorum quod in Septentrionem vergebat, niſi in poteſtatem redigeretur, incaſſum petebatur urbs. Interim duo Angli, quos aliquando captivos detinuerat Parmenſis, Grimſtonius, & Redheadus, de tradendo caſtello, quod ad Aquilonem ſpectat, pacti cum Duce pretio, convenerunt. Condicta dies ad Non. Cal. Decemb. Jamque triginta & amplius intromiſſi erant, cum Wiloughbeius Anglorum præſidiariorum præfectus, de omnibus prius à proditoribus inſtructus, raſtrum, ſive penſilem cratem ligneam demitti juſſit, cæſis, aut captis admiſſis. Sed excluſum agmen, cum continuo alter alterum in anguſto loco ponè urgeret, nec pateret locus receſſus, versâ in deſperationem virtute, vi munitionem expugnare conantur. Jamque ſepimento è palis convulſo, in mœnia enixi, acriter cum præſidiariis dimicabant, ſed irrito ſucceſſu: quippe jam refluente æſtu, Parmenſis receptui cani juſſit. Cæſi pars magna, multi ſecretis undis aquis, cæcis voraginibus hauſti. Parmenſis itaque, quoniam ulteriori oppugnationi urbis per hyemis inclementiam, inter paludoſis, & cœno impervius locis, non licebat, ſatis habuit, occupatis aliquot in Bergenſi tractu munitionibus, valido cum præſidio, frenum excurſionibus Bergenſium imponere.

Bergæ ad Zomam à Farneſio obſeſſæ, at irrito conatu.

Inchoante Autumno, jubetur Comes Mansfeldius ad Wachtendoncham copias admovere; quod oppidum Sicambrorum, Neriæ amniculo adjacens, exiguum illud quidem, ſed intolerandis præſidiariorum excurſionibus toti Geldriæ infeſtiſſimum. Eam oppugnationem ſitus loci uliginoſus, vis hyemis ingruentis, & præſidium validum loco impoſitum, ancipitem reddebant. Sed ab obſeſſoribus aditibus ſeptis, aggeſtaque humo, propugnacula excitata ſunt, quæ ædificia oppidi deſpectarent, indeque ingentes excavati globi, ingeſto intus ſulphureo pulvere, per machinas in altum excuſſi, in oppidum immiſſi, qui ubi in tecta graves ex alto incumberent, ſimul incenſi, ac

Wachtendonka in poteſtatem Regis redacta.

plura in fragmina diſſilientes, inevitabilem tectorum, atque hominum inferebant cladem, adeò, ut habitatores nullos haberent receſſus, niſi in loca ſubterranea, cryptaſque. Hæc pernicies adegit oppidanos, ut exeunte Decembri, deditionem facerent: Milites gladio dumtaxat accincti, cum puro ſcipione, ad ſuos egreſſi, oppidum Manſfeldio ceſſerunt. Cæterùm, qui Montibus S. Gertrudis Ordinum imperio militabant, æra tumultuosè efflagitare cœperunt. Eſt autem Gertrudebergam oppidum in ſiniſtra Mervæ ripa poſitum, [illegible] nobile, ut uno die ſupra decem & octo Clupearum, S[illegible] & Acipenſerum millia, retibus & ſagenis capta, publicæ tabulæ [illegible]. Initio tumultus oppidanos exarmant, naves præte[illegible] nullo diſcrimine ſiſtunt & ſpoliant; pecuniam public[illegible] portoriis exactam, invertunt; circumpoſitæ reg[illegible] perant, denique omnia hoſtiliter agunt. Quoru[illegible] derati ut retunderent, Vere primo 1589. M[illegible] tunt. At illi tormentis petiti, paria re[illegible] ut præter [illegible] ex primariis belli Ducibus, Vil[illegible] ſummus [illegible] caderet. His tamen non territu[illegible], [illegible] cato exitu oppidum oppugnat, ed[illegible] cùm ad impreſſionem ſe accing[illegible] eſt, & qui ſequebatur dies, exund[illegible] imbribus fœdus, inhibui[illegible] intentus, lecta cum manu [illegible] militibus tranſegit, [illegible] ſolveret, ad quæ alia quina donati[illegible] prohibere non poterat, [illegible] drechtum ſe recep[illegible] ſevero edicto pro[illegible]. Hinc [illegible], [illegible] mentum [illegible], & egregiam [illegible]. Interim [illegible] Parmenſis, [illegible] Majo [illegible] Spadanas [illegible] dium [illegible] ni adjacentem [illegible] Hiſpanorum [illegible] ſeditio [illegible], e[illegible] ci L[illegible] ſed t[illegible] ſuppl[illegible] Parmenſi [illegible] ſigna [illegible].

Tumultus Montibus S. Gertrudis excitatus à militibus qui fœderatis militabãt ob æra non ſoluta.

1589.

Regias in partes tranſeunt

Farneſius proficiſcitur ad fontes Spadanos.

Seditio Hiſpanorum.

1590. Exeunte Januario Berka, ad Rh[illegible] oppidum, [illegible] Comiti Manſfeldio honori[illegible] conditionibus [illegible] eſt. Mox Hiſpanorum legio, cui [illegible] Vega præerat, ob [illegible] ſoluta

Berka Comiti Manſfeldio dedita.

ſoluta complurium menſium æra, obſequium negat, Cortracum occupat, frena omnis licentiæ laxat, neque placari poteſt, niſi repræſentatâ pecuniâ. Sub finem Februarii Mauritius contractis copiis, ſimulat Gertrudenbergam intendere iter: qui Bredanæ arci præerat Gubernator, eò confeſtim advolat, ne fortè incautos hoſtis opprimeret. Inde captata occaſione, Mauritius cum nauta, qui de more ceſpites, paludoſo ſolo erutos, in arcem navigio advehebat, paciſcitur. Includuntur intra carinæ tabulas, notamque Bredanis alvum, ſeptuaginta lectiſſimi milites, quos tenui interjectu contegebant ceſpites. His præerat Carolus Herangerius, è Nobilitate Cameracenſi Centurio. Quinto Non. Martii, Sole occidente, intra aquæ ſeptum, quod arcem propter eſt, ſubvectus, præſidiarii navem parte onerum levare cœperunt; verùm ingruentibus tenebris, non ultra levata eſt. Media nox erat cum Herangerius pinea clauſtra laxat, cavoque robore milites educi jubet. Egreſſi inobſervati excubitores obtruncant, arcemque ſomno ſepultam invadunt. Tandem accepto rei benè geſtæ ſigno, adeſt Hohenloius cum parte Mauritiani exercitus, qui ſpeculabundi non procul ſubſtiterant. Qui autem in ipſa arcis [illegible] ſe receperant præſidiarii, poſt acrem eruptionem repulſi, vitam ſalvam pacti, arcem tradiderunt. Itali quibus commiſſa oppidi tutela, ad armorum ſonum exterriti, turpi fugâ ſaluti conſuluerunt. Oppidum præſidio nudatum, trimeſtri ſtipendio [illegible] redemit. *Breda arx capta.*

Sub exitum Aprilis Henricus Navarræ Rex, exercitu cinxerat Lutetiam Pariſiorum. [illegible] ac poſt [illegible] [illegible]. Dein, cum plerique [illegible] Nemurſii, qui Urbi præerat, [illegible] habebatur, continuò conſcii in pœnam rapiebantur. Tum de ſumma rerum amica colloquia haud raro inita, ſed [illegible] promovebant, [illegible] Mayennio, cui Senatus [illegible] in Regnum [illegible] decreverat, [illegible] ſubſidia, [illegible] [illegible] [illegible] erat, ut urbs tam ampla [illegible] & [illegible] ſub jugum mitteretur. Jamque ad eas anguſtias redacta erat, ut non procul abeſſet à ſupremo exitio, inuſitatâ fame in omnes ſine diſcrimine ſæviente. Miſeri cives, tenues præſertim, quorum deterior eſt ſemper in omni obſidione conditio, conſumptis omnibus cibariis, frondes arborum, ſtirpes, herbas vellentes, ac oleo, aliiſque & fœtenti ſevo incoctas, famelico ventri ingerebant. Matres parvulos natos complexæ, cum miſerabili fletu Divorum hominumque fidem obteſtabantur; ſæpeque ac- *Pariſiorum obſidio.* *Fames Pa-[illegible]*

 cidit,

cidit, ut cibum quem multis lacrymis ab aliis extorserant, ex ore detractum hiantibus filiolis porrigerent, ipsæ deficerent; hoc uno felices, quod charissima pignora eadem fame morientia, videre non cogerentur. Traducto per eam miseriam Junio, magis deinde ac magis augebatur fames, & paucissimis admodum suppetebat panis. Jamque absumptis equis, canibus, felibus, muribusque, tùm siccas animalium pelles in cibum vorârunt: neque etiam humanis [illegible]bus abstinuerunt, puerosque, quos fames extinxerat, in [illegible] vertisse constat. Superstites ipsi ob alimenti penuriam, artus ægrè trahebant, pallebant ora, corpora sine succo & sanguine [illegible]rant, oculi in suis orbibus retrusi atque abditi, tempora [illegible], arida pectora, hærens ossibus cutis, incredibilis [illegible] macies. Hic erat status, hæc facies florentissimæ urbis, [illegible]tio gentis Deo & Religioni fidelissimæ, quando Dux Parmensis bonorum omnium votis & precibus expetitus, collecto [illegible] & validissimo exercitu, quarto Id. Aug. [illegible] movet, & sub Augusti exitum Meldas venit. Ea in urbe opperiebatur cum Mayenius. Indè castra movet, rectaque Parisios contendit [illegible] obsidionem. Rex vero de Parmensis adventu certior factus, Cellas versus cum toto exercitu iter intendit, quo [illegible] metatores Parmensis venerant, designabantque hospitia. Ibi levibus aliquot præliis certatum fuit: postridie utrimque ad pugnam instructa acie, nulla re memorabili gestâ. Interea Rex [illegible] ad Mayenium [illegible], ut prælii copiam faceret, cui Parmensis: Hoc, inquit, Domino tuo
„ Regi perfer: In Galliam me venisse, Religionis Catholicæ tuendæ
„ gratia, & urbis [illegible] ab obsidione, [illegible] videlicet
„ ratione, [illegible] prælio [illegible]
„ tare, tunc [illegible]
„ gio constiturum. [illegible], copias ad Lagniacum vertit, urbem ad Matronam [illegible] templo [illegible], [illegible] pulsis, editaque [illegible] labe, oppidum sub Regis oculis captum est. Urbe capta, ingens per Matronam commeatus in urbem invectus. [illegible] Parisiensis obsidio, quæ Parmensis Ducis prudentiæ atque peritiæ, libertatem debuit.

Farnesius soluturus obsidium, cum exercitu Parisios tendit, ac commeatu urbem recreat.

Lagniacum captum.

Inde ne [illegible] torpesceret ad Corbolium oppidum [illegible] tura & præsidio munitum, castra posita, in [illegible] propugnatoribus, tandem ingenti [illegible], [illegible] XVII Cal. Novemb. & post acre ac obstinatum certamen [illegible] captum est, [illegible] trucidati, ex[illegible] oppidum direptum.

Corbolium captum.

Appetente jam hyeme jamque [illegible] gravi[illegible]bus,

bus, Parmensis re feliciter confectâ, ac Lutetiæ solutâ obsidione, ovanti similis, ineunte Decembri, in Belgium revertitur.

Occupatis Parmensis in Gallia armis, Mauritius beneficio utendum ratus, Noviomagum, Geldriæ metropolim intempestâ nocte aggreditur, admotisque frustrà ad portam Asininam crepitaculis, vim adhibet, ac integro mense majorum tormentorum globis in urbem detonat. At ubi vi nil pronovet, in proximo littore munimen Knodsenburgi nomine excitat. Inde Thenas vetustum & vastum Brabantiæ oppidum intercipit & vastat. Mox oppidum Burick ad Rhenum occupat; arces Hemertanam prope-Silvam-Ducis, ac Helensem; propugnaculum Ter-heyden juxta Bredam, & oppidum Steenbergam in suam potestatem redigit; & Dunkerckam structis insidiis frustrà tentat. Interim Venloënses pertæsi insolentiarum, quas à præsidiariis patiebantur qui nihil pristinæ disciplinæ militaris retinebant, conspirationem conflant: Et dum Benthemius urbis Præfectus, [illegible] peditum legione distinetur, ipsi validiores Italos Germanosque ejecerunt.

Noviomagum frustrà à Mauritio tentatum.

Thenas intercipit, Burick & Steenbergam occupat.

Venloenses præsidiarios pellunt.

Mense Maio insequentis anni, qui fuit à Christi natali 1591. Mauritius [illegible] fortuna, cum centum omnis generis navibus Mosam intrat, sparsâ famâ Silvam-Ducis, aut Gertrudisbergam peti. Mox subito in Rhenum flexu Arnhemum tendit. Tum, ut sui juris faceret propugnaculum, quod amne discretum, Zutphaniæ objacet, dolum struit in hunc modum: Illucescente aurorâ duodecim delecti ex Doesburgo præsidiarii, Duce Francisco Verio Anglo, agrestium [illegible], cum mercimoniis [illegible] contendunt. Intromissi, arma vestibus [illegible] expediunt: repente prosiliunt qui in [illegible] latebant, [illegible] ponte sublicio, loco potiuntur. Ad felicem [illegible] accurrit Mauritius, ponteque navali Isalæ imposito, [illegible] connectit; tum urbem cingit, ductoque vallo [illegible] urbem [illegible] quatit. Oppidani, [illegible] improvisi [illegible], sibi tamen minimè desunt, [illegible] que intus moliuntur. Verùm cùm pauciores essent, quàm ut mœnium amplitudinem tuerentur, ac [illegible] ab annona & pulvere multum laborarent, sexto Cal. Jun. deditionem fecerunt.

1591.

Mauritius Arnhemo potitur.

Indè Daventriam ducit exercitus. Præerat urbi Hermannus Comes S'herenbergensis, Mauritio propinquus sanguine, cum præsidio [illegible] equitum, & peditum vexillis quatuordecim. Mauritius vallis properè munitis, flumen navibus claudit, [illegible]que [illegible]litus

Daventriam sub jugum mittit.

aditus milite insidere jubet; dein continuatis machinarum ictibus, ubi nonus dies illuxit, ante mœnia aciem ostentat. Tum naves in alveum, quo amnis urbem allapsus excipitur, advectæ, impositoque ponte, oppugnationem parat, sed ponte breviore reperto, quàm ad aggerem usque pertingeret, conatus frustra fuit. Tandem cùm oppidanis, & inclusæ turbæ, victus in longam obsidionem non sufficeret, ne pulvis quidem quo tormenta excuterent, permissu S'herenbergensis colloquium poscunt & in eas leges transigunt, ut præsidiarii sub signis, cum impedimentis ad suos incolumes exirent. Inde Mauritius exercitu navibus imposito in Groeningensem agrum exscensionem facit, Ementillam, Delfziclam, aliaque munitiones expugnat. Interim Parmensis, iter cum exercitu maturabat, ut Daventriæ succurreret, quam ubi amissam cognovit, Noviomagum versus movet, & castellum Knodsenburgum [illegible] jubet. Eâ occasione Mauritius, [illegible] Frisii, exercitum in Geldriam reportat: Cumque Arnhemum venisset, aliquot equitum turmas, peditumque centurias in insidiis locat; Pars [illegible] gius progredi jussa, Regios elicit, pugnatur [illegible] quadraginta ex Mauritianis, fugiunt [illegible] Regii, donec exsurgentibus insidiis, à fronte & à tergo [illegible] & fortissimus quisque in vestigio [illegible] Parmensis [illegible] pugnatione Knodsenburgi [illegible] & Verdugio exercitus imperat[illegible] conflictabatur, Spadanos [illegible]

Farnesius Knodsenburgum frustrà circumsidet.

Stratagema bellicum.

Hulstum à Mauritio receptum.

Interea Mauritius [illegible], partem exercitus in W[illegible] regionem tradu[illegible] & [illegible] castra posuit: At præsidiarii [illegible] nendæ oppugnationi [illegible], quinto ab obsidione die, oppidum Mauritio tradidêre.

Similiter Noviomagum.

Rebus ita [illegible] modum fluentibus, Mauritius [illegible], Noviomagum rursus [illegible], & exposito milite [illegible] castra [illegible] circumdato valle munit. Consilium obsi[illegible] ad aliquot dies [illegible] tueri, dum Verdugius, cui [illegible] obvenerat, obsessis subveniret, aut auxilia summitteret. Tandem cùm is nusquam compareret, de deditione [illegible] Pleraque quæ postulabant obsessi, abstulerunt, sed usu Catholicæ Religionis [illegible] gatus.

Rothomagus à Rege Galliarum obsessus.

Rex interea Galliarum de obsidendo Rothomago consilium [illegible] perat. Eam urbem oppugnandam [illegible] ad [illegible] Angliæ Reginæ, quæ eam in rem [illegible] Anglorum millia [illegible] [illegible]trabat; & Fœderati Ordines [illegible]

tantum

torum decem, totidem Belgarum centurias mittebat. Ad hæc Prin-
cipes, & Civitates Germaniæ protestantes, equitum quinquies mille
quingentos, pedites undecies mille scripserant. Continuo locatis
circa urbem copiis, fossam & aggerem duci Rex imperat, quo in
opere totus December insumptus. Interim Parmensis sub finem No-
vembris Bruxellis proficiscitur, cum decem peditum millibus, equi-
tum [illegible]bus, tormentis quadraginta, ac duobus curruum millibus.
Postquam Landrecium venit, [illegible] aliquod oppidum mu- *Parmensis obsessis [illegible]*
nitum ad receptum commodum & deponenda tormenta; Fara Ve-
romanduorum in pignus data. Tum Peronam, dein Abbavillam
progressæ copiæ. Quo cognito, Rex, relicto ad Rothomagum Bi-
rone, cum flore nobilitatis, ac delectis cohortibus equitum pedi-
tumque, iis occursurus advolat, & in primam Parmensis exercitus
aciem impetum facit. At Parmensis, qui ob afflictam valetudinem *Parmensis*
lectica vehebatur, sclopetarios equites immittit, quibus hinc inde *congreditur*
incumbentibus, Regii turbatis Ordinibus sensim se recepêre, Rege *cum regiis*
in ipso prælio sauciato, glande renem, qua lorica deficit, delibante. *1592.*
Postea Parmensis instructa acie semper progrediebatur, castra in
apertis campis muniens, ne a Rege circumveniretur. Tum inter bel-
li Duces consultatum, quo ducendus esset exercitus. Discessum est
in varias sententias, postremo decretum, ut ad Coudebecum admo-
veretur; oppidum id est Rothomagum inter & portum Gratiæ si-
tum, tunc copioso commeatu & cætero belli apparatu instructissi-
mum, quo expugnato, annona in eo congesta nullo negotio Rotho-
magum importari poterat. Postridie, dum Parmensis positum loci *Parmensis*
contemplatur, glande plumbea missa in brachio ictus est, cubi- *dum situm*
tum inter & carpum, suoque sanguine Gallicum solum irriga- *Coudebeci lu-*
vit, nec ideo vir fortis ad curationem recessit, donec mandasset quæ *strat vulne-*
ad oppugnationem erant necessaria. Mox impetita tormentis Bata- *ratur in bra-*
vorum classe, quæ portu Oceani urbem tutabatur, coactus est ab- *chio.*
scedere, & [illegible] oppidum, quarto [illegible] Maii deditio-
nem pacti sunt. Inde continuis velitationibus Regem ad pugnam
provocavit, atque interea octoginta naves omni genere commeatus *Rothomago*
& annonæ onustas in portum Rothomagensem feliciter intulit. Dein *commeatum*
exercitum trans Sequanam transportat & in utraque amnis ripa duo *infert.*
propugnacula ponit sibi obversa, ad coercendos Regiorum impetus,
& quarto post die Carentonem supra Parisios venit: inde Theodorici-
castellum se recepit, ubi cum dies quindecim substitisset, salvo exercitu
& soluta Rothomagi obsidione, tam memorabili receptu revertit in *Revertitur*
Belgium ut maximi Imperatoris laudē apud omnes rei bellicæ Duces *in Belgium*
inve-

inveniret. Paulo post ex Medicorum consilio ad fontes Spadanos se confert; & quidem ad recuperandam valetudinem diligentiam omnem adhibuit, sed frustra, jam enim morbus ita invaluerat ita Principem confecerat, ut vivus mortui referret imaginem, ut mirandum non sit, languente tam strenuo pugnatore, animum hostibus auctum, resque crevisse in Belgii perniciem semper incumbentibus. Dumque valetudini dat operam, Mauritius quinto Cal. Junias ad Steenwicam castra ponit, oppidum id est in Transisselania, quod ab Antonio Cocquellio, strenuo viro, cum quindecim signis tenebatur, qui ad extrema quæque patienda suos cohortatus, exemplo & periculi participatione firmavit. Mauritius vallo ducto, violenta tormentorum dispositione muros pulsat. Cocquelius se non defendebat, sed crebris eruptionibus magnam hostium stragem edebat. Igitur redintegrata verberatio, & amplior ruina edita, minimè tamen defensores animis linquebantur, sed crebris eruptionibus hostem infestabant. Intereà Verdugius indignum ratus fortes viros ad exitium certum expositis, negligi, ducentos delectos cum totidem saccis pulveris nitrati auxilio summittit. Ex his centum & decem, ferro sibi viam facientes, intra urbem penetrarunt, reliqui partim cæsi, partim in fugam acti. Tandem secunda die Julii commeatu acto, et dejectâ valli parte, oppugnatio tribus simul locis tentata, & non sine damno depulsa. Postridie Cocquellius militum numero defectum reperitque vix trecentos integros, nec supra quinquaginta pulveris nitrati libras. Quare petito colloquio de deditione agi cœptum. Audiri Legati, sed subinde de conditionibus contentio, quod Mauritius perfugas in pœnam postularet: tandem leges accepére, nec inhonestas, nec graves: ,, Ut præsidiarii cum armis, impedimentisque incolumes dimitterentur; fide datâ, intra semestre ultra Rhenum contra Ordines non militaturos.

Tertiò confert se ad fontes Spadanos.

Steenwica acriter oppugnata, nec minus fortiter propugnata, cum Mauritio paciscitur.

Inde ad Ootmarsum, oppidulum in Twenta situm, admota castra, quod protinus deditum. Mox Covordium itum, oppidum est per se munitum & arce tutum, totius Frisiæ propugnaculum. Dum castra muniuntur, Parmensis ad decus suum pertinere existimans, ut suppetiæ obsessis ferrentur, expeditas aliquot legiones cogit Verdugo Duce, ut cum hoste manum consererent, aut castris excuterent, At hostem se castris continentem, frustra lacessitum, cum ad certamen prolectare non possent, tandem, explorato castrorum situ, per opacum noctis, ea aggrediuntur, magna vi hosti. Anceps initio pugna fuit, perturbatis primum, ut ad improvisa, Mauritianis, tandem superveniente universo hostili exercitu, Regii cedere, multis

Covordium à Mauritio obsessum & captum.

tis

tis utrimque cæsis, ac sauciatis. Jam crebra displosione arcis propugnacula erant prostrata; & impressionem parabat Mauritius; primùm tamen obsessos ad deditionem appellat, qui deliberatione bidui habitâ, cum nullâ ope se recreandos viderent, arcem Mauritio permisêre pridie Id Septemb. eâ lege: „Ut Duces & Præsidiarii cum „armis, equis, & impedimentis, fune extincto, sine signis & tym„panis, in tutum deducerentur.

Interim Petrus Henriquez, Fontium Comes, citatis equis iter Bruxellam agebat, ut Parmensi Regis jussa communicaret: sed antequam adveniret, Parmensis quamquam afflictâ valetudine, tertiùm in Gallias iter ingressus erat. Erexerat omnium mentes exspectatione rerum futurarum, recordatione præteritarum: omnes, quid tertia illa expeditio produceret, suspensis animis opperiebantur. Pervenerat jam cum robore exercitus Atrebatum. Venientem Magistratus populusque faustis acclamationibus excepit & in Vedastinum Cœnobium deduxit. Recreatus eâ regionis temperie, ambulabat frequenter equo vectus, ut vires, & longa naturæ dispendia repararet: Verùm postridie Cal. Decemb. de media nocte vehementi capitis defluxu vexari cœpit, animoque linquens in tertium usque diem vitam produxit. Expiatum Christiano ritu sacrâ confessione, & Eucharistico pane refectum, inunxit sacro oleo Joannes Saracenus, Præsul Vedastinus, ac tertio nonas Decemb. ad meliorem vitam migravit. Sic finivit Magnus Alexander, viridi adhuc ætate, annorum octo & quadraginta, cùm quatuordecim annos in bello Belgico egisset. Procerũ humeris cadaver templo S. Vedasti illatum est; & sublimi compositum lecto, pro fulgentibus armis, habuit humillimum Capucinorum amictum; pro Galea cucullum; pro aurei velleris torque, è crassiore fune cingulum; pro equo lingneum capulum vili panno instratum. Hic fuit ornatus, hic cultus summi Imperatoris, ea siquidem fuit morientis voluntas. Ductum funus sine apparatu, pompâ & fastu; prosecutum à Proceribus militibusque dejecto mœstoque vultu. Audiebantur strepentia funesto sonitu tympana, hastæ à tergo, more militari, trahebantur, signa solum verrebant, mœror omnes occupabat. Sic defecit belli Dux clarissimus, prudentiâ, sollertiâ, vigilantiâ, felicitate Alexandro Macedonico simillimus, fessus prœliis, & expletus victoriis. Ab excessu Alexandri Farnesii Parmensis Ducis, summa rerum & vicaria potestas Petro Ernesto, Mansfeldio Comiti, committitur, donec Ernestus Austrius, Rudolphi Cæsaris frater, Regi sanguine & affinitate innexus, in Belgium veniret. Mox Mansfeldius Carolum filium Gal-

Parmensis tertia in Galliam expeditio.

Ejus obitus.

Ab excessu Parmensis vicaria potestas committitur Cõmiti Mansfeldio.

licæ expeditioni præfecit; dumque Belgicæ militiæ flos Gallico bello illigatur, Mauritius V. Cal. April. 1593. Gertrudis-bergam terrâ marique obsidione cingit, ac acerrimè oppugnat. Contrà obsessi, crebris eruptionibus egregiè hostium vim propulsant. At Mauritius cùm vi nil promoveret, propugnaculis excitandis castrisque fossâ & aggeribus cingendis, perdius atque pernox instabat, ut hoc munimento adversus hostiles insultus septus, obsessos arctiùs urgeret. Interim Mansfeldius undequaque copias accersebat, ut obsessis succurreret, urbemque recenti milite recrearet sed incassum: nam cùm Mauritii castra latioribus fossis, altioribus vallis, & firmioribus propugnaculis munita conspexisset quàm ut ea adoriri, aut perrumpere posset, receptui signum dedit. Obsessi postquàm tres menses obsidionem forti animo tolerassent, & omnis auxilii spes jam esset præcisa, 25. Julii urbem Mauritio permisêre.

1593. Gertrudis Berga à Mauritio occupata.

Mansfeldius propugnaculum Crepacordium aggreditur at irrito conatu.

Capto Gertrudis-fano, Mansfeldius diu quid ageret ambiguus, tandem copias Silvam-Ducis versus movet, & ad Crepacordium, munimentum in faucibus Disæ amnis situm, castra pònit. Re compertâ, Mauritius cum parte copiarum eò protinùs tendit. Quo cognito Regii semel atque iterum propugnaculum summâ vi adoriuntur, sed à præsidiariis fortitèr excepti, acri certamine conserto, repulsi sunt. In hoc conflictu multi utrimque desiderati, neque gregariis tantùm militibus, verùm & Holachio & Philippo Nassavio penè exitiale fuit. Tandem obstructo à Gorcomiensibus Disæ alveo, cum aquæ repressæ agros circumpositos latè inundarent, Mansfeldius non sine gravi jactura retrò pedem referre coäctus est, & parte copiarum in Frisiam missâ, ipse cum reliquo exercitu Bruxellas, nullo operæ pretio facto rediit.

1594. Ernestus Austriacus Belgii Præfectus à Rege dictus.

Annus 1594. Ernestum Austriacum Belgio regendo à Philippo Rege destinatum, excepit. Cum Herbipoli Servatoris nostri natalitia celebrasset, per Ubios & Menapios anno ineunte iter fecit, summâ ubivis locorum gratulatione & cultu exceptus. Tandem desinente Jano, Bruxellas ingreditur, triduoque ludicris certaminibus, hastiludiis, Circensibus spectaculis & hujuscemodi delitiis exacto, recitatis Regis mandatis, solennia præfecturæ, multâ gaudii ostentatione ei delata sunt. Mox, ut erat ingenio perquam sedato, & optimis moribus Princeps, de restituenda Belgicæ, tot tantisque bellorum procellis attritæ, pace & tranquillitate sollicitus, literas ad Ordines Fœderatos mittit, queis eos ad concordiam, pacisque stabiliendæ studium, diserto sermone invitabat. Sed dum hic quæ pacis sunt meditatur, illi, Mauritio Duce, tentatâ primùm irrito conatu Sylva-Ducis,

Ordines fœderatos ad studium pacis frustrà invitat.

cis, dein & Wica è regione Trajecti-ad-Mosam, exercitum in Frisiam ducunt, Covordium à Regiis obsessum, non modò liberant, sed & arces quibus ad oppidum commeatus præcludebatur, evertunt. Mox Mauritius Groeningam, Frisiæ occidentalis metropolim, obsidione cingit: Ubi castra fossis stationibusque securè munivit, sex propugnacula, subito opere excitavit, unicuique attributis ad præsidium sex pedestribus cohortibus, ac duodecim machinis. Oppidani, exili milite instructi erant, alioquin amplissimo commeatu, armis, telis, pulvere sulphureo, cæterisque quæ propugnandæ urbi conducibilia sunt. Mauritius cum per tubicinem de deditione oppidanos interpellasset, responsum accepit, non nisi post annum dilapsum, de re hujuscemodi deliberaturos. Ergò Mauritius fastum oppidanorum violentâ tormentorum ejaculatione ulciscitur, ac potissimùm turrim Drentanam, omni verberatione quatit, quæ non ferens tantam vim, tandem collapsa est. Jam labrum fossæ occupaverant Angli & Scoti, quos ut submoverent oppidani, nocte illuni erumpunt, & impressione factâ, magnâ clade afficiunt. Indè ad portam Dominicam acti cunei, crebrâ tormentorum fulminatione assiduè detonante, quam contrariâ pulsatione oppidani repellebant, ita ut ambiguum ab utrisque, unde major vis & strages. Intereà Ernestus Archidux, Antverpiam XVIII. Cal. Quintil. ingressus, solenni pompâ, quæque fidem narrationis excedat, inter festos plausus exceptus est, sed dum cunctatur & procrastinat laborantibus opem ferre, evertuntur antemuralia, murus etiam magnâ parte diruitur, tumultuatur inter cives: nam alii à Mauritio non alieni, de admittendo eo sententiam dicunt, cum nulla spes auxilii affulgeret: alii, iique ex sacro & patritio ordine, qui à Rege stabant, pro aris aditisque dimicandum profitebantur, & auxilia ab Ernesto exspectanda, neve altera factio prævaleret, ex suburbio in urbem admittunt Leukamam cum quinque cohortibus. Interim cuniculis portarum moles suffoditur, nitro sulphure fornices infarciuntur, & pulveri admoto igne, magna vi dehiscente terrâ, moles omnis funditùs evertitur, cives militesque turbine igneo dejiciuntur; alii hiatu terræ involvuntur; alii in proximum fluentum excutiuntur ustilati & laceri. Amissâ illa mole, consternatio oppidanos subiit, ac suppetiarum spe lapsi, se dedunt victoris in potestatem; & qui pridem annuam obsidionem ferre decreverant, vix trimestrem sustinuerunt. Pacta deditionis non omninò iniqua fuêre, nisi quod orthodoxa religio exulare jussa, & nova districtè imperata.

Mauritius Groeningam obsidione cingit.

Groeningani coacti sese dedere.

1595.

Pridie Cal. Feb. 1595. Ordines Fœderati Huyum arcem, mox oppidum astu interceperunt. Id ad Mosam positum loco amœnissimo,

Batavi Huyum per insidias occupant.

 Namur-

Namurcum inter & Leodium. Medium interluit Mosa, ponte lapideo stratus, oppido mons præaltus imminet, in eoque surgit arx insigni structurâ. Negotium datum Carolo Heraugerio, Bredæ præfecto, intercipiendis urbibus apprimè callido. Ille cum septem cohortibus peditum, & quatuordecim equitum centuriis, noctu iter faciens, vicinis locis suos abdit, tantum triginta delectos præmittit, qui nocte intempestâ reptantes per editam rupem, cui arx imposita, in summum evaserunt, & applicitis ad fenestram aulæ stupeis scalis, clathrisque vi submotis, in eam clanculùm penetrarunt. Postridie, qui dies in Dominicam incidebat, cum tintinnabulo pulsato, Præfectus arcis, cum paucis præsidiariis ad sacrum audiendum exirent, triginta delecti occupatâ portâ, & statione oppresâ, arce potiuntur. Tùm signo dato, Heraugerius ex insidiis prodit, totisque agminibus in oppidum effusus, id sui juris facit, arcemque valido præsidio firmat. Re compertâ Ernestus Bavarus Eburonum & Ubiorum Præsul, ac sacri Imperii Septem-vir ocyssimè ex Germania Leodium advo'at, scribit ad Ernestum Archiducem, petitque ut collatis viribus, operâ mutuâ, Huyensi nidulo, qui involârant milvi exturbarentur, antequam vires confirmarent, & cum Gallis qui Luxemburgensi Ducatui infesti incumbebant, se conjungerent. Addebat Namurcenses, Hannones, Brabantos, omni commercio & securitate spoliandos, interceptas transvectiones ex Germania Italiaque in Belgium iri, nec facilè militem è Burgundiæ comitatu Belgii provinciis adduci posse, si loca occupata hostis munire sineretur. Summâ itaque celeritate opus esse; se quicquid posset opis allaturum; simul milites, tormenta, annonam suppeditaturum. Sub id moritur nono Cal. Marti Ernestus Archidux, calculi doloribus oppressus, quem Belgis Deus ostendit tantùm. Princeps erat pacis amans, moderati ingenii & placidi, mensâ, cultu, satellitio frugalior, quàm tanti stemmatis Principem decebat. Ejus interitum tantò acerbiùs luxêre Belgæ, quantò certiùs à superstite pacem & inducias cum Gallis & Batavis exspectabant. Secto corpore, in lumbis lapis, & in renibus vermis oblongus, vivum arrodens, repertus est. Avertendo tabo, demortui cadaver aromatis medicatum in Æde primaria D. Gudilæ conditum est', ubi decumbentis specie, in summo choro meridiem versus conspicitur.

Mors Ernesti Archid.

Sufficitur Ernesto, Fontium Comes, qui præfecturam orditur ab Huyensi obsidione.

Sublato Ernesto, sufficitur in Gubernationem Belgii Petrus Henriquez Fontium Comes, qui ab expeditione Huyensi præfecturam suam ordiri voluit. Itaque sub finem Februarii ad oppidum castra ponit; Præsul Leodiensis vicissim in ulteriori ripa cum suis auxiliaribus

ribus præstò est. Tertio Id. Mart. Regii depulsis Batavis, suburbia occupant; tùm in eminentiore loco Cœnobii SS. Trinitatis quatuor tormenta locant, & post acrem pulsationem, per ruinam in oppidum perrumpunt, cæsis octoginta ex præsidiariis, reliquis in arcem confugientibus. Mox ad arcem castra admovent: Verùm cum eam arte & situ firmam, primo impetu capi posse desperarent, jussus est Valentinus Mottæus, vir rei militaris valdè gnarus, ac rei tormentariæ Præfectus, duobus locis disponere quatuordecim machinas murales, quibus dispositis, in arcem verberatio directa. Eâ cum maximè infestarentur obsessi, & de exitu vererentur, si diutiùs animos obfirmarent, septimâ ab obsidione die, colloquio petito, vitam salvam pacti, cum armis & impedimentis dimissi sunt. Dein Fontanus urbi & arci Hispanorum præsidium imposuit, donec Rex, certior factus, aliter decerneret; qui fide & pietate usus, arcem urbemque Septem-viro restitui jussit.

Oppugnatur Arx dediturque.

Huyo recepto, Fontanus & Justitiæ restaurandæ & ærarii melius constituendi, & militaris dissolutionis restringendæ animum statim adjecit. Sustulit militum exactiones, quæ fuerant Provincialibus graves & acerbæ: vetans ne ullus à quoquam exigeret, nec quisquam ulli quid contribueret, nisi cùm ipsemet disertè juberet, sanctâ pœnâ capitali in edicti violatores. Et, ut quærelis hospitum & apud eos degentium militum occurreret, constituit quid quantumque militi hospites præberent, formulamque præbitionis ad locorum Magistratus misit, jubens vigilanter intenderent, sibique renuntiarent nunquid miles amplius extorqueret. Ita repressa militum aviditas qui non lautas modò epulas, sed pecunias pro apophoretis exigere solebant. Nec minor in re militari districta severitas; accuratam in castris disciplinam servabat, nullus edicta, vel imperia temerabat, quin supplicio noxam lueret, quod cùm cuncti vererentur, pauci delinquebant. Interim Atrebates, Hannonii, finitimique Belgæ, limitem suum à Gallorum incursionibus non satis tutum, & se Cameracensium & Durlanensium injuriis nimis expositos querebantur: si Fontanus eò arma verteret, militem, annonam, & pecuniam prolixè offerebant. Non defuit eorum postulatis Fontanus, decrevitque ipse cum exercitu proficisci in Galliam. Sed ne quid absentiâ ejus freti in Brabantia Flandriavè adversarii molirentur, munimenta quæ in Wasia, Hulstensium eruptionibus comprimendis exstrui mandârat, perfici curavit & præsidio muniri. Brabantiæ tutelam Christopohro Mondragonio, arcis Antverpiensis Præfecto, demandavit, ejusque imperio Hispanos legionarios Zunigæ & Velas-

Fontanus disciplinam militarem instaurat.

Bellum in Galliam suscipit.

Coercendis excursionibus Hulstensium duas munitiones excitat.

quii

quii, cum equitum sex turmis, & legione Germanorum, quibus Baro Bernestenius præerat, parere jussit, ut cum his copiis in omnem partem intentus, videret ne alicundè Provincia quicquam detrimenti caperet: cæteris verò copiis edixit ad conventum Hannoniam, ac V. Id. Jun. Bruxellâ digressus, eodem die Montes Hannoniæ venit, postridie Valencenas, indè Marcoinum, ibiqne lustratæ copiæ: inventi equites mille & quingenti, peditum septem millia; tam exili exercitu Galliæ bellum illatum, & primùm ad Castelletum XVII. Cal. Jul. castra posita. Oppidum est in Veromanduis, medium inter Cameracum & S. Quintini fanum apud Scaldis primordia. Confestim quatuor murales machinas in vetustam turrim dirigit, quâ stratâ, Hispani & Valones ad ruinam magnâ contentione procurrunt, tantâque ferociâ invadunt, ut illatis acceptisque vulneribus perrumpentes, multos in ipso æstu peremerint, cæteros in arcem compulerint. Indè ad arcem castra admota, ductoque vallo VII. Cal. Jul. quindecim tormenta in eo locata, quibus propugnaculum, arduo saxo impositum, quati cœpit, cujus parte revulsâ, tentata est oppugnatio; Verùm cùm labes non esset satis ampla, irruentium vis frustrà fuit. Quare redintegrata pulsatio, editâque idoneâ ruinâ, obsessi timentes ne si secundò belli fortunam experirentur, victis misericordiæ locus nullus esset, signum deditionis sustulerant: Conditione petitæ datæque, discederent cum armis & sarcinis, cætera in arce relinquerent.

Chastelletũ obsidet & occupat.

Hanum perfidiosè amissum.

Dum ad Castelletum hæret Fontanus, Hani jacturam facit. Præfectus erat Ludovicus Gomeronus, nobili Majorum familiâ ortus. Hic non semel egerat cum Regiis de dedenda Regi Hispaniarum urbe & arce, & in antecessum aliquot aureorum millia acceperat, militemque regium in urbem acceperat, arcem retinens dum promissa exsolverentur: eam ob causam Hano Bruxellas cum fratre & sororio proficiscens, arcis custodiam Orvillerio (cujus ille sororem in matrimonio habebat) committit. Præerat urbico præsidio Ciccus Sangrius cum viginti & duabus centuriis. Orvillerius contra pacta Humeierium Picardiæ Præfectum cum copiis postico in arcem admittit. Quod cum suboderati fuissent Hispani, quâ ab arce in urbem est exitus, fossam ducunt, dolia congerunt, & Humeierium irrumpentem acerrimè propulsant; instat ille animosius, dumque claustra doliaria perrumpere nititur, sclopeto trajectus occumbit: cujus morte efferati Galli, acriùs instant, impetum fortiter sustinent Hispani, durantque subsidium suorum expectantes, qui Castelletum obsidebant; utque auxilium Galli anteverterent, refractâ portâ, Comiti à S. Paulo, foris cum exercitu moranti, aditum faciunt,

cujus impetum cum recenti milite, cùm Hispani (diuturnâ pugnâ jam attriti) non ferrent, inclementer cæduntur, quique cladi superfuerunt Orvillerio obsides traduntur, liberando Gomerone: Sed captivi per custodum perfidiam, ruptis vinculis, arcem in id discrimen adduxêre, ut pacto dimitterentur. Et Fontanus quia serus supervenerat, exauditaque suorum clade, Gomeronium suorum in oculis securi percussit.

Indè captâ Cletiâ arce, quæ Somæ fluvio adjacet, Dolanum expugnandum suscepit; sed dum lentiùs cingit, quadringenti nobiles, tuendæ urbis, & militaris gloriæ desiderio, ultrò insiliunt, & præter hos octingenti sclopetarii auxiliares irrepunt: sic ut obsidione cœpta, tria propugnantium millia, & ducenti quinquaginta gravis armaturæ equites recenserentur. Sequenti die cum Valentinus Pardeus, Mottæ Dominus, qui rei tormentariæ præerat, loca opportuna ruinæ sternendæ lustraret, sclopeto sub galea frontem ictus, concidit, magno sui desiderio relicto. Motta occiso, inter belli Duces disceptatum fuit, quâ parte locus oppugnandus esset, itum in varias ac dispares sententias; postremò placuit arcem aggredi, quod ea omni ex parte urbi dominaretur. Movit ergò Fontanus castra ultrà Autium fluviolum, quâ parte obsessis auxilia ex Picardia mitti poterant. Erat eo loci monasterium semidirutum, illud jussi equites peditesque insidere & communire, reliquæ copiæ propiùs arci admotæ. Interim ex Flandricis præsidiis sexcenti pedites accersiti, & insuper mille alii ab Artesiis subsidio missi. Bullionius contra ex Picardia & Normannia militem cogebat, ei S. Pauli Comes, & Villartius Franciæ Thalassiarches, & magna Nobilium manus accessêre: Dux Nivernensis apud Ambianos majores copias præstolabatur, ut totis viribus Fontanum fugarent. Sed cum inter Nivernium & Bullionium haud occultæ æmulationes intercederent, hic, ante Nivernii adventum, cum selectis ex variis cohortibus peditibus octingentis, & equitibus mille & quingentis, Hispanos impetit. Fontanus idoneo vallo præsidio attributo, cum mille & quingentis peditibus & aliquot equestribus turmis obviam procedit, & duce Rhonæo peditatum præmittit, ipse tripartito equitatu subsequitur. Bullionius in primam Hispanorum alam acri impressione factâ, eos perrumpit & atterit; sed dum ulteriùs se immittit, hinc à peditatu Hispano, illinc ab equitatu levis armaturæ, obruitur, ut tantam vim non sustinens, ægrè admodùm in tutum se receperit. Galli pedites ferè omnes concisi, magnam sui stragem dederunt. Villartius cum Nobilium robore dum insectantes Hispanos remorari nititur, in novam pugnam

Dolanum obsessum & expugnatum.

Atrox pugna inter Hispanos & Gallos.

Cades Francorum. pugnam & discrimen se induit: pugnat, sed increbescentibus Hispanis cum aliquot campestribus machinis, fœdam equorum equitumque stragem edunt, ac jam tota acie inclinante, cum suis opprimuntur. Vix ullâ statariâ pugnâ tot magni nominis viri & ductores ceciderunt. Præda fuit opima; capti militares equi trecenti, frenis & stratis nobilium exculti; Currus Septem Sulphureo pulvere, ac rebus aliis sustinendæ obsidioni onusti. Parta victoria D. Jacobi Hispaniæ tutelaris professo. Hâc clade attriti Galli, neutiquam despondent animum. Contra Nivernius Dux & Comes S. Pauli, cæterique Proceres collectis mille & ducentis equitibus, & bis mille & quingentis peditibus, semel atque iterum tentarunt auxiliares in urbem introducere, sed cum hi conatus inprosperè cessissent, Fontanus arctiùs obsidionem urgere cœpit, & pridie Cal. Augusti à diluculo ad horam tertiam pomeridianam, arx viginti & quatuor tormentis continentèr quassata, fatiscebat, & horâ quartâ Hispani, Itali & Walones ad ruinam provolant, committitur pugna atrox & cruenta, vulnera cædesque promiscuæ, aliis tandem atque aliis succedentibus, facta est ferro per ruinam via. Qui in castrum se receperant, suorum internecione territi, in urbem diffugiunt, latibula quærunt. Totâ urbe victores effunduntur, omnia rimantur, nullam latebram prætereunt, inventos nullo discrimine mactant, recenti adhuc suorum internecione memoriâ, quos Hanæ Galli immisericorditèr ferro demessuerant. Fontanus edixerat, ut loca sacra nemo violaret, pudori fœminarum nemo illuderet, tectis ignem ne injiceret, quidvis horum capitalem noxam fore. Tantùm valuit edicti severitas, ut nulli virgini fœminæque stuprum oblatum. Incendium casu natum, urbis partem absumpsit, sacram ædem vel locum pium nullum corripuit. Tria millia Gallorum in arce urbeque cæsa Cadaveribus purgatâ urbe, fossæ ruderibus vacuatæ, ruinæ farcitæ. Arx Hispanis credita, urbs variarum gentium militibus.

Post cruentâ dimicationem arx expugnatur.

Tria Gallorum millia cæsa.

Mauritius Grollam incassum obsidet. Occupato in limite Gallico Fontano, Mauritius rei benè gerendæ opportunitatem nactus, classem ducentarum navium instruxit, eaque diu pelago errabat, rumore dubio quo appelleret. Tandem cursu in Frisiam directo, Grollam Zutphaniæ oppidum obsidione cingit, quod dum arctè premeret, & octodecim machinis magna ex parte jam solo æquasset, præsidium nihilominùs fortiter repugnabat, ac crebris eruptionibus hostes fatigabat. Mondragonius, arcis Antverpianæ Præfectus, hujus incœpti certior factus, adscitis veteranorum quinque peditum millibus, & equitibus admodùm mille, trans Rhenum ducit, & ut hosti cœpit propinquare, Hermannum

Comi-

Comitem Bergensem cum mille selectis peditibus præmittit, ut annonam & militem in oppidum induceret, vel saltem locum castris capiendis idoneum deligeret. Bergensis sedulò mandata executus obsessis subvenit. Mauritius vasa colligit, obsidionem solvit & castra propè Santenam loco tuto ponit. Mondragonius secundâ à Batavorum leucâ castra metatur, ubi Luppiam amnem hosti objicit. Mittit Mauritius trans amnem Philippum Nassavium cum equitibus quingentis, ut pabulatores regii equitatûs interciperet opprimeretque. Sed per speculatores ejus consilii certior factus Mondragonius, immittit in eum duas equitum turmas Duce Joanne Cordoba, quæ dum aliæ subsequuntur cum Nassaviis congressæ sunt, sed pauci cum pluribus diu, ancipiti victoriâ modò huc, modò illuc inclinante. Quod cernens Mondragonius, recentes alas, quas prudenti consilio, seposuerat, laborantibus auxilio mittit, quæ in medios hostes illatæ, Nassavios fugant, dissipant, fugientesque ferro premunt & in flumen agunt præcipites. Cecidêre ex victis octoginta, quorum duo turmarum Ductores. Capti Philippus Sancius, qui paulò post ex vulneribus obiit, Comes Ernestus frater ejus, & cognatus ex Comitibus Solmensibus. Præter hos capti centum & quinquaginta equites, equi fermè trecenti, multos Luppiæ vortices hauserunt. Indè Mondragonius jam octogenarius, militiæ incommoda haud ultrà ferens, hibernatum abiit, & gloriam triginta annorum spatio bellis Belgicis partam, hoc felici successu cumulavit, & quintò post mense, funebrem annum in arce Antverpiana morte suâ implevit. *Strages Mauritianorum.* *Mors Mondragonii.*

Post captum Durlanium, Fontanus ad Cameracum copias promovet, lustratoque exercitu, censita novem peditum millia, equitum bis mille & quingenti, muralia campestriaque tormenta sexaginta duo. Muniendorum castrorum negotium Augustino Mexiæ attributum, fossores Atrebates & Hannonii suppeditârunt. Cum propiùs ad urbis occiduum latus applicuisset, castra posuit duobus in pagis juxtà Scaldim flumen; & ut auxiliis hostium, ne unà furtim irreperent, præcluderet aditum, ac tam exiguis cum copiis amplissimam urbem faciliùs cingeret, castra fossis & munitionibus conjungit & has milite & machinis firmat. Duæ cæteris ampliores, arcis speciem præbebant: uni, quæ propior limiti Franciæ, mille & ducenti pedites, & quadringenti equites attributi: alteri, quæ vicinior urbi, duo peditum millia, eqites ducenti impositi. Dùm his rebus animum intendit, Carolus Retelensium Dux, cum centum equitibus in urbem penetravit, amissâ impedimentorum parte; *Cameracum à Fontano obsessum & deditione captum.*

 mox

mox & Dominicus Viquus Gubernator fani Dionisii, quem crurilignеum vocabant, sub auroram, densioris nebulæ beneficio, cum ducentis auxiliaribus in urbem pervenit, quæ Hispanorum incuria, postmodum multorum strenuorum centurionum & militum jacturâ stetit. Viquus enim non præliandi modò, sed tormentorum dirigendorum & machinamentorum scientissimus erat. Is statim apta machinarum collocatione & libratione tot damna regiis intulit, ut dubiam ex certa spem potiundæ urbis Fontano faceret. Augustinus Mexia jam vallum ad fossæ labrum perduxerat, congruis etiam locis aggeres erexerat, & desuper locandis tormentis complanârat. Tùm sexto nonas Octob. triginta octo tormentis, exteriora urbis munimenta, assiduâ diverberatione quatiuntur, adeoque labefactantur, ut passim saxis terraque ruentibus, ut vel equitatui via pervia futura judicaretur. Parabant se milites ad irruptionem; sed cives qui alieniore à Balangio animo erant, quod pro mercibus in foro venalium numisma cupreum, Balangii mandato percussum, accipere cogerentur, pro indictionibus tributisque, non nisi aureum & argenteum ipsius publicani acciperent; illi ergò odio Balangii exasperati, secundâ post meridiem horâ, acturos de pace ad Fontanum allegant, & his conditionibus paciscuntur: „Ut præteritorum oblivio sancire„ tur, à direptione abstineretur, civibus privilegia antiqua, ac im„ munitates salvæ, ut anteà, manerent. Deindè Fontano Cantipra„ tensem portam recludunt. Ipse mille & quingentis militibus, qui eâ nocte illic excubias egerant, quorum octingenti Hispani, cæteri Valones, jussit, ut sub signis, servatis ordinibus, cum Ronæo Marescallo, urbem ingrederentur. Factum id tanto silentio, ut Gallos adhuc lateret, & Ronæus in acie forum occuparet. Nec defuerunt qui Fontanum hortarentur statim ad Pomerium tendere, & defensores à tergo adoriri, dum socii per ruinam eniterentur, & undique circumventi Galli effugium non haberent. Verùm id Fontanus aversatus est, veritus ne simul oppidanis res esset exitio, & urbis direptio contra pacta sequeretur. Rethelensis, Balagnius & Galli omnes in arcem se recipiunt, nullumque hostilis animi signum dederunt. Igitur à Fontano deditionem facere jussi, tridui spatium poposcerunt, dum Nivernensis, qui in proximo cum summo à Rege imperio erat, de rerum suarum statu edoceretur, & ni intereà suppetiæ adsint, promissa deditio, & impleta his conditionibus: „Ut filius Ducis Nivernensis, Balagnius, Viquus, cæterique belli Du„ ces ac milites militaritèr arce excederent, vexillis expansis, tym„ panis pulsantibus, fomitibus sclopорum accensis. Ita Septimo Id.

Oct.

Oct. post meridiem Galli arce egressi. Apparatus bellicus ingens Fontano cessit, ut cætera prætercam, tormenta bellica ænea majora triginta & unum, minora ferrea quinquaginta tria in urbe: in arce majora curilia ænea duo de triginta, minora tria & quadraginta, ferrea viginti & duo. Pulveris, globorum, ligonum, dolabrarum, & similia copia ingens, quanta urbis & arcis defensioni abundè sufficeret: Deindè prostratis instauratis, Augustinus Mexia urbi arcique Gubernator datus, quod in ea expeditione ipsius præ reliquis labor & prudentia enituisset. Hispani arci, Valones & alii urbi impositi.

Lira à Fœderatis intercepta.

Poulò postquam Cameracum deditum est, Carolus Herangerius Bredæ præfectus, Hoii jacturam Lirâ rependere machinabatur. Id oppidum Netham ad amnem, Antverpiam Mechliniamque medio situ interjacet. Post ultimam vigiliam, scalis muris applicitis, necatisque excubitoribus oppidum intercipit. Ita porta patuit, introëunt pedes & eques, mille omnes lecti Bredâ ac circum præsidiis. Alphonsus Luna Præfectus oppido, primos ad tumultus, cum se viribus imparem videret, portam ab hoste aversam, quâ Lovanium iter est, insedit, & Antverpiensibus, Mechliniensibus, & Bruxellensibus significat quo in discrimine versetur. Nec mora, adsunt auxiliares copiæ & eâ ipsâ portâ admissæ. At Batavi, ceu tutis rebus, cum in præda spoliandis templis, imaginibus deturbandis, occupantur; pars inter prædam cæsi, pars è vallo præcipites, fossis hauriebantur. Herangerius cum plerisque centurionibus desideratus. Pauci, ac vix centum periculum evaserunt. Fontanus civitatibus Brabanticis, quæ tam præclarum facinus ediderant, per litteras officiosè gratias egit, & collaudatis, acriter ad similia gerenda accendit. Deindè limitem Gallicum, quem recuperârat, firmis præsidiis munivit, & quarto Cal. Novemb. in Brabantiam rediturus, Cameraco discessit.

Lira cæsis Mauritianis recepta.

ALBERTUS PIUS,

Dux Brabantiæ.

A tempore Maximiliani Cæsaris Belgium per Legatos administratũ.

POstquam ditiones Belgicæ in unum principatum sub Ducibus Burgundiæ coäluerunt, ab iisdem præsentibus administratæ fuerunt; donec Maximilianus Austrius Augustus, post conjugis Mariæ Burgundæ obitum, primum externorum Principum Georgium Saxoniæ Ducem, suo & Philippi filii sui nomine, cujus ipse tutelam gerebat, Legatum Belgio præfecit. Altera Gubernatio Margaritæ est delata, Cæsaris Maximiliani filiæ, Caroli Cæsaris amitæ, quæ pro nepote suo Carolo, prudenter & quietè viginti tribus propemodùm annis, regentis nomine gubernacula tenuit. Successit in eadem procuratione Maria Austriaca, Hungariæ Regina, Cæsaris Caroli V. Soror, virtutis incomparabilis Heroïna, quæ, frequentibus bellis Cæsarem per orbem evocantibus, forti supra sexum animo, Belgicum imperium quinque & viginti annis tranquillè moderata est. Provinciis ad Philippum Catholicum delatis, Emanuël Philibertus, Allobrogum Dux, eis cum imperio præfuit, cui post quadriennium digresso, Margaretam, Octavii Parmæ ac Placentiæ Ducis conjugem, in administratione Belgicæ suffecit, Principem lectissimam, quæ consilii gravitate & moderatione, nascentes Belgii motus, ex prætensa à quibusdam factiosis religionis libertate, videbatur repressura, nisi post octenne imperium, revocata fuisset: misso illi successore Ferdinando Alvaro à Toledo, Duce Albano, qui cum fascibus imperii bellum in Provincias intulit: Sed cum ille hoc Belgicæ vulnus ense recidere, & ab integra parte gangrænam repellere, insuetâ Belgis severitate, contendit, omnia

In pejus ruere, & retrò collapsa referri,

Is Belgio sexennium administrato, mense Decembri 1573. in Hispaniam concessit. Excepit imperium Albani Ludovicus Requesenius, Castellæ Commendator, qui triennio nondum exacto, vitâ & imperio exutus est. Ruptâ deindè per Hispanum militem Sacramenti militaris reverentiâ, ob non procedentia æra, gravissimasque seditiones concitantem, Generales Belgii Ordines ex mandato regio Rempublicam administrârunt, donec Joannes Austriacus præfectu-

fecturam iniit, quam non obtinuit ultrà biennium, morte immaturâ ejus gloriæ cursum sistente, antequam illa Martis soboles triumphos illos pareret, qui extrà Martis campum non leguntur. Is laceram ac divulsam Belgicæ navem Alexandro Farnesio, Parmæ Duci interpolandam commisit, qui ultimo imperii sui triennio, tertiò in Galliam cum exercitu profectus, tàm expeditionis, quàm præfecturæ munere simul cum vita functus est, anno potestatis sexto decimo. Farnesio Principi successit Petrus Ernestus, Mansfeldiæ Comes, sub Carolo V. Cæsare in Tunetana expeditione armorum Præfectus, longo rerum usu meritissimus, ac venerabilis senex, ætatis enim annum octogesimum excesserat: sed annum unicum præfecturæ suæ emensus, Ernestum Archiducem, Alberti Cardinalis Germanum, Belgii Gubernatorem, & exercitus regii Ducem, salutavit. Qui sanè Princeps, cujus omnia vota, cogitationes & studia pacis erant, quâ erat moderatione consilique maturitate, hos intestinos motus repressurus fuisset, nisi post annalem potestatem, præpropero fato ereptus, luctuosam sui memoriam Belgio reliquisset. Simili ferè spatio Petrus Henriquez de Gusman, Comes Fontanus, degustavit imperium; donec Serenissimus Albertus, Archidux Austriæ, Cardinalis & Toletanæ Ecclesiæ Archiepiscopus, ac Lusitaniæ Prorex, Gubernatorum numerum, augusti sui generis claritate & amplitudine, explevit. Venit is Bruxellam III. Id. Februarii, anno nonagesimo sexto, supra millesimum quingentesimum, summisque honoribus excipitur, aulæis & tapetis foris ornatæ domus, compita arcubus, obeliscis, pyramidibus operosè nitebant, ovationibus acclamationibusque omnia personabant, seu publicæ libertatis unus vindex & Soter advenisset. Biduo post in publicis Comitiis Ordinum Belgicorum, præses & summus vicarius Belgii pronuntiatur.

1596. Albertus Archidux venit in Belgium.

Cùm autem sciret prudentissimus Princeps, parum profecisse, quicquid Belgarum Præfecti hactenùs vi & armis opibusque immensis profusis tentaverant; pace verò atque clementiâ æterna ac stabilia fieri imperia, ejusce rei gratiâ, Principatus sui primordia à studio pacis auspicanda ac consiliis mitioribus hos tumultus ad tranquillitatem revocandos censuit, ut ferali tandem armorum rabie depositâ, pristino aliquando nitori Belgica restitueretur. Quamobrem litteras candoris plenas ad confœderatos Ordines dedit, quibus eos ad concordiam pacisque otia amplectenda benevolè invitabat. Sed frustrà surdis decantata est fabula pacis. Itaque militem undique legit & conscribit, nec alio classico opus fuit, quàm famâ advecti auri,

Invitat fœderatos Ordines ad concordiam, sed frustra.

qua-

Ideò cogit exercitum.

quatuor millionum vim fuisse, scriptum comperio. Hinc coacto ingenti exercitu, ut suis, jam quadrimestri obsidione Feræ oppugnatis, commeatum furtim inveheret, dat in mandatis Georgio Bastio; ut cum delectis decem equitum turmis, Casteleti subsideat, ibique captet occasionem juvandi annonâ obsessos. Georgius tertio Id. Martii, jam inclinante die, per devia Feram contendit, tam fortunatè & tacitè, ut non prævisus intellectusque ab obsidentibus, cum ducentis equis trito farre onustis, in urbem penetrârit, & eadem felicitae per anfractus viarumque flexus in agrum Cameracensem se recepit. Verùm cum exiguus commeatus in urbem illatus, parum proficeret Albertus Feræ obsidionem dissolvere voluit, obsessâ aliâ in limite urbe, quâ captâ plus emolumenti ad res Philippi Regis, quàm amissâ Ferâ damni rediret. Igitur, ut obsidentem hostem, dubio metu distineret, Ducem Arschotanum aliosque militum Præfectos cum aliquot alis equitum, & quatuor peditum millibus Casteletum mittit: ipse per Artesiam cum exercitu subsequitur, quasi obsessis auxilia laturus. Mox itinere verso Caletum urbem maritimam, veteribus Iccium portum dictam, petiit. Et Ronæus cum parte exercitus anteire jussus, tantâ celeritate perrexit, ut inopinatò superveniens, pontem, quo terrestris arctatur aditus, & turrim, quæ Ricibancium dicitur, ad portûs fauces munitissimam, olim ab Anglis, ad securitatem navigationis conditam, vi expugnavit. Occupato illo propugnaculo, Ronæus subitis munitionibus locum instaurat, machinisque communit. Indè Batavorum naves, quæ Flandricum ad littus sedebant, quò minus obsessis succurrerent, arcebantur. At postquàm Alberti vires coïerant, Caletum terrâ mariq; clausit. Decimâ quintâ Aprilis suburbia portui proxima, ad impetum cessêre: mox oppidum ipsum triduo obsessum, cum quassari machinis cœpisset, Alberto deditur: Rex Galliæ perculsus eo nuntio, relictâ Ferâ cum delecto equitatu Bononiam contendit, ut Anglorum & Batavorum auxilia maturaret. Intereà ut tantisper, dum ea advenirent, deditionem arcis remoraretur, Bertrandum Campaniolum, Bononiæ Præfectum, cum ducentis mittit, qui terrestri itinere, noctis opaco usi, & recedente æstu per fossas in arcem erepsêre, sed hoc subsidium obsessis exitio fuit. Nam Campaniolus ferox & temerarius, suadet & persuadet, ut armis & arcis munitioni fidant, & aleam belli experiantur: Regem obsessis præstò cum auxiliaribus futurum, Anglorum & Batavorum classes adventare. Ideò in arcem verberatio dirigitur & continuata ad meridiem pulsatione, cùm disjecti muri dedissent ingentem ruinam, fit impetus, pugnatur utrimque acerrimè per horæ spatium, sed numero succedentium præsidiarii

Bastius modicum commeatum Feræ infert.

Caletum ab Alberto obsidione cinctũ, eique dedituũ.

impares, sternuntur. Cæsi ex propugnatoribus circiter mille & quingenti; unà cum Bidossano arcis Præfecto. Qui ad templum arcis confugerant, furorem irrumpentium evaserunt. Magna præda parta, & copiosus repertus commeatus, multaque tormenta, quæ Henrici VIII. Anglorum Regis insignibus notata erant. Ita Caletum urbs inter Galliæ primas, naturâ, opere & milite munita, intra paucos dies est expugnata; quam anno 1347. Eduardus Anglorum Rex, undecim mensium spatio vix vincere potuit. Et post Philippus Bonus Brabantiæ Dux, cum quadraginta millium exercitu, anno 1436. frustrà obsedit. *Arx Caletana expugnata.*

Caleto firmo præsidio munito, Albertus successum urgens, Ardeam, licet ambitu parvum oppidum, tamen & situ & arte munitissimum, è vestigio cingit; in eo Præfectum agebat Bosco Anneburgus, vir rei bellicæ longo usu peritus, Belinus Monlucius, Ramburius cum bis mille armatis propugnandum susceperant. Positis castris, Albertus eam urbis partem quæ imo & palustri loco subsidet, invadit, & post acre prælium expugnat, in quo conflictu Burlotius ipse inter primos ordines dimicans, gravissimè sauciatus est. Decimo quinto Cal. Junii, Monlucius eruptione factâ, Antonii Cocquillii legionem impetit, sed dum audentiùs irrumpit, occiditur, suis in urbem, non sine clade, repulsis. Igitur Galli animis cadere cœperunt, & nondum verberato, nedum disrupto muro, colloquium poposcerunt, & initis pactis decimo Cal Junii Ardeâ cedunt, & eodem die milites circiter mille, cum magna sauciorum & languentium turba, cum armis & impedimentis loco excesśêre. *Albertus Ardeam obsidet & deditione in potestatem redigit.*

Rebus in limite Galliæ prosperè gestis, Albertus gravem spoliis exercitum, sub finem Junii in Flandriam transportavit, Gandavi cum belli Ducibus consultatum, quo ducendum videretur, tandem consilia in Hulstum versa, oppidum id ditionis Wasianæ caput, quod Neptunus æstibus suis alluit, & undæ totum circumcingunt, & sic velut insula undique inaccessa. Oppido præerat Georgius Everhardus Solmæ Comes, cum tribus millibus militum: Sed quò res magis tegeretur, Albertus nulla certa castrorum statione Mauritio illudit; cum enim circa Hulstum aciem oberrare jussisset, illuc festinat Mauritius urbi prospecturus, sed mox circa Bredam castra retrogredi jubet Albertus, illuc etiam advolat Mauritius, dumque anxio metu torquetur pendetque animi, Albertus vestigia relegens, quàm celerrimè Hulstum regreditur, ac Scaldim transducto exercitu, Burlotam, Chiliarchum pedestrium legionum, cum bis mille selectis militibus præmittit, qui confestim Batavorum munitionem, par- *Hulstum aggreditur Albertus.*

vam

Munitionē, dictam parvum Rapam expugnat, aliaque propugnacula capit.

vam rapam nuncupatam, adoritur & expugnat: ita in agrum, dictum S. Pauwels Polder, mari eductum aggeribusque ab aquarum injuria obseptum, penetravit. Pari aleâ propugnaculum de Moerschantse, à palude dictum, tormentis acriter quassat, editâque ruinâ ad invadendum æquabili, inclusi, haud pauciores octingentis dubia casuum formidantes, nequicquam reluctante Præfecto, Burlotum admiserunt. Aliud propugnaculum circa Hulstum Batavi valido præsidio occupabant, Mauritianum dictum, illud aggressurus Ronæus cum selectâ militum manu, existimavit inanem operam se sumpturum, ni prius agger, qui inter Hulstum & Moervaertianum propugnaculum latâ fossâ ductus, occupetur; itaque XV. Cal. Augusti Sole jam occidente, summo impetu aggerem invadit, nec loco cedit nisi expugnato, ibique pernoctat. Diliculo ulteriùs irrumpit, premit Batavos, qui ab hesternæ cladis pavore vix receptis animis, ultrò se dant in fugam, cæsis ducentis & tribus, vexillis cum tormento captis, XIV. Cal Aug. munitionem Mauritianam undecim majoribus machinis sine ulla intermissione cœpit pulsare, donec Batavi metu perculsi deditione factâ, sese reciperent. Hac victoriâ partâ Albertus propiùs Hulsto castra admovet, machinisque muros assiduè verberat. Contra obsessi, acerrimè se tuentur, munitiones novas moliuntur, cuniculos agunt, improvisis eruptionibus per subterraneos fornicatosque meatus in obsidentes vim faciunt. Intereà ad portam Vestalium (Begginas vocant) promotum vallum & fossa ab ea parte occupata, tùm per biduum redintegrata verberatio, ingensque ruina edita, cumque omnia ad oppugnationem instructa essent, Batavi incenso cuniculo, quem in ipsis mœnibus effoderant, ingenti collapsorum murorum ruinâ fossas oppleverunt: eodemque penè momento Albertus admotis copiis, eam diruti muri partem occupavit, Batavis in obliquas & flexuosas munitiones, quas ad similes casus in urbe excitârant, refugientibus. Nec mora XVI. Cal. Septembris remissâ, impendente jam supremo exitio, pervicaciâ, colloquium poscunt, ac tandem his pactis Hulstum deditur: „Comes „Solmensis, equitum peditumque cohortes cum armis & impedi„mentis, signis explicatis, tympanis canentibus, in Hollandiam „Zelandiamque securè & innoxiè deducerentur, capti obsidionis „tempore, qui de pretio nondum convenissent urbe sub Regis im„perio manendi, aut cum omni supellectile aliò migrandi aut intra „annum latifundia & mobilia distrahendi: quod si vendere nolue„rint potestas esset illis administratorem constituere, si in sequestræ „fidei urbibus, neutrique parti subjectis domicilium fixerint. Digressis

Leges deditionis urbis.

„ ab urbe reditus & incolatus bonâ fide permissus, modò ne cui of-
„ fensionis causam darent, & fidem Regi servarent. Præteritorum
„ venia & oblivio sanciretur, immunitatibus & privilegiis, quibus
„ anteà usi fuerant, salvis.

Post Hulsti expugnationem, Albertus ut ad omnem auram res illi esset in expedito, quatuor millia peditum, & quinque alas equitum ad Turnhuotum stativa habere jusserat. Municipium est Brabantiæ haud ignobile, patentes undique campos & ericeta prospicit, Principibus Belgii olim in delitiis, cum venatus & innoxiæ remissiones placebant. His copiis præerat Marcus Ria, Comes de Varax, Varrambonii frater, nobilitate, quàm belli peritiâ melior. Mauritius ad omnia intentus, ut à suis cladem averteret, primis initiis occurrendum statuit, sed eum deterrebat impeditum iter gravi hyeme, Brumâ vario & intractabili cœlo, modò omnia gelu astringens, modò eluvionibus dissolvens, undè itinera invia & præpedita. Vicit tandem sententia, ut præmissis equitibus, indictâ die Gertrudisbergæ copiæ convenirent. Postero die Mauritius quinque peditum millia, equitum octingentos educit, qui nocte adultâ, furtim & sine lituo, Ravelam, pago unius horæ itineris à Turnhouto successêre cum tormentis duobus & totidem machinis campestribus. Regii præcurrentibus nuntiis exciti, pars tutius censebant intra stationes & munimenta, hostem itineris labore cœlique intemperie fractum, opperiri. Sed plerique prætendebant cedendum potiùs integris viribus cùm non procul esset Herentalium fido receptu. Igitur Regii nocte omnia convasant, & Herentalium promovent. Ubi illuxerat, Mauritius equitatum, qui concitatiùs eos insectaretur præmittit, jusso pedite subsequi cum tormentis. Haud longè progressi, incidunt in Regios, qui ad præcludendum aditum ad nemus & rivum campis interfluentem, excubabant, eos adorti, loco vi depellunt, & vadi nemorisq; liberiorem aditum faciunt. Indè Comes Holachius cum octodecim turmis equitum, per viarum compendia Regios antevertit & à fronte adortus, sistit: pugnatur acriter, caduntque utrimque plurimi. Intereà dùm pugna protrahitur, Mauritius à tergo instat, redintegratur prælium; sed dilapso Regio equitatu, cùm pedites loco iniquo pugnarent, & irrumpentium impetum diutiùs sustinere non possent, & ipsi solutis ordinibus sese in fugam effuderunt. Mauritius & Holachius in palantes & dispersos invecti, magnam stragem ediderunt. Qui res eas, Ordinum partibus addicti scripsêre, memorant cæsos supra duo millia, captivosque fermè quingentos. Alii referunt quingentos & septuaginta cæsos, duodetriginta signa, tur-

1597.
Prælium Turnhoutanum.
Cæduntur Regii.

Xxx　　male

male unum victoribus parta & Bredæ in signum triumphi suspensa. Commissa est hæc pugna nono Cal. Febr. 1597. in ericeto Tiletano. Postridie arcem Turnhoutanam Mauritius pulsat. Qui eam præsidio tuebantur, contra vim majorem impares, eam maturè dediderunt.

Insigni stratagemate Ambianum occupatur.

Hâc clade Albertus perculsus, simul & pecuniæ inopiâ, supplendis legionibus intentus, utrique malo ægrè remedia inveniebat, cum fortunæ variantis inopinato beneficio casus in Ambianis accidit, qui res illius multum erexit. Ferdinandus Tello Portocarrera, homunculus qui magnanimitate animi exilitatem corporis pensabat, præsidio Hispanico Dourlanium tenebat, animoque volutabat quâ arte Ambianum, Picardiæ metropolim, intercipere posset. Fit certior custodiam urbis Decurionum collegio, per speciem privilegiorum, commissam, interdiù oppidanos ad portas infrequentes sedere. Quæ postquam Ferdinandus didicerat, duo millia peditum & duodecim equitum centurias ab Alberto accipit peragendæ fraudi: & ut doli insidiarumque suspicio averteretur, spargitur, præsidiarios milites S. Pauli ob negatum stipendium rebellasse, ad eos in ordinem redigendos ab Alberto copias missas; hoc colore Ambianis illuditur. Hispani VI. Idus Mart. sub occasum circa Dourlanium subsistunt, ac fortuito cibo refecti, totâ nocte progressi, aurorâ maturiùs in ruderibus maceriisque suburbanis consederunt. Alto Sole & portis reclusis, promptissimos duo deviginti præmittit, exteriùs personatos cannabinis lacernis, agresti specie indutos, subtus loricatos, brevibus sclopis pugionibusque accinctos, annonarias sarcinas dorso vectantes, qui non una semitâ portam urbis subeunt, & anhelantibus sub fasce similes, ad levandas sarcinas subsistunt, donec fœnarium plaustrum, tribus personatis militibus, specie villicorum, agitatum, sub cataracta portæ constitisset, ne ea demitti posset. Ex illis unus ingentem vidulum nucibus plenum, dissolvit, teretes effunduntur inter portæ custodes, qui omnes ruunt ad juglandes, & proni ad ludicra, à pseudo-rusticis trucidantur: nevè clathrum pensile, secto desursum rudente ad humum devolveretur, plaustrum immotum stabat. Ferdinandus audito signo à suis, cum omnibus copiis advolat, atque in urbem irrumpit; compita, mœnia & munitiora urbis loca occupat, præsidiisque firmat. Comes S. Pauli, qui urbi & toti Provinciæ imperabat, ab hoste circumventus, per portam Belloüacensem periculo se subduxit. Hispani ut securè sibi esset à civibus, eos exarmarunt, & intus & extra urbi prospexerunt, amotis quæ exitio, procuratis quæ præsidio esse poterant. Rex Henricus ferali nuntio affectus, alto pectore mœrens tantam urbem,

Regni

Regni propugnaculum sibi præreptum, incredibiliter doluit, & ne longiore morâ Hispanus invalesceret, tota Galliâ millitem conscribit, cohortes cogit, Nobilibus militiam imperat, & secundo post captam urbem die, S. Pauli Comitem cum Bironio obsidionis initium facere jubet, fossas ducit, aggeres struit, stativa ponit. Denique murorum verberatio quadraginta quinque machinis instituta. Albertus intereà Ferdinando indubiam auxilii spem faciebat, & non semel aggressus est ferro sibi viam ad urbem facere, ut in eam recentem militem immitteret, sed frustrà, cum enim præclusis undique itineribus ad obsessos non aliter pateret aditus, quàm apertâ vi, de Belgio repetendo cogitat. At quantum spei obsessis ex adventu ejus affulserat, tantum mœroris & consternationis ex discessu accessit. Eo digresso, & Ferdinando dum in antemurali urget fossorum operas, ictu machinæ interfecto, languidius pugnare cœperunt, ac tandem XIII. Cal. Octobris honorificis pactis urbe cedunt.

Ambianum præcisâ omni auxiliorum spe, à Gallis receptum.

Tentata & in Belgio stratagemata. Regii, collectis circiter octingentis militibus VII. Cal. Aprilis, supremâ nocte Steenwicum contendunt, pars revulsis palis in aggerem enititur, pars quò terror ingravesceret, ad plagam meridionalem assultum simulat. Sed excubitoribus, fortiter sese objicientibus, multâ cum clade tandem cessêre. Nec Mauritii capiendæ Venlöæ consilium feliciorem eventum habuit. Naves duas milite compleverat, quæ adverso flumine Mosâ enitebantur; priore egressi milites quinquaginta, jam portam occupaverant opressis custodibus: Sed navis altera mole gravior, ac centum onusta militibus, haud commodè appellere potuit, Oppidani eâ morâ sibi lucrum facientes, cognitâ paucitate hostium, concurrunt, portam interiorem obmoliuntur, tum Hollandos qui extima tenebant, eruptione factâ portâ & portu depellunt. Posteà Mauritius IV. Id Augusti ad Rhynberckam castra ponit. Oppidum est in ditione Agrippinensis Episcopi, exiguum quidem, sed opulentum portorio, quia Rheno imminet. Loci naturâ, atque operum munimentis & præsidio non minùs mille hominum servabatur. Parte supera fluminis, insula ambitu patens in tria millia passuum oppido adhæret, solo amne discreta: Huic Mauritius quantum satis erat militis imponit. Dein vallo ducto, XIV. Cal. Septembris triginta quinque machinis oppidum pulsat. Nullâ interim ab oppidanis eruptione certatum militum parsimoniâ, tantum urbanæ machinæ acriter obsidentes infestabant. Jam murus inclinare & dehiscere incipiebat. Telonii turris, ex qua multam hactenùs stragem præsidiarii hosti intulerant, crebrâ verberatione lacera & obtrita erat, imminens quoque amni

Steenwycekum frustrà à Regiis tentatum.

Frustrà Venlöa ab Hollandis.

Mauritius obsidet Rhynbercam, suique juris facit.

lunatum munimentum eversum. Igitur cum ad irrumpendum starent acies, sub vespere præsidiarii pacti incolumitatem, abeunt cum armis & sarcinis, vexillis fluitantibus, tympanis frementibus. Cautum præterea, ut sacro ordini addictis & civibus, quò vellent emigrare fas esset. In urbe laribusque suis hærere volentibus incolumitas, urbanorumque privilegiorum prisca libertas maneret. Snettero Præfecto, festinatæ deditionis dedecus vitio datum, quod ante tentatam impressionem, cui depellendæ mille præsidiarii unà & alterà vice suppares erant, celeriùs deditionem fecisset. At ille in milites noxam rejiciebat, isti in Præfectum regerebant, sibi vicissim ignaviam tribuentes.

Obsidet Mauritius Grollam.

Indè Mauritius transmisso Rheno, Grollam tertio Id. Septemb. obsidione cingit. Tuebatur oppidum Fredericus Comes Bergensis peditibus octingentis & turmis tribus equitum. Primùm sulcis è fossa aquam deduxit: Dein porticus substruxit, per quas miles ad suffossionem muri innoxiè penetraret: Tum quatuor & viginti machinas proximè admovet, ignita jacula per urbem latè spargit, quibus correptæ sexaginta domus, oppidani ad restinguendum incendium ægrè laborarunt. Nec ab iis interim cessabatur, crebrò erumpentibus & contrariâ tormentorum displosione Mauritianos non parum fatigantibus. Sed postquam vineæ septem ad oppidi muros processerant, quos subjecto pulvere Mauritius subrui jusserat, ut undique patentibus incursaret, æquis conditionibus transigerunt, his potissimùm:

Leges deditionis.

„ Ut præsidiarii cum equis signisque dimitterentur: ægris exportan-
„ dis Mauritius currus & navigia commodaret; Sed lex imposita, tres
„ intra menses trans Rhenum ne militarent. Id actum XIV. Cal.
„ Octobris.

Linga à Mauritio obsidetur, & capitur.

Amissâ Grollâ, Fredericus Bergensis Lingam venerat, oppidum est trans Amasium fluvium non ignobile, duplici vallo & fossâ cinctum. Præsidium id temporis sexcenti erant, pedites plerique, modicus eques Fredericus ut sibi imminere obsidionem videt, quò castris hostilibus opportuna præriperet, vicinas & suburbanas ædes villasque incendit, latiùs vastitatem daturus, ni à Mauritio, Octobri desinente, coërcitus fuisset. Ductum ad urbem vallum haud magno negotio per valles & declivia collium quibus præcingitur. Ubi ad fossam promotum, per sulcos aversa aqua facilè ad limum reducta virgultis asseribusque superstrata calcabilem se præbuit. Exin Mauritius IV. Id. Novembris quatuor & viginti tormentis arcem quatit, cui ut Fredericus prospiceret, urbanas machinas derepentè in illam evehendas curat, quibus emissos in se globos, adæquatâ verberatione

ne in jaculantes regerit. Tùm Mauritius, quà duo propugnacula urbis prominent, suffossiones & latibula excavare jussit, quibus ad convellenda ima murorum miles tuto subreperet. Demum fit denuntiatio. Obsessi unius horæ spatium ad deliberandum petunt, quo non impetrato, deditionem pacti, oppido & arce cedunt Id. Novembris. Tùm distributæ in hiberna copiæ, & Mauritius tot urbibus debellatis, Frisiâque, quà Rhenum spectat, subactâ, ovans Hagam concessit

Ea inter, Pontifex Max. Clemens VIII moribus & gestis nomen adæquans, ut Petri clavibus Bellonæ delubrum clauderet, Philippo II. & Henrico IV. Hispaniarum & Galliarum Regibus conciliandis, se arbitrum interposuit. In Franciam ante biennium miserat Legatum suum Cardinalem Florentinum, per eum Regem ad pacanda dissidia hortatur: per Henricum Cajetanum, etiam Cardinalem, alium in Hispania Legatum de re eadem Philippum monet. Franciscus Bonaventura Calatogironus, Franciscanorum Generalis pacis Internuntius & velut Mercurius deligitur, qui eat redeatque, consilia, postulationes, pacta, conditionesque accipiat & reportet. Ille fausto pede viam capessit. In Gallia non utique concordes animos, sed pro inæqualitate sortis, alios pacem, plures bellum appetentes, invenit. In Hispania discordem regiam, validis utriusque sententiæ auctoribus. Novellus Princeps, juventâ gloriæque cupidine flagrans, pro bello nitebatur. E diverso Christophorus de Mora, Comes Castri Rodericii, sacræ Alcantarensis militiæ summus Commendator, ac in consistorio Regis consiliarius, gravibus verbis Christianam laudans concordiam, differebat pacem cum Gallo, non solùm intuitu publicæ utilitatis, sed & privatæ, esse ineundam. Bellum esse summam imperiorum perniciem & occasum, pacem munimentum quod munimento non indigeat. Philippum Regem ætate jam ingravescente admoneri, ut non tam lata regna, quàm tuta liberis relinquat. Gallicum Regem Belgio esse conterminum, qui sedatis domi civilibus dissidiis, externa bella irrequietus appetat. Denique unus ille omnes arma poscentes, prudentiâ, quâ summâ erat præditus, & dicendi facultate exarmavit. Et Philippus Rex fessus annorum, pacem filio cupiebat asserere, patrimonium tutissimum & opulentissimam hæreditatem. Prætereà Isabellæ amantissimæ filiæ constituerat Albertum Archiducem in matrimonium dare, Belgiumque in dotem, quæ dos, si bellum perseveraret cum Francis, incertis Martis eventibus nimis obnoxia, sponsis oneri potiùs & incommodo, quàm quieti foret. Regina Angliæ prærepto hoc rumore

1598.

Internuntii pacis inter Philippum 2. Hispan. & Henricum 4. Galliarum Reges.

Princeps Hispan. bellum spirat & suadet; diverso Christophorus de Mora pacem.

more

more, inter duo eminentissima rei Christianæ capita, concordiam omni consilio, & arte convellere molitur. Igitur Cæcilium suis arcanis intimum, unaque Wilquesium in Galliam mittit; & fœderatos Ordines, ut suos quoque Oratores eò destinarent, hortatur. Legationem obiêre Justinus Nassavius, maris Zelandici Præfectus & Joannes Oldenbarneveldius, Ordinum Hollandiæ Princeps assessor, patriæ Reipublicæ scientissimus. Andegavi Rex eâ tempestate agebat; Rex excepit Legatos summis honoribus, auditisque quæ in mandatis habebant, respondit: nihil se inconsultis amicis & fœderatis cum Hispano statuere voluisse, gratum quod mentis suæ copiam facerent: nec leves tamen sibi belli exvendi causas: Si in societatem fœderis venire ex re sua sit, intersint, ipsis in bello salutem esse sibi in armis summum regni detrimentum & excidium. Utrique ad pacem nauseantes re infectâ discedunt. Intereà Cardinalis Medicæus, Pontificis Legatus, fanum divi Quintini accedit. Rex Galliæ Sillerium mittit & præcipit, ne ante ad colloquium pacis veniat, quam fides ipsi facta, pacis leges ejusmodi fore, queis urbes, oppida, atque arces, quæ Hispanus abstulisset, restituantur. Franciscanus ad Albertum, cui pacis arbitrium Philippus permiserat, defert, ille ad Philippum. Hâc spe convenerat Villaregius cum Richardoto in Picardiæ finibus, Regis & Archiducis assensu, pacti ut ab utroque Legati mitterentur Vervinum, quod oppidulum est in Veromanduis, ex ea pace famam adeptum. Nuncupati à Rege Legati Pomponius Bellicurius & Nicolaus Brulartus Sillerius, sacri consistorii consiliarii: ab Archiduce Joannes Richardotus Sanctioris Consilii Præses, Joannes Baptista Taxius, eques militiæ Divi Jacobi, & Ludovicus Vereycken, Secretariorum Princeps & Chartophylax. Tandem post plurimas disceptationes VI. Non. Maii instrumentum pacis perscriptum. Pactorum seriem, quod vario idiomate typis exprssa, carptim enumero: „ Ut utrimque diffidia, simultates, & odia perenni oblivione obliterata maneant; pax Cameracensis inita anno „ 1559. rata ac firma habeatur; jus commerciorum liberum sit; arces & oppida ab ipso fœdere Cameracensi capta, ultrò citroque „ restituantur; Sabaudiæ Dux urbem & arcem de Berre in Phocensi provincia restituat: quod ad Salussios spectat controversiæ „ arbiter sit Pontifex, qui intra annum sententiam ferat; Tum socii „ hoc fœdere comprehensi, utrimque appellati, & addita cætera le„ vioris momenti. Henricus Comitatū Carolesium Philippo restituat. Vicissim Philippus Henrico Caletum, Ardeam, Montulinum, Dorlanium, Capellam & Casteletum in Picardia, & Blavetum in Britannia

Regis ad Anglicanæ & Batavorum Oratores responsio.

Concessus ad colloquium pacis.

Legati pacis

Summa pacis.

tannnia, impari sanè commutatione. Eodem mense Maio Rex Parisiis solemni jurejurando pacem sanxit, adstantibus ab Archiduce Legatis, Duce Arschotano, Mendosa Arragoniæ Admiralio, Velasco, Richardoto & Taxio. Bruxellæ paulò post Archidux eidem fœderi observando, ad aras se obstringit, consciis & testibus Bironio ac Bellieurio & Brulartio. *Pacis mutuum jusjurandum.*

Bello Gallico per pacem composito, Philippus valetudine indies cum ætate inclinante, utrosque liberos, gemino connubio gentilibus copulat, summo Pontifice Canonum rigorem mitigante. Ergò ejus veniâ Philippum filium Margaritæ Austriacæ, ex sorore nepti; Isabellam Claram Eugeniam filiam, Alberto Archiduci desponsat. Pacta connubilia Isabellæ in hunc propemodum sensum conscripta sunt: „Isabellam in manum dari Alberto agnato, „in dotem potituram Belgio & adjacentibus provinciis, cum Comitatu Burgundiæ. In universam illam ditionem exhinc nascituros liberos, jure hæreditario successuros, mares sive fœminas, „prælatis tamen maribus fœminis, & primogenito minori; eâ lege, ut „superstites ex linea directa, collateralibus sint potiores: nevè compagem Provinciarum divellere, dividere, aut ex parte alienare „possint, sed in solidum possideantur. Non extantibus liberis, vel „præmortuis superstitibus Alberto & Isabellæ, donationem hujuscemodi irritam fieri. Quod si Isabella vidua sit sine prole, ex bonis maternis dotem, cum legitima paternæ hæreditatis, debitam „iri: Si verò Isabellæ præmortuæ supervixerit Albertus, Belgio & „Provinciis ut vicarium proprietarii, imperaturum, quod si ex dicto matrimonio liberi omnes, vel ex his orti, atque nati natorum „decesserint, & ex gente nullus extet, Belgicas Provincias cum „Comitatu Burgundiæ ad Hispaniæ Regem ex Philippo ortum, redituras. Neutri fas esse, nec eorum liberis, & ad hæreditatem „substitutionis jure accitis, dictas Provincias sine placito Regis Hispaniæ ejusque successoribus distrahere, dono, emptione, vel pignori tradere. Heroïs ad quam illa ditio pertinebit, ea Hispano Regi, vel ejus hæredi nubere obnoxia sit, alterius gentis interdicto „fœdere & copulâ, ne ad exteros res dotales abeant: Quod si pacto „audiens non sit, hujuscemodi donatio nulla sit. Ut liberos suos, non „nisi ex Regis arbitratu, nuptui collocent. Ne liceat Alberto & „Isabellæ, eorumvè liberis ad Eoäs Occiduasque Insulas Indiarum, „commercii causâ, classem mittere. Si Isabella præmoriatur, liberorum pater Albertus, tutor sit & administrator, Provinciarumque præfecturam habeat, ac si uxor superstes foret, cum usufructu; eâ, lege, ut educationis sumptus faciat, quantos eorum celsi-

Rex Hispa. suos liberos Austriis gentilibus copulat.

Pacta dotalia Isabellæ cum Alberto.

„tudinem decent: atque adulto primogenito, cujuſcumque ſit „ſexus, Lucemburgicum Ducatum Comitatumque Chiniacum „attribuat, donec patris fato, uſufructu extincto, rerum potiatur. Ex „eo matrimonio naſcituri liberi, auſpicantes imperium, fidem Ca„tholicam ex ritu Romanæ Eccleſiæ profiteantur; ſi ſecus, aut „ex futuris liberis quiſpiam à priſca fide ſit devius, ipſo jure omni „dominio & proprietate Belgii & adjacentium Provinciarum exci„det, ſolvanturque obſequio & fide clientelari, admiſſo proximo „agnato & gentili Catholico, qui de vii, ſi deceſſiſſet, proximus hæ„res foret, eo caſu hæreſim cum morte naturali adæquans. Acta „hæc Madritii pridie Nonas Maias 1598.

Pactis connubialibus annuit Philippus Princeps Hiſpaniæ, ſubſcripſitque. Hoc peracto, Iſabella futurum conjugem Albertum, conſcriptis tabulis, vicarium conſtituit, ut ejus nomine Belgii dominium poſſeſſionemque capeſſeret, quibus tabulis XVII. Cal. Sept. in frequenti Ordinum conſeſſu recitatis, dies dicendo exempta fuit, Ordinibus afferentibus hoc eſſe adverſum legibus, quæ non niſi coram Auguſta imperium inchoäri volunt. tandem Richardoti Præſidis interventu, res compoſita fuit: atque poſtridie Albertus, nomine Iſabellæ, in frequenti Ordinum conſeſſu priſcas libertates, immunitates, conſuetudines, jura, privilegia & læti ingreſſûs obſervantiam ſervaturum; eaque quæ contra majorum inſtituta perperàm innovata, aut abrogata eſſent reſtituturum, jurejurando fidem obſtrinxit: Ordineſque viciſſim inter feſtivos populi applauſus, tubarumque clangores in verba ejus jurarunt & obſequium polliciti ſunt. Indè ad palatium itum eſt, ubi lautiſſimo convivio Ordines accepti, & proſperæ Philippi & Iſabellæ valetudini honorificè propinatum fuit.

Albertus Ordinibus, & hi viciſſim ipſi jurant.

Paulò poſt Albertus in Hiſpaniam abiturus, ſummam rerum demandat Andreæ Auſtriaco, Cardinali, cui pater Ferdinandus Comes Tirolenſis, frater Maximiliani, qui Alberto genitor; & Franciſco Mendoſa, Admiralio Aragoniæ rei bellicæ Præfecto. Exindè voti ergò ad Ædem Deiparæ Virginis Hallenſis toto orbe miraculis celebrem, profectus, ſacram purpuram ſuſpendit: & poſt vota nuncupata, procerum Belgarum ingenti comitatu ſeptus, per Nivellam, & Namurcum facto itinere Lucemburgum venit. Indè per agrum Trevirenſem & Wirtenbergicum in Bavariæ fines, indè in Tirolenſem Comitatum pervenit, quacumque tranſierat apophoretis, muneribus luculentis, viatico, pabulo, & commeatu magnificentiſſimè exceptus. Oenipontem prætervectus, Marga-

Albertus purpuram ponit.

Proficiſcitur in Hiſpan.

ritam cum Maria matre & mille equitum comitatu obviam habuit, quæ se sociam itineris Alberto gentili & paranimpho committit. Indè in Italiam contendunt, & Tridenti tantillùm subsistunt; atque indè digressi per Venetorum fines, Ducis Mantuani ditionem ingressi sunt. Indè secundo Pado Ferrariam sunt devecti, ubi tùm Clemens Pontifex erat, qui de adventu certior factus, eò loci, ubi in continentem erant exscensuri, delectum Purpuratorum, Antistitum, ac equestrium nobilium mittit qui venientes salutent, & de Regii connubii pactis, faustisque hymenæis gratulentur. Fidem superat, quantâ pompâ sumptuque fuerint excepti, de quibus cum opuscula variis linguis extent, consultò prætereo. Denique die Dominicâ XVII, Decemb. quæ sponsalibus dicta erat, ad summum Templum Pontifex præcesserat, & cum diademate reliquoque cultu Pontificio, sacrum celebraturus, in solio consederat. Margarita candido amictu admirabilis texturæ, tota fulgens gemmis, inter geminos Cardinales media, subsequente Archiducissa matre & Alberto, coram Pontifice sistitur, & indè sub Augustale tentorium sibi cum matre paratum, illinc Albertus sub suum concessit. Post Apostolicum Symbolum decantatum, ad Pontificem accedunt: tùm mandatum Regis Hispaniæ ad Albertum de ineundis peragendisque suo, & vicario nomine nuptiarum ritibus, perlegitur, quo perlecto probatoque, Pontifex Margaritam, Alberto Hispaniæ Regis vicario despondet. Mox recitato mandato, quod Isabella Clara Eugenia Duci Suessiæ miserat, Albertus illi despondetur. Re divinâ peractâ, Pontifex Reginæ ad altare reductæ, Rosam consecratam ex auro purissimo donavit. His peractis tota Ferraria in convivia, plausus, lusus, choreas, spectacula & circensia certamina effunditur. Paulò post salutato Pontifice, Mantuam regressi sunt, ubi à Gonzaga Duce, novendiali publico sumptu excepti sunt. Mantuâ digressi, Mediolanum pergunt, ubi à XXX. Novemb. usque Martium anni proximi constiterunt, donec Bruma tepesceret, ver appeteret, & mare navigationis fieret patiens.

Iungit se Margaritæ.

Ferrariæ excipiuntur à summo Pontifice.

Despondetur Margarita Philippo III. tum Archidux Isabellæ.

Mediolani hyemem exigunt.

Intereà dum Margarita & Albertus pactæ expectant tempora tedæ, in Belgio Mars classicum canit. Franciscus Mendoza medium sub Autumnum propter Mosam exercitum convenire jubet. Censu acto, comperit viginti millia peditum, & equitum bis mille. His copiis succinctus, in agro Juliacensi castra metatur: cumque propius Rheno accessisset, Bonnam inter & Coloniam, coacto undique omni genere navigiorum exercitum traducit. Orsoium, oppidum id paulò supra Rhynbercam Rheno imminet, ad primum

Interim Mendoza capit Orsoium & arcem.

conspectum regiarum copiarum portas protinùs pandit. Indè præsidiariis, qui arcem tenebant deditionem imperat, ni parerent carnificem & laqueum ostentat, quo spectaculo illi territi, extemplò se dediderunt.

Rhynbercam obsidet & capit. Inde Rhynbercam obsidione cingit. Mauritius, ut conatibus Mendozæ obviam iret, tres centurias mittit, tuendæ insulæ, oppido oppositæ. Sed cum infirma essent insulæ munimenta, nec citrà periculum in ea consistere possent, jussu Præfecti in oppidum traductæ sunt. Subiêre Regii, positisque machinis, Mendoza ex insula soloque murum concuti jubet, cumque aliquot horas in urbem fulminasset, accidit ut globus igne candens, inciderit in turrim, in qua pulvis nitratus asservabatur, qui igne concepto, dicto ocyùs, ipsam turrim funditùs evertit, unaque ædes proximas & munitionem portæ Rhenensi objectam, prostravit, aliquot mortalibus ruinâ elisis. Quare obsessi, cum, consumpto omni pulvere, exiguam sibi in armis spem esse intelligerent, & Regii ad irruptionem se pararent, per tympanistam colloquium petunt, ac tandem conventum, ut cum sarcinis, armis, signisque complicatis, catapultario fune extincto, tympanis tubisque silentibus, exirent, jurejurando præstito, se intra quadrimestre Ordinibus non militaturos. Ita quinto die peractum obsidium.

Vesalienses præsidium magno rediment. Mendoza eâ victoriâ elatus, Vesalienses ingens equitis ac peditis præsidium recipere jubet. Illi coacto Senatu Legatos mittunt, qui Mendozam pacarent & cum eo transigerent. Post multam disceptationem, conventum est, ut centum Thalerorum millia dependerent, & mille frumenti modios præberent, suisque sumptibus trajiciendo Lippæ fluvio pontem sternerent. Postquam imperata fecerunt, Mendoza Resam, Emmericum, aliaque Rheno adjacentia oppida præsidiis firmat. Exin promotis castris, Doticomium admotis machinis pulsat, Post tridui oppugnationem dirutâ portâ, quâ Doesburgum itur, obsessi ad postulandum colloquium descendunt. Conditiones propositas Mendoza recusat & suo arbitrio oppidum dedi postulat. Tandem in has conditiones assensit: ut præsidiarii cum armis & impedimentis dimitterentur, signa victori traderent, & intra sex menses arma non ferrent. De oppidanis nihil perscriptum, quibus tamen vitæ & fortunarum incolumitatem Mendoza indulsit. Indè Schulenburgum Castrum deditione accepit, præsidiariis cum puro scipione dimissis. Ita ingravescente brumæ rigore & penuriâ commeatus, exercitum ad hyemandum deduxit.

Doticomium se dedit.

Mox Schulenburgum.

Philippus II. æger. Porrò Philippus Hispaniarum & Indiarum Rex chiragrâ febrem con-

concitante quamtumvis dissuadentibus Medicis, tamen Fanum Laurentii, vulgò l'Escurial, deferri statuit. Fanum Laurentii sex leucis à Mantua Carpentorum abest, palatium cui nihil simile fama dixit, Regum Hispaniarum Mausolæis stipatum, quo bajulorum humeris, spatio septem dierum, sensim vectus est. Sed mox pertinaciore cum morbo conflictatus, præscius extremæ lineæ jam se admotum, expiatis culpis, sacræque Eucharistiæ viatico procuratus, Philippum filium, & Claram Eugeniam Isabellam filiam accersiri jubet, quibus renudato corpusculo, quod viva erat morborum officina, *En?* ait, *specimen mundanæ gloriæ, mox futurum, imò jam factum cadaver. Hic mundi fastus & regnorum caduca spes. Quantulum est, quo alti stamus, momento ruimus inter ignobilem plebem censendi.* Hæc fatus, feretrum condendo corpori paratum afferri, ac cranium regio diademate redimitum, abaco super imponi jubet, ut earum rerum conspectu mortalitatis admoneretur. Mox allatâ sibi capsulâ, monile ingentis pretii, quod ab Isabella uxore acceperat, promptum, filiæ, tanquam fidei suæ commissum, donavit, utque observantiæ memoriæque sui sacrum pignus haberet, enixè commendavit. Tum tabulas, quibus omnem rectè administrandi imperii rationem descripserat, ex eodem scrinio depromptas, Philippo filio tradidit, eamque ut omninò sequatur seriò monuit. Exindè flagellum cruentatum protulit: *Videte*, inquit, *sanguine mei sanguinis, hoc est, Caroli patris adhuc rubet*; addens, illud se inter prima cimelia ideò asservasse, ut liberos suos, eo ostenso, avitæ pietatis commoneret. Paulò post, quâ pompâ funerari vellet, & quo cultu nuptiarum solemnia celebrari, paucis edixit. Natis curam & studium avitæ orthodoxæ religionis imperat, addito, ut filius subditas gentes pace potiùs, quàm bello obsequentes haberet; Justitiam coleret, bonos præmiis, malos pœnis prosequeretur. Quibus peractis, natos post osculum & amplexum dimisit. Tandem premente fato, sacro oleo delibutus, Christi Servatoris iconem, ex arcula eductam, sibi afferri jussit, in cujus amplexu se migrare velle professus est, eamque esse, quam Pater moriens amplexus esset, cum ante quadraginta annos, eodem mense, debitum naturæ persolveret. Denique Eid. Septembris 1598. dierum ac meritorum in Ecclesiam remque publicam Christianam plenus, non dicam extinctus est, sed ut credi par est, in Cœlum, undè venerat, revolavit, cum annos quadraginta tot diffitas gentes, discreta regna & ditiones rexisset, & septuaginta duos annos vixisset.

Bajulorum humeris Escurialum devehitur.

Verba ejus ad liberos.

Moritur anno ætatis 72.

Yyy 2 Fuit

Encomium Philippi. Fuit ſtaturâ humili, cute candidâ, ſufflavo crine, cæterum firmâ corporis valetudine; judicio acri, ac ſublimi; animo forti & conſtanti; regnandi peritiſſimus, cunctator eximius, & qui temeritate nunquam, aut rarò peccavit; Ab Eſcuriali, quaſi è machina, terrarum orbem percurſabat, ſingula rerum & bellorum momenta, quocumque ſe inclinarent, ſolerti ingenio ponderabat; tamque diffuſum; ac latè patens imperium, unius capite, ut firmiſſimo axe, vertebatur. Fortunam utramque expertus eſt. In exordiis principatus, Marte proſpero adverſus Gallos pugnavit, partâ illuſtri illâ in S. Quintini confinibus victoriâ. Et paulò poſt ad Gravelingæ oppidum, quæ tanti momenti fuêre, ut pacis cauſam, quæ à loco ubi facta eſt, anno 1559. Cameracenſia appellatur, præbuerint. Deindè Duce Joanne Auſtrio, partâ celeberrimâ ad Eſchinadas, contra Selymum Turcarum & Biſantii Imperatorem, victoriâ: At modeſtiâ clarior, quàm triumphis, cum nihil ſuum, omnia Divini muneris eſſe, aſſerere. Fortunam aſperam expertus eſt, dum hereſim, libertatis ſpeciem, Belgicâ, occulto veneno ſerpentem in ſemine elidere nititur. Hinc exorta civilia bella, eaque acerbiora, quod nullos infeſtiores hoſtes, quàm Batavos paſſus, eoſdemque ſubditos. Dein anno ſupra milleſimum quingenteſimum octuageſimo octavo, cum ingens illa Hiſpaniæ claſſis, tanto navium numero, armatorum, pabulorum, commeatuum pertimeſcenda, per brevia & ſyrtes portuumque ſinus, cælo & Oceano pugnantibus, colliſa & ſparſa, in varias oras, potiſſimumque in Scotiam impegit. Ad primum cladis nuntium, nil aliud quàm hoc protulit effatum: *Non cælo, ſed terris expeditionem indixeram.* Et quid mirum! Loricam ſibi, non ut ille conſertam hamis auroque trilicem, ſed ſuetâ in Deum fiduciâ formarat, quâ tutus, cataphractam velut majeſtatem in ullo concuti non permiſit. Cæterùm ſive cœlum ſpectemus, ſive terram, fuit Philippus de utroque perbenè meritus; Cœlo, dum naſcentes hæreſes, quantum potuit, ſuſtulit & extinxit; atque Orientis Occciduique orbis gentibus, errorum gentilitatiſque nube detersâ, fidei lucem intulit. Terrâ, dum Academiam Duacenam, plurimaque ſeminaria in Belgio, aliiſque Regnis & ditionibus erexit, Regiaque magnificentiâ dotavit, è quibus epibatas & claſſiarios educeret, qui fluctuantem inter tot errorum procellas religionem, fulcirent, pro eaque conſtantiſſimè dimicarent. Potentiam ſi attingimus, nota eſt Eöis & Heſperiis. Ecquis enim eſt hodiè tam longinquus in orbe locus, aut ab hominum conſortio remotus uſquam angulus, quò non Philippi

fama

fama pervaserit? Quæ gens, quæ natio moribus & honestis exculta disciplinis, vel ab omni civilitate cultuque aliena, quæ non jam pridem ejus nomen, gloriam & potestatem admiretur? Amurates Bisantinorum Imperator, haud in minima gloriæ parte posu t, fœdus cum co ferire: Nec non Sachus Mahometus Persarum Rex, amicitiam ejus ambivit, ac magnificâ legatione institutâ, eum opulentissimis muneribus excoluit. Editus est in lucem XII. Cal. Junii, anno Christi supra millesimum quingentesimum vigesimo septimo, & ætatis decimo septimo, matrimonio sibi junxit Mariam, Joannis Lusitaniæ Regis, ejus nominis tertii, filiam, è qua sustulit Carolum, in ipso ætatis flore extinctum. Mariâ Lusitanâ vitâ functâ, alteram Mariam, Angliæ Reginam, anno 1554. in consortem thalami duxit, Regnumque illud Catholicæ religioni, & Apostolicæ Sedis auctoritati restituit, quâ sine liberis sublatâ, Isabellam, Henrici II, Galliæ Regis filiam, anno 1560. uxorem accepit, quæ illi geminas peperit Augustas, primogenitam Isabellam Claram Eugeniam, quæ Alberto Archiduci; & Catharinam, quæ Carolo Emanueli, Sabaudiæ Duci nupsit. Isabellâ terris ereptâ, quartas nuptias fecit cum Anna Austria, Maximiliani II. Cæsaris filia, Pontifice tertium consanguinitatis gradum, quo eam contingebat, indulgente, genuitque ex ea tres masculos & unam fœminam, ex quibus solus patri superfuit Philippus III. omnium Regnorum hæres. Diem emortualem habuit XIII. Septembris, conditus in Mausolæo Majorum, exequiali pompâ non ita profusâ, sed quam ipse extremis tabulis dixisset. Ista de Philippo carptim delibavimus, cujus res omnes gestæ, & vitæ longævitas vitam scribentis, ut Philippi illius Macedonis occuparent.

Anno superiore Franciscus Mendoza consilium cœperat hyemandi cum exercitu in solo Imperii. Quare primo impetu in Westfaliam irrumpit, quæ cum alendis copiis non sufficeret, Reclinhusæ territorium, Lippiam inter Ruramque adjicitur. Hinc ad Montenses, & longius processit malum, donec in Cliviorum finibus consedit. Eam ob causam Westfali, & ab his impulsi Principes qui Rhenum accolunt, illatam sibi vim apud Rudolphum Cæsarem querebantur: Et Mendoza Delegatum mittit, per quem factum necessitate excusabat; hospitia quæsita præsidiaque disposita, ut Batavorum excursionibus obnoxiæ Regiones undique præmunirentur. Cæsaris decreto jussus Germanici Imperii solo decedere, damna illata sarcire, alieno in posterum abstinere. Igitur Mendoza vixdum ineunte Vere, militem ex hybernis eduxit, erat is mil- 1599.

lium

Emmericum missis ad Mendozam oratoribus promittit fidem & obsequium,

lium quindecim, Rhenoque trajecto, Clivensis ditionis loca stationariis firmat. Restitit conatibus Emmericum, quod Batavi præsidio tenebant: Quare Mendoza admotis tormentis oppidum pulsat, quâ re territi cives, ad Mendozam mittunt, & quantumvis reclamante Præfecto, imperata se facturos pollicentur. Igitur præsidiarii circiter mille oppido impositi, quibus Comes Buquoius imperabat. Mauritius non ferens tam vicinum hostem, copiarum partem eò traducit. Ne verò suis vallum jacientibus, præsidiarii essent impedimento, Ludovicum Nassàvium cum parte equitatus præmittit, ille equites aliquot, qui prædabundi armenta è proximis pascuis abigant. Præsidiarii duce Buquoio prædam Batavis erepturi, portis erumpunt. Illi ad suos se proripiunt, insequuntur Regii ignari doli, instantque fugientibus. Ubi ad locum insidiarum pertracti sunt, erumpit Nassavius, & ne quicquam fortissimè pugnantes circumvenit. Buquoius ipse capitur, alii vix periculum evaserunt. Intereà Cardinalis Andreas & Mendoza exercitum in Bommelianam insulam, quam divortio facto, Vahalis fluvius geminâ parte alluit; transtulerunt His Mauritius auditis, Bommelæ metuens, protinùs cum parte equitatus & peditatus eò advolat, antequam Regii Vahalis ripam occupassent: Penetrat in urbem, perculsisque periculo civibus, & fugam parantibus animos restituit, auget præsidium, munitiones longè promovet, vallumque ad Vahalis usque ripam ducit, ex quo continua machinarum displosione Regios infestat. Quare ex Consilio belli Ducum, à Bommela copiæ reducuntur, & in Isthmo quodam insulæ, ubi Vahalis & Mosa coëunt, arcem munitissimam moliuntur, quæ ab Andreæ nomine vocitata, hinc Mosæ, inde Vahali incumbit. Opus summâ celeritate & arte perfectum. Interim inrescente Autumno cum graves inter Mendozam & aliarum gentium Duces exortæ essent simultates, & jam plerique Imperia detrectarent, miles varias in partes dimissus est, quò minus seditio coälesceret. Indè Mauritius occasionem oblatam minimè è manibus sibi eripi passus, Gulielmum Nassàvium cum delectis Dotecomium mittit, oppidoque sic nullo discrimine potitur; ac paulò post Crevecordium, propugnaculum in finibus Sylvæ-Ducensium, irrito conatu, tentat.

Andrea arx excitatur.

Simultates inter Mendozam aliosque Duces exorta.

Diximus supra Augustam Hispaniæ & Albertum Archiducem post Ferrariensem desponsationem Mediolani substitisse, donec bruma tepesceret & ver appeteret. Februo desinente, per Ticinum Genuam contendunt; ibi triremes Ligusticas, arte & opere exquisitissimo fabrefactas, conscendunt Niceam appellunt; dehinc Massi-

Massiliam, ubi à nausea & jactatione pelagi tantillum recreati, tandem mitescentibus ventis, & pelago remissiore Barcinonem deveniunt. Indè Valentiæ fines subeunt, hinc Albertus expedito essedo Regem sponsamque complexurus, accelerat, & Madritum ad Augustam matrem salutandam proficiscitur. At Rex Philippus III. videndæ conjugis desiderio æstuans, ementitâ veste, Augustam Regiâ vice salutaturus, Valentiam advolat, non ita tamen callidè personam induit, nec vultum fingere potuit, quin pro Rege agnitus, prima sponsæ oscula delibaret. Tandem nuptiis celebrandis dies XIV. Cal. Majas destinatus, quo sponsaliorum mysteria à summo Pontifice anteà Ferrariæ peracta, ab ejus Vicario denuò confirmata sunt. Indè itum ad nuptiale epulum Regio cultu instructum, diesque octo genialibus ludis exacti sunt. Theatra, emblemata, elogia, statuas, simulachra, & cætara id genus, quæ ad ovationem publicam pertinent, describere prætermitto, notâ tamen indiget, Hispaniæ Regem octavo spectaculorum die, Velleris aurei Torque Albertum, Castellæ Amirallum & Doriam Ligustici maris Præfectum, insignivisse.

Ubi vero ludis, choreis, conviviis, ac hujuscemodi deliciis abundè indultum, Albertus de rerum Belgicarum statu anxius, reditum urget & ad VII. Idus Junii profectio pronuntiatur. Igitur Regi, ac Reginæ, post mutuam tenerrimi affectus, voluntatisque conjunctissimæ significationem, dicto supremo vale, Albertus cum augusta conjuge, classem conscendit, littusque Tarraconense prætervecti, trajectoque sinu Narbonensi, non multorum dierum spatio, Genuam appellunt. Hinc Ticinum carpentis & vehiculis, ut Clemens Pontifex utrumque Pontificiis muneribus demereretur;. Alberto mucronem ad aras consecratum, Isabellæ rosam ex auro puto misit. Indè terrestri itinere Mediolanum profecti, Italiâ relictâ, per Helvetiorum fines, superatis Apennini jugis, in in Alsatiam, Lotharingiam, agrumque Lucemburgensem, sub exitum Augusti Namurcum pervênere, ubi dies paucos, reparandis longinqui itineris molestiis, consecrarunt: Tandem Cal. Septemb. in Brabantiam concedunt; ad cujus fines, Ordinum ejus Provinciæ Legati, ardentissimis votis & communi gratulantium studio, Principes excepêre, & Bruxellam solemni pompâ, urbisque ovatione quintâ ejusdem mensis deduxêre; quò eodem tempore Principes totius Belgii urbes, per Legatos suos adfuêre, adventum suorum Principum exultantibus animis exosculantes, ad quos, velut ad gemellos Castores, in diuturnâ hâc bellorum tempestate, respiciebant

Albertus cum Isabella in Belgium proficiscuntur

cubant. Indè VIII. Cal. Januarias, Lovanii Principatus solennia inierunt. Convenerant ibidem Antistites, Nobiles, & quatuor primariarum Urbium Brabantiæ Delegati, tres ejusdem Ducatus Ordines referentes, in quorum consessu, Cancellarius Brabantiæ Principum nomine, causam conventus, paratumque suarum Celsitudinum voluntatem, ad confirmanda vetera Ducatus privilegia, lætumque ingressum, & ad jusjurandum more avito præstandnm, disertà oratione exposuit: utque idem ipsi facerent Ordines, commonuit. Deindè Audientiarius, quem primicerium Secretariorum indigitant, læti ingressus seriem recitavit, ac prolatâ mensulâ, panno aureo instratâ, cum pulvinaribus item aureis, iisque imposito sacrato mysteriorum codice, quem Liturgicon appellant, Archipræsul Mechliniensis ex unâ, Cancellarius Brabantiæ ex alterâ parte nomine Ordinum accedentes, ingenua procidierunt, lectaque ab Audientiario Latinè & Teutonicè jurisjurandi formulâ usque ad verba: *Sic me Deus amet & omnis Sanctis ejus*, præeunte Archiepiscopo, accessit Infans Serenissima Isabella, genibusque innixa, tactis manu Sacrosanctis Evangeliis, solemne Sacramentum Ordinibus dixit; quod ab Archiduce separatim factum est. Tum Ordines Brabantiæ vicissim & ipsi in verba Principum jurarunt, suamque iis fidem obstrinxerunt. In hac jurisjurandi dictione, Principes ad Sacrosancta Evangelia jurarunt, nullam se vim, aut violentiam subditis illaturos, nec ullo pacto ab aliis inferri permissuros, eosque secundum jus & justitiam, juxtà propria ipsorum statuta, leges & consuetudines locorum, gubernaturos. Insuper sarta tecta conservaturos omnia jura, libertates, immunitates, consuetudines, usus & privilegia, rerum sacrarum Præsulibus, Nobilibus, Civitatibus, Oppidis, Municipiis, Pagis cunctisque Brabantiæ subditis à prædecessoribus suis Ducibus & Ducissis Brabantiæ, indulta & concessa, eâ formâ, & sicuti ipsi hactenùs iis uti & frui consuêvere: Et quidquid horum infractum, aut innovatum esset, reparaturos & restauraturos, neque commissuros, ut adversum ea ullo pacto unquam eatur. Cæterùm cùm lætus horum Principum ingressus in omnibus suis capitibus consentiat cum ipso contextu pactorum inauguralium Caroli V. Cæsaris, & Philippi II. Hispaniarum Regis, quæ suo loco ex vernaculo latinè expressimus, esset jactura temporis eundem hîc describere.

In consessu Ordinum Brabantiæ solenne Sacramentum dicunt: Ordinesque vicissim in verba Principum jurant.

1600.

Fœdera, i Wachtendonkam astu intercipiunt.

Dum pro instituto veteri receptoque more, novi conjuges aliis in urbibus Principatum ineunt, & ovationibus passim litant, publicum gaudium Mars interpellat: nam cum octo turmis equitum, totidemque

que peditum signis, Ludovicus Nassavius furtim profectus, Wachtendonckam, Clivios circa fines oppidum, astu intercipit. Erant in præsidio milites omninò octoginta: eques servando loco additus, per Agrippinensium fines populabundus aberat. Itaque per fossam glacie concretam pauci in vallum & muros enisi, portas cæteris recludunt. Tum Gelenius, qui oppidum pignoris loco tenebat, cum triginta catapultariis in arcem se recepit, speque auxiliorum, quæ oratum miserat, sustinebat oppugnantium impetum. Tandem multitudine victus, & vulnere circa fauces accepto manus dedit.

Singulare certamen inter Regios & Gallos.

Sub id intervenit, ut Breautæus, claro apud Normannos sanguine ortus, Batavis militans, in pugnam provocaret è turma Baronis de Grobbendonck, Urbis Sylvæ-Ducensis præfecti, equites viginti & unum: tempus & locus condictus, hic quidem ericetum Fuchtense, uno à Sylva-Ducis milliari; illud verò quinta dies Februarii: pactaque à Regiis inita & juramento firmata, nemini post conflictum parsuros eorum, qui acie evaserint inferiores. Itaque prodière paribus & armis & numero, signoque dato per tubicines, admissis equis tanto impetu concurrunt, ut XXVI. equi utrimque sternerentur, & Gerardus Abrahamus, cognomento castrensi Leckerbeetken, hoc est Cupedinarius, Grobbendonci Vicarius, à Breautæo glande trajiceretur. Mox Antonius ejus frater cum tribus commilitonibus sternuntur. Superstites Belgæ suorum necem ulturi, pugnam redintegrant. Breautæus, qui jam tertiò in recentem equum insilierat, acriter dimicabat, tametsi plures è Gallis caderent. Ferocius instant & urgent Belgæ, Gallosque in fugam vertunt. Breautæus cum paucis suarum partium, cæterorum impetum sustinere impares, se dedunt; vitamque frustrà pacti, multo vulnere conficiuntur, eorumque sanguine suorum manibus victores parentarunt. E Gallis XIV. è Belgis V. dumtaxat desiderati.

Tumultus inter Archiducum milites.

Ea inter Archiducum milites, ob æra militaria non numerata, conjuratâ coïtione, seditionem variis locis excitarunt. Liræ in Brabantia primùm tumultuari cœperunt. In Gelria oppidis exclusi, Hamontium municipium in Leodicensi diocœsi occupant muniuntque, & latè circum incolis gravia tributa indicunt. Qui castellum Crepricordium, Disæ Mosæque adjacens, præsidio tenebant, imperium detrectabant. Idem factitabant qui Santandreanam munitionem tuebantur. Missi ad eos Chiliarchi & Centuriones magni nominis, quorum facundiam ære vacuam, despectui habuère, neque se Principibus auscultaturos palàm edixêre, nisi reliquiis veterum pensionum persolutis.

Mauritius Crepicordium occupat. Comes Mauritius hanc rei gerendæ occasionem arripiens, XV. Cal. April. militem ex hybernis accitum, Dordraci navibus ducentis imposuit, & adverso Mosâ subvehi jussit, ac decimo tertio Cal. ejusdem mensis circa Crepicordium exposuit; Postridie præsidiarios ad deditionem munitionis interpellat. Illi, pœnam, quam rebellione meruerant, pertimescentes, locum illicò Mauritio dediderunt, eique, paucis exceptis, militare Sacramentum dixerunt.

Santandreanā munitionem obsidet & obtinet. Indè VII. Cal. Apr. ad Santandreanam munitionem castra ponit, perfossisque ad Liddam aggeribus, æstuantis maris undas totis latè campis diffundit; & si quis locus ab undis vacuus, illum munitionibus includit, ut ita omnem ad obsessos aditum clauderet. Obsessi nihilominus assiduâ tormentorum displosione impigrè vim propulsabant. Sed multarum rerum & medicaminum imprimis & lignorum egestate laborant. Sylvæ-Ducenses spem auxiliorum crebris ignium signis faciebant: venit & ductoribus Velasco & Barlotto exercitus, sed nullum ad obsessos iter invenit, mersis undique campis. Ita spe auxiliorum nullâ, propugnaculum dedere Mauritio offerunt, si quater centena florenorum millia, quæ ipsis stipendii nomine debebantur, dependeret. Tandem post multam licitationem, Nonis Maii pro centum & viginti quinque millibus paciscuntur. Hoc pretio emptum validissimum, & vi non expugnabile munimentum, tum machinæ majores octodecim cum omni apparatu bellico & quæ inerant alia, & mille ducenti milites transgressi in partes, ideò probroso dicterio appellati sunt Novi Geusii.

Mauritius exercitum in Flandriam transportat. Utendum seditiosorum turbamentis & transfugiis ratus Mauritius, Zelandorum maximè precibus fatigatus, quod postquam Trans-Rhenanis & Hollandiæ prospectum, ipsi hostium vicinitati relinquerentur, maritimum aliquod Flandriæ oppidum aggredi statuit. Igitur coäcto exercitu, quem conflabant peditum centuriæ viginti & septem, turmæ equitum viginti & quinque, eum navibus imposuit, ac tandem X. Cal. Jul. non longè à littorali propugnaculo, quod à Rege Hispaniæ, Philippicum appellatur, appulit. Præsidiarii milites salvis rebus suis de deditione pacti, abeunt; mox & Asseneda cessit. Profectò indè Mauritio, affertur desertum à Regiis Aldenburgi castellum, paria de munimento Bredena nuntiabantur. His in locis relictis præsidiis, Comitem Solmensem cum parte exercitus Ostendam præire jubet: ille munimentum Alberti, ex Archiducis nomine appellatum, Ostendam inter & Neoportum, in arenosis

Neoportum cingit. littoris collibus excitatum, protinùs occupat. Postridie munimentum Suaskerkanum pari ignaviâ deditur. Hinc Neoportum ducit, ubi

ubi portu occupato, expugnantiſque ad portum munimentis, in utraque ripâ caſtra metatur. Inter hæc Archidux Albertus, ut periclitanti Flandriæ ſubveniret, illicò copias undique contrahit. Perducti quoque precibus, ac pollicitis ſolvendi æris, Hiſpani, qui Dieſtæ nuper egerant, ut communi periculo manus commodarent, nec hoſti Flandriam, ſuâ ſeditione, proderent. Convenerunt ſub ſignis, haud procul à Gandavo peditum millia duodecim, equites mille & ſexcenti: Ubi Iſabella Sereniſſima, Agrippinæ inſtar, Germanicum ſuum inter ſigna ſecuta, gemmis & unionibus radians, candidoque vecta equo, Ordines adequitans, clariſſimos quoſque compellat: „ Meminiſſent, ſe per innumeras hoſtium phalanges, „ per grandines ſagittarum, haſtarum gladiorumque decurriſſe ad „ victoriam, modò eoſdem ſe duci in hoſtes, quos muris, propug- „ naculis, foſſis aggeribuſque tutos & munitos expugnaſſent, tamen „ & in ipſis munitionibus obtruncaſſent. Jam non ſcalis, non machi- „ nis, non ſuffoſſionibus & cuniculis opus. Irent, non parcerent fer- „ ro, nihil metuerent, quos Dei cauſa & patrocinium tueretur, „ immortalem gloriam comparatum. Ad Dieſtanos autem verſa; „ Magna, inquit, me ſpes habet, fortiſſimi milites, à vobis hodie „ rem benè geſtum iri, Memineritis tot victoriarum, quas ante ab „ hoſte retuliſtis: & pugnarum, quas feliciſſimè pugnaſtis: Sed illud „ inprimis, quod arma geritis ad propugnandam Catholicam fidem „ ad tuendam juſtiſſimam Regis fratris mei, Archiducis mariti, & „ meam ipſius cauſam, cujus ditiones dotales, à vobis tam æquè „ propugnantur, quàm impiè & ſceleſtè à perduellibus oppugnan- „ tur. Credite, hujus beneficii, quod hodie à vobis expectant, nun- „ quam apud eos intermorituram memoriam. De me illud perſua- „ ſum vobis habete, de ſtipendii militaris anteactis temporibus nihil „ detractum iri, ut perſolvatur, vel omnem mundum muliebrem, „ & has etiam in aures, quas videtis, me potius ſuppoſituram pi- „ gnori, quàm faciam, ut vanis promiſſis vos videar induxiſſe. Et „ certè cum pugnandi alacritatem in veſtris frontibus lego, libenter „ defectionis, ſollicitudinis & curæ, quibus nos hactenùs affeciſtis, li- „ benter oblivifcor. Ite fauſto omine & Numinis auſpicio, contra- „ que ipſius & noſtros hoſtes ſtrenuè rem gerite.

Oratio Sereniſſimæ Infantis ad milites

His ſtimulis accenſi milites, acclamant, hoſtem poſcunt, vincere, aut mori ſpondent. Dein Albertus remiſsâ Gandavum Iſabellâ exercitum Brugas, & Cal. Jul. Aldenburgum ducit, quod primo impetu recipit, dedentibus ſe præſidiariis. Idem fecêre, qui Snaskerkæ præſidio relicti. Erneſtus Naſſavius à Mauritio præmiſſus erat cum novendecim centuriis & quatuor turmis, duabuſque levioribus machinis

Archidux exercitum Brugas ducit

Recuperat Aldenburgum & Snaskerckam.

nis, ut ponte ad Leffingam, Aldeburgum inter & Alberti munimentum, antecapto, transitum ad se Alberto præcluderet; sin minus, eum distineret, donec ipse aciem expediret. Sed Ernestus cum Leffingam pervenisset, jam transgressas Alberti copias invenit, in quas dum impari numero pugnat, cedere primùm, mox fugere coactus est, cæsis circiter octingentis, inter quos septem Centuriones Scoti, & quatuor Zelandi fuerunt. Ea clades tempus Mauritio dedit reducendi copias in Borealem ripam fluminis ad Neoportum. Traductas, confestim in aciem disposuit, tum solvere naves & Ostendam vela facere jussit, ut spem fugæ suis abscinderet. Posteà ipse obequitans Ordines, armis fulgentibus tectus, hortabatur: „ Expedirent arma & „ animos in hostem; eò loci ductos, ut nisi vincerent, ex necessitate „ occumbendum fore, mediis inter gurgites Ponti & objectos hostes; „ vel in vestigio pereundum, vel petendam salutem à victoria: nam „ à fugæ nullum subsidium, quam Oceanus interciperet. Se hoc die „ vel vivere cum ipsis, aut fortiter pugnando, mori decrevisse. Cum itaque staret ex adverso utraque acies, tubæque bellicum canerent, Ludovicus Nassavius cum delecta manu proruens, pugnæ initium facit, ac deindè sensim gradum referens, septingentos Alberti Archiducis equites ad eum pertraxit locum, ubi occultarum machinarum ictibus se induerunt, quibus dissipati, intra arenarios tumulos, quos venti ad littus converrunt cumulantque, sese receperunt. Hùc transfertur prælium atrox, diu & anceps, modò his, modò illis loco pulsis. Interim crescebat æstus maris, arctabatque littus adeò ut duos præliantes exercitus non caperet: ideò Duces utrimque eos in continentem traduxerunt. Hic pugna longè atrocissima rursus conseritur, tormenta utrimque plures discerpebant, nullus irritus globus sine plurima cæde fulminabat; nihilominus per tela mortis imperterriti milites ad mortem procurrebant. Jamque media Batavorum acies solvebatur, Hispani urgent titubantes, gradu movent, & mox in fugam dant præcipites, tantâ quorundam trepidatione, ut maris illati fluctibus, certam mortem incurrerent. Jam per tres horas prælium mutuâ strage tenuerat, & præceps in noctem diei tempus, exhaustaque viribus corpora receptum suadebant, cum Mauritius tertiam aciem in prælium eduxit, in qua erat legio perduellium, qui nuper ab Alberto ad Fœderatos desciverant. Tum Mauritius ordines circumiens, nutantes alloquio firmat, & aut vincendum, aut Oceani fluctus, ad tumulos proximè allidentes, epotandos dicit, nullamque nisi in victoria spem reliquam. Archidux etiam Ducis & militis obit munia, adhortatur suos, præit exemplo, & ut Germanicus solebat

Mauritani cæduntur ad Leffingam.

Oratio Mauritii ad suos.

Atrox pugna inter Albertinos & Mauritianos.

Altera congressio.

Tertia congressio.

ſolebat caſſide apertâ confligere, ſic intecto vultu in hoſtem ruit. Interim inter pedites obſtinatis animis certabatur. Dum in eo ſunt, gemina hoſtium ala in peditatum Hiſpanum incumbit, & factâ acri impreſſione, omninò ſolvit, ſeditioſis ſumma omnia facientibus, ut dedecus & infamiam, fortiſſimè depugnando, eluerent. Albertus qui eo die fortitudine bellicâ plurimum emicuit, haſtæ cuſpide circa auriculam perſtrictus, cum equitatum diſſipatum, peditatum magnam partem cæſum videret, tandem precibus ſuorum victus, acie exceſſit, & vultum glorioſo vulnere inſignitum, cum reliquiis exercitus Brugas retulit. Mauritius in loco prælii noctem ſub pellibus exegit. Sanè victoriam retuliſſet Albertus, & jam delibaverat cæſis primis Batavorum legionibus; Verùm pugnâ iniquâ decertabat, nam radii Solis perpendiculares, ſuorum oculos perſtringebant, & vehemens ventus fumos ſabulumque in ora volvendo, proſpectum adimebat. Laboraverant quidem id Cœli beneficium intervertere, ſed imminens undique Mauritii miles, verſare aciem non permiſerat. Cecidêre è victis tria fermè millia, & è victore exercitu circiter bis mille, præter quos Erneſtus ad Leffingam amiſerat. Funeſta Archiduci pugna fuit cædibus virorum illuſtrium, hoſti minor dignitate cæſorum jactura. Profectò verè Cadmæa fuit victoria in qua victorem & victum æqualiter lugere oportet. *Funeſta Archiduci pugna.*

Poſtridie Mauritius Oſtendam ingreſſus eſt, & tres primi poſt prælium dies deliberando inſumti; mox ex delegatorum Ordinum fœderatorum Conſilio Neoportum denuò cingit: non tamen ideâ curâ fieri potuit, ut non quingenti primùm auxiliares, deindè mille alii Duce Claudio Burlota, in oppidum penetrare potuerint, adeò defendendis mœnibus pares, ut ſæpius, nec improſperè erumperent. Quibus Mauritius viſis, ſexto poſtquam venerat die, obſidionem ſolvit, & unum è propugnaculis Oſtendæ imminentibus, cui ab Iſabella nomen, pari ſucceſſu aggreditur. Huc quoque Burlota ſe cum valida manu tranſtulerat, dumque ſtrenuè in recedentes irruit, glande plumbeâ trajicitur, vir bellicâ virtute clarus, inter paucos ſtrenuus & audax, meliori debitus fato. Quod reliquum anni, per otium & reparandis viribus tranſiit. *Mauritius denuò Neoportum cingit, at fruſtrà.* *Mors Burlotæ.*

Dum reparandis copiis, ſupplendis legionibus, noviſque conſcribendis Albertus animum intendit, minimè ceſſabat Mauritius, ſed coacto quatuordecim millium peditum, & duorum millium equitum exercitu, in Flandriam expeditionem ſimulat, ut Albertum moraretur & ſuſpenſum teneret: mox deflexo itinere, quarto Idus Junii improviſus ad Rhynberkam caſtra ponit, foſſâ & aggere, aliiſque operibus cingit, atque ad obſeſſos aditum omnem commeatus *1601.* *Rhynberkam obſidet Mauritius.*

& auxilii intercludit. Dum in iis laboratur, præsidiarii crebris eruptionibus fossorum operas & molitiones evertere nituntur, sed majore semper accepto damno, quàm illato, repelluntur. Nec sibi deerat Bernardus d'Avila urbis Præfectus, is extra fossam opera excitat, præsidioque & machinis munit ut hostem aditu arceret, dumque adversus vim se præmunit, Mauritius insulam, quæ ex adversâ parte oppidi, amne circumluitur, expugnat & operibus amplius firmat, tum violentâ tormentorum displosione oppidum quatit, ac duobus locis munimenta extra oppidum prominentia suffodi imperat. Ubi meatus subterranei successerant, idemque periculum vicinis mœnibus immineret, d'Avila Albertum de angustiis, in quibus versetur, certiorem facere statuit per homines locorum gnaros, qui trajecto Rheno intercepti, tanquam exploratores, laquei infamiam subire maluerunt, quàm arcani proditione vitam redimere. Igitur cum ad summas angustias redactum se videret d'Avila, atque ingens in urbe sauciorum esset numerus, medicamina nulla, superstites vigiliis fracti, & antemuralia occupata; his fulminibus infractus anteà d'Avilæ animus, inflecti cœpit, atque post varias colloquutiones,

Deditur. caduceatoribus vicissim missis, tandem pactum est. „ D'Avilam urbem Mauritio dediturum. Milites, nautas, lixas & omne genus obsessorum cum castrensi peculio exituros. D'Avilam duas machinas cum quinquaginta pilis ferreis, duabusque pulveris tormentarii cadis educturum. Qui ex ægris & vulneratis vehiculũ non ferrent, securos fore in urbe, ac restitutâ sanitate, quo libitum fuerit, incolumes abituros: Cives & indigenas dilapso bimestri, bonis distractis quo vellent liberè migraturos: Captivos ab utrisque nullo pretio redemptionis, vicissim in libertatem redituros. His transactis pridie Cal. Aug. d'Avila cum mille ducentis bellatoribus, mille in obsidione desideratis, Trajectum ad Mosam se recepit.

Initium obsidionis Ostendæ. Eodem tempore, quo ad Rhynberkam sedebat Mauritius, venerunt Alberto ex Hispania & Italia nova subsidia, septem plus minus millium, Theodoro Trivultio & Joanne Braccamontio ductoribus. His copiis auctus III. Non. Jul. Ostendæ obsidium aggreditur; at Flandrorum in primis precibus fatigatus, qui velut freno, infestis, præsidiariorum excursionibus & latrociniis coërciti, ad expugnandum

Situs Ostendæ. oppidum, Alberto ingentem vim auri spondebant. Oppidum est in littore Flandrico, tribus leucis à Neoporto & quatuor horarum itinere à Brugis dissitum. Alteram ejus partem unda sinusque maris, alveo ductus, alluit: Alteram incrementa statis temporibus circumeunt. Erat autem eâ tempestate Ostenda portus com-

commodus, ſed inglorius & innominatus, cujus accolis viceſimum ante annum, in piſcatu retibuſque vita & opes erant. Portâ paliſque vallari cœpta, quo primùm tempore civilis belli initia cuncta terrore oppleverunt: Poſteà Batavorum curis ſic munita ut vim excluderet, utraque gente ad eam Troiam triennio & trimeſtri depugnante & faciente jacturam, quâ regna emiſſent. Sic ante Attillam, ubi nunc Venetæ, Inſulæ quædam anguſtiores fuerunt, quas Oceanus, æſtu alternante, diſcriminabat, quas marinæ tantum volucres quæ illuc apricatum ex alto ſe recipiebant, ac fortaſſis nonnulli piſcatores, ſed rari, incolebant. Quintâ igitur Julii die, Fredericus Comes Bergenſis, cum delectis quinque peditum ſignis, & Auguſtinus Mexia, arcis Antverpianæ Præfectus cum totidem, ab eâ oppidi parte, quâ arenarios tumulos ad ortum habet, conſederunt; ſed tormentorum grandine impetiti, longius metari coäcti ſunt. Præerat oppido Carolus vander Noot, cum viginti & una centuriis, quibus Idibus Julii cum ſummo imperio acceſsit Franciſcus Verius, cum quatuor millibus peditum ſuæ gentis, itâ ut militia ſeptem hominum millia æquaret. Compares erant obſidentes & obſeſsi, copiis, armis, annonâ, commeatu, & aſiduis novis auxiliis. Quæ quoties opus erat, per mare in oppidum invehi poterant, & ex eo ægri, vel ſaucii milites evehi. Sed diſpar horum illorumque conditio fuit: eò quod iſtos urbs firmiſsima & quaſi inexpugnabilis: illos ſola arma in patente undique campo, tutabantur. Atque inter utrumque exercitum tantum intererat, quantum plus eſt expugnare, quàm defendere: hoſtemque debellare in aperta arena, telis expoſitum, quàm maris æſtibus, vallis & inacceſsis mœnibus circumſeptum. Obſeſsi recreati recentibus copiis, crebris eruptionibus in obſedentes impetum faciunt, machinisque horribilem in modum fulminant. Mox ad infirmiora tegenda, munitiones extra oppidum longius proferunt, quarum unam Albertini irrumpunt, & quinquaginta propugnatores, unà cum ſuo Centurione ſternunt. Exindè in acta Albertus aggerem jacere aggreſſus eſt, ut portum intercluderet, faſces viginti pedes longi, religatis lateribus, quò firmius ipſo pondere undis obſiſterent, in mare demittebantur, farcimina dicti ſunt. His ſenſim promotis, & vi machinarum ſuperpoſitâ, portus veteris uſus, navibus ereptus eſt. Hinc ad oppidanorum aggerem mari objectum penetrarunt, cum ſubitò illi XVIII. Cal. Sept. eo perfoſſo, mare admittunt. Opplendo gurgiti Albertini arenarum ſaccos, & exciſas arbores immittunt, ſaxis poſtmodum & congeſta humo onerant, terræ rurſus ſaxa, arbores tignaque ſuperingerunt, ſed fruſtrà,
præva-

prævalente æſtu, omnemque materiam ſubruente in profundum, quò factum, ut naves vectoriæ portum ſine injuria ſubirent, recenteque milite & annonâ laborantes reficerent. Ubi præcludendi commeatus ſpes nulla, Albertus vim aliò vertit. Igitur Catricius oppidi in Occidentem munitiones adoritur, ſed multis ſuorum ſclopetorum grandine interfectis, ipſe quoque glande ictus, vitam ſimul cum imperio poſuit. Sic quatuor menſes abiêre inter eruptiones & aſſultus, velitationes, incurſiones, nocturnas & improviſas aggreſſiones & minuta prælia, quibus invicem partes attollebantur & deprimebantur, quæ, ut levis momenti prætermitto, & ad illuſtriora ſtylum confero. Autumnus in hyemem deflectebat, cum augeſcens Oceani æſtus impellente fluctus vento, reliquum maritimi valli, antea ab obſeſſis perfoſſi, ſubruit, & Oſtendam inſulæ in ſpeciem marini fluctus ambiverunt. Appetente brumâ ſperabant obſeſſi ſolutam iri obſidionem, verùm ubi exercitum quotidie augeri; caſas & tuguria ex ſtramentis, vel arundinibus paſſim extrui conſpexerunt, & Albertum obfirmato animo in propoſito perſtare; Mauritius, ut eum ab obſidione avelleret atque abſtraheret, Cal. Novembris ad Sylvam-Ducis caſtra ponit, foſſâ & aggere circumvallat, tormentiſque diſpoſitis urbis pomærium circumclaudit. Urbem tutabatur Antonius, Baro de Grobbendonck, vir militari peritiâ clarus, cum duabus peditum centuriis & una equitum turma: Is confeſtim portam Vuchtenſem, quæ Antverpiam reſpicit, obducto aggere foſſaque præmunit; Cives in muro excubant, foſſas ducunt, & tellure aggeſtâ, minus compactum murum, fulciunt, nihilque prætermittunt, quò vim omnem avertant. Et quamvis Mauritius ad omnem urbis aditum ſtationes collocaſſet, tamen trecenti circiter auxiliares, Graviâ miſſi, fiduciâ tenebrarum deluſis vigilibus, in urbem irrepſerunt: nihilominus obſidionem urget Mauritius; tormentis muros quatit; turres ſuffodit, & ad majorem terrorem candentes igne globos in urbem ejaculatur. Ea inter, Comes Fredericus de Bergh, cum aliquot cohortibus ex caſtris Oſtendanis ſelectis, juncto milite, qui poſt ſeceſſionem Dieſtæ conſtiterat, per vaſta Taxandriæ ericeta, ad obſeſſam urbem contendit, & peropportunè mœnibus ſuccedit. His ſuppetiis Mauritius ſpe amiſsâ potiundæ urbis, caſtra ſolvit. Accedebat, quod milites pruinâ obrigeſcerent, & navigia, quorum ope exercitus hactenus commeatu fuerat recreatus, alto gelu adſtricta, ad littus hærerent, ut Mauritius obſeſſo, quàm obſidenti propior, ſatiùs duxerit exercitum incolumem reducere, quàm ancipitem belli

Mauritius, ut Archiducem ab Oſtenda obſidio avelleret, Sylvam-Ducis obvallat.

Mauritius caſtra ſolvit.

li aleam experiri. Recedentem oppidani hoc scommate prosecuti sunt:

Ante Ducis Sylvam frigetis? Cadite Sylvam:
Sylva Satis ligni quo caleatis habet.

Stabat adhuc circa Ostendam bellum, & jam omnia in esum obsessis deficere incipiebant, vulgatique morbi præsidiariorum numerum immanè imminuerant, ita ut septem millium, vix mille quingenti restarent. Quare Albertus vetus oppidum expugnari jubet. Verius, suorum paucitati metuens, aliquot dierum inducias paciscitur, quasi de deditione acturus, obsidibus ultrò citroque datis & acceptis. Dum altercantur, nam conditiones de industriâ admodum insolentes ab obsessis propositæ fuerant, quinque è Zelandia navigia cum milite & ingenti copiâ commeatus, in portum furtim invehuntur. Quorum adventu, edixit legatis Verius, pressum se necessitate, venisse ad pactiones, sicque Alberto dolosè illusit. Albertus indecorâ Verii fraude exasperatus, ad oppugnationem veteris oppidi omnem vim adhibet, ac octodecim majoribus tormentis assiduè concutit, editâque ruinâ V. Id. Jan. circà crepusculum vespertinum refluo mari, impressionem facit. Obsessi ad depellendos irrumpentes machinas glandibus plumbeis, clavis & ferri minutioribus frustis impleverant, quâ ferragine displosâ, magnâ strage quidquid obvium dejiciebant. Nihil territi suorum cæde oppugnantes, rescissis vacerris, per prærupta enituntur, aliis se invicem succollantibus, perrumpunt omnia, figuntque in ruina vestigium; duabus horis acerrimè, & magnâ animorum contentione pugnatum est, multis utrimque cadentibus. Postremò oppidani, ut pugnam dirimerent, adductis duabus cataractis, vasto impetu aquarum agmen, in portum veterem emittunt; cujus per vada cum oppugnatoribus esset redeundum, non minor cum fluctibus, quàm cum hoste lucta fuit, cum ii qui alto hærebant limo, pondereque armorum affligtabantur, aut aquis sorberentur, aut infestâ displosione transfigerentur. Octingentos fermè eo conflictu Albertus desideravit, qui obsessorum vires plurimum etiam labefactavit, quas tamen paulò post, submisso è Zelandia recenti milite, & commeatu restaurarunt. Infaustus oppugnationis exitus & gravis militi hyems, multos Ducum permoverant suadere Alberto obsidionem solveret. Sed ibat ille in obstantia pertinaciùs, nec, nisi expugnatâ Ostendâ, castris discessurum affirmabat. Igitur lævâ castrorum parte juxtâ sinus maritimi alveum, aggesta ingens moles, undè machinæ fulminarent, navibus Hollandicis submovendis: ad dextram, claudendo æstua-

1602.

Conflictus ad vetus oppidum Alberto infaustus

Multi Ducum suadent Archiduci obsidionem ut solvat, at incassum.

rio, ductus agger, tignis acuminatis in humum altè defixis, transversisque insuper aliis, quibus farcimina decussata, tabulatorum in morem, imponebantur, arenâ in summo congestâ, tantâ operis firmitate, ut & instructâ loricâ militem defenderet, & machinæ in obsessos indè dirigerentur. Nec eò tamen minus plura navigia citrà jacturam invecta.

Intereà Fœderati totâ Germaniâ, Galliâ & Angliâ militem conscribunt, coactoque numeroso exercitu, Mauritius ad Noviomagum transmisso Mosâ, indè in agrum Leodicum ducit, & Nonis Julii propè Trudonis fanum consedit. Albertus, relicto ad Ostendam Rivasio, Franciscum Mendosam maris Arragonici Præfectum, cum quinque peditum millibus, equitum quatuor, Tilemontium tendere jubet, quibus se mox junxit Ambrosius Spinola cum octo millibus, quos recens ex Italia in Belgium adduxerat. Cum aliquot dies nullâ re gestâ uterque exercitus consumpsisset, Mauritius per Cliviam digressus, ad obsidendam Graviam se accingit. Oppidum est Mosæ adsitum, quod Antonius d'Avila, vir multorum stipendiorum, cum mille & quingentis delectis tuebatur, machinis, commeatu atque omni re castrensi instructum. Priusquam oppidum coronâ cingeret Mauritius, ad munimentum ultrà flumen, oppido prætensum, impetum facit, & post acre certamen eo potitur; Indè propius ad oppidum castra ponit, præaltoque vallo & fossâ cingit. Mendosa, ut obsessis præstò esset, infra Graviam castra metatur, Mosam ponte conjungit, & annonam Mauritio intercludit. Exin tentare placuit, an perruptis juxtà Ravensteinium munitionibus, subsidia in oppidum immitti possent. Id negotii datum Thomæ Spinæ, eique attributi mille selecti milites, quos aliæ copiæ sequebantur. Illi noctu per paludes profecti, illucescente die, ad locum designatum pervenêre, sed machinis telisque cum damno repulsi, re infectâ reversi sunt. Tentatis frustrà castris, Mendosa cum videret statione hostem dimovere, atque oppidanis suppetiari opis suæ non esse, vasa conclamat & X. Cal. Sept. Venlonam versus iter instituit. Tum Mauritius obsidionem urget, & statim ad propugnaculum, semilunari formâ, impetum facit, sed à defensoribus acriter resistentibus, quamvis geminato sæpiùs impetu, cum strage repellitur. Indè è regione positum munimentum adoritur, actisque cuniculis subruit. Videntes igitur oppidani res suas in extremum discrimen adductas, omnem auxilii spem præcisam, septingentos suorum amissos, & eos quos sors reliquos fecerat, aut vulneribus confectos aut laboribus & vigiliis fractos XII. Cal. Oct. de deditione, decoris conditioni-

Mauritius Graviam coronâ cingit.

Præsidiarii deditionem ac...

tionibus, pacti sunt, & præsidiarii armati cum sarcinis exiverunt.

Amissâ Graviâ, Alberto longè operosissimum negotium supervenit, nempè defectio aliquot cohortium, quæ jam dudum nullis, aut exiguis stipendiis irritatæ, obsequio & castris se subduxerant & Hamontium, Leodicensis ditionis oppidulum, occuparant. Quare Mendoza, nascenti malo occurrendum judicans, ne paucorum impunita audacia, cæteros illecebrâ peccandi ad simile audendum pertraheret, eò sine mora ducit, & admotis tormentis, pedites, veniâ factâ, in deditionem recipit. Equites dilapsi, cum frustrà Beringam tentassent, arcem Hoochstratanam occupant, & famâ rei sparsâ, plus mille, cupidine lucri, undique confluentes, ad suas partes pertrahunt, Ducem legunt, legesque severissimas condunt. Quibus commotus Albertus, decernit seditiosos ad obsequium, aut ferro reducendos, aut omninò exterminandos. Illi à Batavis auxilia & commeatum orant & impetrant, & posthabitis omnibus conditionibus, arma parant. Quare Albertus XIII. Cal Oct. publico programmate eos proscribit & aquâ & igni interdicit, eorumque bona & facultates fisco addicit, ni intra triduum ad obsequium, signa & manipulos redeant: ad hæc eorundem capitibus pretium imponit; imò imperat ut mutuis sese cædibus conficerent, ac impunè ei esse voluit, qui commilitonem obtruncasset. Sed tantum abest, ut segreges illi resipuerint, quin edicto exasperati, probroso ac contumelioso scripto, typis excuso, responderunt, lateque Brabantinum agrum depopulati sunt: quibus mox magnâ colluvie accesserunt, qui nihil præter facinorum licentiam petebant, auctoque ad sex millia numero, cum arx Hoochstratana turbam non caperet, à Batavorum Ordinibus Gravia illis ad perfugium & receptum, certis legibus, datisque obsidibus, concessa est. Gravescente Autumno Mauritius dimisso Germano equite, reliquum copiarum in præsidia distribuit. Idem fecit Albertus, postquam Venlonam, Ruremondam, Geldriam, & Trajectum ad Mosam præsidiis firmasset.

Seditio militum Archiducis.

Seditiosis ad 6000. auctis Graviam Batavi concedunt.

1603. Ineunte Martio Matthæus Dulkius Stralæ Præfectus, Wachtendonckam ope unius ex præsidiariis intercepit, qui fœnum & paleam lintre per amnem Niersam illhuc convehere consueverat. Delitescebat Dulkius cum tredecim delectis stramine tecti: cum ad ripam juxtà arcis portam applicuisset, vigilem, manum scandenti porrigentem, magnâ vi in flumen præcipitem agit. Tum qui latebant abditi, ex latebris erumpunt, pontem occupant, stationarios excubitores obtruncant; statimque summisso à Berka & Meursa milite arcem ambiunt, oppugnatamque sextò die ad deditionem compellunt.

Wachtendoncka à Batavis intercepta.

 Eodem

Redintegratis oppugnationis Ostendana

Eodem tempore Albertini oppugnationem Ostendæ redintegrant nec obsessi sibi desunt, eamque fortiter sustinent. Interim cum quotidiano itu & reditu Hollandicæ & Anglicæ naves portum subirent, & obsessos recenti milite, rerumque omnium copiâ recrearent; Fredericus Spinola desinente Maio, eas aditu prohibere statuit. Igitur mille & quingentos selectissimos, octo triremibus imponit, portuque Slusano egressus, sub auroram duas Batavorum celoces, & tres præliares naves obvias habuit, ad quas continuò cursum direxit, classicoque edito, magno impetu sibi invicem implicantur, ac repetitis tormentorum ictibus, tanta strages editur, ut transtra & carinæ cæsorum acervis complerentur. Ipse Fredericus Architalassus, dum puppi hostili insultat, impacto in latus ferro, dextroque brachio, quo gladium vibrabat, avulso, in vestigio occubuit. Indè adempta Italis spe victoriæ, accessit & metus, ne pluribus hostium navibus è Zelandia adventantibus undique cingerentur, ad portum Slusanum unde solverant, se receperunt, cæsis ex suis ferè trecentis.

Pugna navalis in qua Fredericus Spinola occubuit

Seditiosi qui Hoochstratanam arcem insidebant Batavorum copiis fulciuntur.

Inter hæc seditiosi qui arcem Hoochstratanam invaserant, prædæ assueti homines, accolis omnibus vim inferebant, nulloque injuriæ genere temperabant, laxato militi lascivienti freno: nam ubi flagitiis adjunctum lucrum, atque impunè est, vix à scelere receditur. Albertus, ut eorum conatus compesceret, ferrum adhibendum censuit. Igitur Frederico Comiti Bergensi septem millia peditum, & tria millia equitum in id attribuit. Quo cognito, rebelles octingentos suorum arci includunt, cæteri mille & quingenti pedites, & equites supra mille, in patentes campos sese effundunt, à Batavis auxilia postulant & impetrant, videlicet pedites paulò minus decies mille, & ter mille equites. Hinc junctis Mauritii Seditiosorumque copiis, ostentant aciem. Sed Comes Bergensis multò inferior viribus, satis habuit curruum positu, castra obvallare, nec disparis certaminis aleam adire, metuensque ne commeatu intercluderetur, silenti nocte, Herentaliam versus se recepit.

Sylva Ducis denuò à Mauritio frustrà tentata.

Indè Mauritius seditiosorum fultus robore Sylvæ-Ducis obsidionem rursus tentat. Dum metandis castris dat operam, stativa designat ad cingendam urbem, opportuna loca aditusque speculatur; Fredericus Comes Bergensis Borgiæ & Brancacii legionibus confirmatus, eum mox secutus est, atque ex adversa parte urbis, in vico Dunghen nomine, castra posuit, & juxta Cœnobium Virginum de Cuykendonck, ingens propugnaculum, cui à stella nomen, excitavit, è quo, detonantibus machinis, multi in hostium castris discerpebantur. Secundum hæc, Consilio belli Ducum coacto, quid ad præcludendum

cludendum Mauritio commeatum facto opus esse videretur, sententiam singulorum rogavit: Placuit, ut Marchio de la Bella, qui Italo peditatui præerat, locum, urbem inter & Crepacordium propugnaculum, occuparet & festinatis operibus muniret. Igitur duo millia lectissimorum militum secum rapit, quibus circum urbem nocte traductis, vallum eo loco ducere cœpit. Quâ re compertâ, Mauritius validâ suorum & seditiosorum manu nocte concubiâ, eo contendit, in Albertinos irruit, & post acre & anceps diu certamen, loco nondum firmato potitus est. Ceciderunt eo in conflictu circiter ducenti unà cum Marchione de la Bella, captique centum & quinquaginta. Ex Mauritianis etiam desiderati amplius trecenti. Post hæc Albertus quarto Non. Octob. in urbem venit, intellexitque à Gubernatore cives, ac Magistratum nullum penitùs præsidium recipere constituisse, quod vererentur, nè stipendia sua ab immeritis extorquerent, aut recusantium solvere, fortunas suas, quas altâ pace coäcervarant, diriperent. Ad extremum tamen, astu ter mille milites, velut urbe transmissuros, manere illic præsidio jubet, spe factâ, ut hostili amoto metu, oppidanos præsidio levaret; interim stipendio prospectum, ne præsidiarii graves oppidanis essent. Cum Mauritius urbem milite firmatam cerneret, & commeatus, præcipiti jam hyeme, commodè subvehi non posset, Non. Novemb. obsidionem solvit, & Albertus VII. Id. ejusdem mensis Bruxellas reversus est.

Rursus me Ostenda ad sua castra revocat; Delibavimus supra Albertum omnes artes & molimina adhibuisse, ut portus Ostendani fauces obstrueret, at æstus pelagi semper obstitit, ac pro obsessis pugnare visi sunt Neptunus & Æolus: Veruntamen Albertus ibat in obstantia, adversique contumaciam Oceani obstinatione frangebat: nec hyemis sævitia, nec horror funerum, & quæcumque dira sunt & immania, ejus pertinaciam infringere potuerunt.

Adultâ jam æstate venit ad Ostendam Ambrosius Spinola, Venafrani Marchio cum summo imperio, ac fœliciori marte & arte obsidionem urget, & quæ sunt oneri castris removet, necessaria ad expugnandum conquirit, ære suo, manu & strenuitate Albertum juvat: Hactenus enim vis adhibita fuerat, nulla tamen adhuc excogitata ratio, nec arcendi ab oppido subsidii, nec euntes redeuntesque naves opprimendi, quam in rem præ cæteris incumbendum erat, ut abscissis auxiliis, attrita hostium arma langvescerent, viresque infringerentur.

1604. Ambrosius Spinola venit summo cum imperio ad Ostendã, urget novo commento obsidium.

Agger quidem eo consilio ante Spinolæ adventum fuerat inchoätus

tus, quem ipse novis artibus, magno molimine, perfici curat, vallis seu palis mutuo nexu implicitis, multoque latere superingesto, ac calce adstricto. Ad firmandum opus, assurgit agger in altitudinem viginti circiter cubitorum. Eò vero institutus erat, ut indè tormentis, subsidiariæ hostium naves, aditu in urbem prohiberentur, vel deprimerentur; nihilominus frustrà obluctante milite, naves interdum merâ die, interdum obscuro noctis urbem subibant.

Batavi novâ mole & aggere potiuntur.

Attamen cum ea moles & agger plurimum incommodi hostibus afferret, statuunt in eum nocte intempestâ impetum facere; cessit ex animi sententia propositum: Egressi enim urbe magno numero, Albertinos adoriuntur, ac quadringentis cæsis, cæterisque fugâ dilapsis, aggere & mole potiuntur. Confestim Spinola selectas cohortes jubet expediri, per calcatum hostem ituras, aut si sic fata ferrent, in oppugnatione morituras. Conseritur manus, ac strenuè utrimque certatur: postremò postquam æquâ se diu lance fortuna libraverat, inclinat in Albertinos læto exitu. Cæsorum tantus fuit numerus, ut nova moles corporibus exurgeret, & effusus hostilis cruor, marini instar fluctus, diffluereт, atque stagnaret. Dein agger novis, ac validioribus præsidiis munitur, hostibus in posterum nullâ ejus aggrediundi cupidine relictâ. Atque hæc mari gerebantur, ad præcludendos commeatus & accelerandam urbis expugnationem.

Albertini cæsis Batavis molem recuperant.

Spinola alteram molem excitat, ex qua machinis detonat in urbem.

Ex adverso mari Spinola ingentis operis molem excitari jussit; erat in summo plana, è fascibus humoque permistim aggesta, lata in imo pedes sexaginta, procera juxtà: hanc milite tormentisque instruit, quorum verberatione culmina ædium & contabulationes fœda strage sternebantur. Neque tamen his incommodis impositus oppidanorum pertinaciæ modus, sed sublatâ habitandi commoditate, ubi puro aëre frui non licet, humum defodere incipiunt, sibique in antris & cavernis domicilia defigunt. Nec ideò frangitur eorum pervicacia: si quid è muris esset dirutum, resarcire, novos adstruere, continuumque per urbem vallum ducere, ut milites eo tecti, tutò incederent. Usi porrò tantâ industriâ diligentiâque, ut brevi Ostendam triplici validoque muro cinctam, jam non urbem, sed arcem inexpugnabilem effecerint. Interim sæpè è muro certant, tormenta machinis obvertunt, inque multorum perniciem displodunt; vicissim ab hoste tormentis in mole collocatis vehementer infestabantur, quam idcircò exscindere statuerunt. Glandes itaque igniarias è pice, sulphure aliâque materiâ ignem fovente, in molem indesinenter intorquent. Aër ignibus coruscabat, & sulphureum odorem spargebat: ignes

ignes primùm fulgura imitati, mox fulminis instar tenaciùs moli adhærebant; quos dùm Albertini excutere & avellere nituntur, novis glandibus vibratis, prohibentur. Quæ causa fuit, cur inexpiabili igne moles cremaretur: at paulò post, præter spem hostium fuit instaurata.

Obsessi molem exurunt at rursus instauratur.

Interim Mauritius, ut ab Ostendæ obsidio Spinolam averteret; aut si fortè Ostendam subigeret, eam jacturam alio commodo resarciret. VII. Cal. Maias duodecim millia peditum, & bis mille equites è Walachria in insulam Casandam transvehit. Mox trajecto flumine, quod à Slusa Isendicam versus decurrit, plura propugnacula in suam potestatem redigit. Restabat Isendica, & loci naturâ & operibus munitum castellum, in angulo duorum procurrentium aggerum ad Hontam situm. Ad illud expugnandum obsidio opus erat, nam sexcenti Albertini, cæteris pulsi munimentis eò confluxerant. Igitur admotis tormentis, Mauritius locum pulsat, & post obstinatum septem dierum certamen, dedentibus se præsidiariis, occupat. Itaque insulæ potens, eam viginti & quatuor cohortibus firmat.

Mauritius Casandam occupat, deinde Isendicam.

Ea inter, seditiosi Hoochstratani, quibus Mauritius Graviam precariò concesserat, socio Batavorum equite, Brabantiam incursabant, ac indè in Hannoniam effusi, rapinis, cædibus & incendiis cuncta vastabant; quin etiam omni libidinis ac sævitiæ genere grassabantur, tributa sua extorquentes, Archidux Albertus necessarium ratus, hos quamvis cum dignitatis imminutione sibi adsciscere, hoc magis nè aliæ Hispanorum cohortes eandem insaniam æmularentur & vesania latiùs invalesceret, pridie Cal. Majas Hermannum Comitem Bergensem, aliosque proceres misit ad eos qui Graviæ constiterant, atque lenociniis tandem emollitos, cum iis his legibus transactum est: „ Injuriarum omnium æterna esset oblivio; stipendia tribus æquis pensionibus pernumerarentur, Ruremondam pignori acciperent; persolutis stipendiis, Hoochstratam & Carpam arces Archiduci permitterent. Ad hæc clari obsides dati.

Seditiosi ad obsequium redeunt.

Captâ Isendicâ, Mauritius III. Id Maii Slusam circumsidet, portum occupat, castra locat, vallo fossâque circumdat. Sed priusquam magno ambitu perfici opera potuêre, bis incustodito loco per palustria auxiliares clanculùm Slusæ irrepserunt. Tentavit & Pompeius Justinianus cum valida suorum manu, centum quadrigas farre molito onustas invehere; sed Mauritius cum equite & machinis accurrens, vectores & stipatores disturbavit, pluribus desideratis & captis. Ubi verò Mauritius per exploratores intellexit, exili commeatu urbem instructam, non tam ferro, quàm fame conficiendos oppidanos

Slusa obsidetur.

nos censuit: frustrà enim ferro tentatur, qui fame expugnatur hostis. Albertus verò cùm non posset obsessos commeatu juvare, Spinolam urget S. usæ ut subveniret. Ille, invitus quanquam paret imperio, & cum lectissimis cohortibus turmisque XVII. Cal Septemb. Ostburgum contendit, ac primo impetu S. Catharinæ & S. Philippi castella irrumpit. Indè hostilium castrorum munitiones assilit & perrumpit; Frisones ex insperato invadit, fit atrox pugna, loco cedunt, stationes deserunt, Spinolæ & suis ad Slusam aditum faciunt. Mauritius inclinantibus subsidio accurrit, recrudescit pugna, & post plurium horarum obstinatum certamen Albertinorum impetus irrito nisu, repressus est, cæsis ducentis supra mille. Quod deprehendens Spinola, receptui signum dare jussit. Eo conflictu inter cæteros magnam sibi laudem peperit Baro Balençonius, Tribunus militum; illi namque obsidionis Ostendæ initio, cùm acrius hostem urget, muralis tormenti pila crus avulserat: eidem rursus, dum ad Slusam pugnat, similis globus ligneam tibiam, in avulsæ locum suffectam, decussit. Jam tertius ab obsidione Slusæ volvebatur mensis, & multo tempore desierant pane vesci nedum oppidani, sed & præsidiarii; equorum, canum, felium, murium & quicquid in urbe animalium carne fames expleta fuerat. Hæc postquam deficerent, animantium coria, calceamenta, ocreæ missæ in lebetes, quæ infusâ largiùs aquâ mollescebant, dein igne submisso ubi efferbuerat liquor, sevo respergebantur, mollitâque duritie transibant in escam. Hæc Slusæ calamitas. Ergò digresso, quod speraverant oppidani, auxilio, XIII. Cal. Sept. deditionem non indecoris conditionibus fecêre: ut milites cum impedimentis, armis, accenso fune sclopetario, pilis in ore, signis explicatis, tympanis tubisque sonantibus, liberè abire possent.

Dira obsessorum inedia.

Slusa deditur

Spinola Ostendæ obsidionem acrius urget,

At Spinola jacturam Slusæ, jam spe non fallaci potiundæ Ostendæ solabatur; & quo faciliùs ad urbem perveniret; utque ad muros & propugnacula cuniculi tutò agi possent, pontem contra eluviem marinam excogitavit, ne æstuantis unda maris, subterraneos specus labefactaret, militesque operi incumbentes obrueret. Consit intexto perticis, stipitibus tabulisque opere, substratis trabibus, quibus fulcris, opus cratium in morem contextum, niteretur, cui unda, non innatans, sed diffluens & subsidens liberum accessum ad urbem relinqueret, ut dum sic aquæ in ima delabuntur, operæ sicco vestigio per intextum opus incederent. Quod cùm perficitur, committitur pugna atrox & cruenta, multis utrimque cadentibus. Videbant enim hostes hanc esse fatalem machinam, quæ extremam perniciem urbi portenderet: undè obsessi catapultarum glandibus

Novum pontem comminiscitur.

dibus indesinenter operas appetebant, nihilominùs extrema operi accessit manus. Hoc opere, ac ponte perfecto, cùm increscente æstu tutò ad murum miles consisteret, Spinola cuniculos agi præcipit; militesque sic disponit, ut fossoribus incumbentibus in opus, præsidio sint. Hinc propugnacula urbis citrà periculum suffossa, mox indito sulphureo pulvere, admotoque igne, ingenti ruinâ evertuntur. Tum copias ad urbem præstò esse Spinola jubet. Verùm propugnaculo tametsi dejecto, nondum tamen ad impressionem strata erat via, quod præstitum primò cuniculis, tùm improbo militum labore. Hostes dùm Spinolam muro imminere vident, ingressumque pugnando moliri, obfirmato animo vim sustinent, tandem post pertinacem diu & cruentam pugnam, Albertini obstantia perrumpentes, & in ruinam summa vi enixi, murum occupant. Obsessi intra secunda successivaque mœnia se recipiunt, iisque salutem suam committunt. Spinola confestim imperat quadraginta machinas in murùm occupatum transferri, atque indè fulmina in oppositum emitti, tantoque impetu latera pulsarari, ut obsessi rebus suis omninò diffiderent, propugnatorumque animi relanguescerent. Denique cum etiam se tellure destitutos animadverterent (omnem enim terram avulsam struendis vallis consumpserant) judicant rectè consultum rebus suis fore, si ad deditionem animum appellerent. Verebantur enim, ne dejecto secundi muri latere, nullus esset deditioni locus, omnesque jugulatum iri. Igitur discussis apud se rebus, statuunt Spinolam de deditione commonere, modò conditionibus æquis negotium conficiatur. Quo nuntiato, in Consilio bellico deliberatum: non una fuit omnium sententia: alii cædem, ac internecionem suadebant; alii parcendum vitæ plurimorum utrimque judicabant; alii ne dolos hac simulatione hostes prætexerent, cavendum monebant, quemadmodum jam antè Alberto illuserant, cum copiis præesset. Quare Spinola non ità facilem se hostium sermonibus præbuit: velle se monuit, priusquam cum iis pacisceretur, uti eam urbis partem, quæ vetus urbs dicitur, cederent, ac intra nova septa se continerent. Acquievêre hostes conditionibus propositis, ac X. Cal. Oct. urbe, aut veriùs ruderibus & sepulchris tot fortium commilitonum cesserunt. Clarum Ambrosii Spinolæ rudimentum. Is tùm primùm ad bellum admotus, quod Heröum est, Imperatorem in tirone formavit, & munimenta operibus, animum animo, vim vi expugnavit. Reddita non Ostenda, sed sepulchretum, in quâ hominum millia (credetnè posteritas?) ferro & morbis supra nongentos septuaginta duo absumpta triennio: nec plurimum differt in obsidentibus cæsorum numerus,

Obsessi ad ultima acti, statuunt de deditione agere, ac tandem paciscuntur.

Bbbb magno

magno mortalium pudore, quibus vita sic flocci est, in interitum pro punctulo terræ ruentibus:

Vix Priamus tanti totaque Troia fuit.

Captâ urbe Spinola instaurare ruinas, ædificia restituere, complere cavernas, solum adæquare, demoliri aggeres, urbem ampliare, propugnaculis novis præmunire, aggressus est, urbeque sic firmatâ, delecto milite instruit. Archiduces ad visendum locum profecti, quem tanto sanguine, tot fortium virorum funeribus, tot excellentissimorum artificum molitionibus, tantâ æris profusione, quo regna emissent, paraverant, animo consternati sunt, dùm nihil inveniunt, præter inanem aream, hinc exstantem informibus tumulis, indè recedentem in obliquos specus: nevè habitatoribus destituta urbs maneret, prærogativo jure donarunt eos, qui eò concederent sedesque figerent. At diu haud reperti qui incolerent, horrentibus cunctis tetram cruore & humanis ossibus sedem. Exindè Archiduces voti religione obstricti, ad Aspricollem, Deiparæ prodigiis celebrem, votivum peregrinationis iter incunt, largitori Deo, de obtenta victoria gratias acturi.

1605. Primores hujus anni 1605. menses instruendis utrimque novis belli apparatibus exacti sunt. Summo jam Vere, Mauritius frustrà tentatâ Antverpiâ, Woudam, arcem haud procul Bergis-ad-Somam sitam, quintum intra diem ad deditionem compulit. Indè copias in Flandriam transportavit, & castellum, cui 'tSas Gandavense nomen, ubi aquæ ex Gandavo derivatæ in Hontam, ac mare exeunt, aggredi statuit, ut remissis feroci elemento habenis, multa circum regio inundaretur. Quod ubi comperit Spinola, præmissâ copiarum parte, ipse cum reliquo exercitus robore celer sequitur, & castra castris opponit. Postquam velitatione aliquandiu certatum, Mauritius falsus animi, copias reduxit.

Mauritius Woudam arcem subigit.

Frustra tentat propugnaculum dictũ 'tSas.

Interim venerant in castra Alberti novæ ex Italia copiæ, cum quibus Spinola Thenas versus movet, ubi Carolum Longevallum, Buquoii Comitem, justa cum manu obviam habuit. Ad Mosæ-Trajectum Sangeorgiana & Principis Avellini legiones se iis conjunxerunt. Ineunte Junio Spinola Buquoium cum parte exercitus in Ubios præmittit; ille pulsis amne Batavorum navibus, Rhenum haud longè ab Agrippina, ad oppidum cui Cæsaris Werta nomen, transmittit, ac utramque ripam excitatis tumultuario opere castellis, præmunit. Aliundè per Menapios Spinola exercitum traducit, ac cum Buquoio conjunctis castris, Oldensaliam Transisalani juris oppidum, olim Saliorum sedem, ut quidam putant, circumvenit: Postero die ad fossam

Spinola Oldensaliam capit

promotum

promotum vallum, & postridie explosis machinis oppidum deditum.

Linga mox obsidetur; tutabatur urbem Martinus Cobbius, cum sexcentis præsidiariis. Vallo intrà triduum ad labrum fossæ perducto, oppidani dum se tantopere premi, nullamque in subsidium spem vident, Fecialem ad Spinolam mittunt, perscribuntur leges deditionis: „ Ut præsidiarii salvis vitâ, armis & impedimentis urbe absistant. Sic Linga quinto obsidii die Spinolæ cessit. Mauritius ut prosperos Spinolæ processus coërceret, relicto ad Flandriæ custodiam milite, reliquum exercitum per Dordracum Daventriam traduxit, ut Rheni littoralibus oppidis prospiceret, Groeningæ potissimùm, de qua tutanda utplurimum erat sollicitus. Spinola relicto ad Lingam, Oldensaliamque præsidio, XVIII. Cal. Oct. Rhenum versus movet, cognitoque Mauritium Reesam venisse, ipse ad Rurordam deflexit, & Rheno ponte strato, ripam utramque propugnaculis munit, tùm equitatui cum aliquot cohortibus hospitium Mullemi, (vicus est Ruræ amni adjacens) assignat. Mauritius cum quatuor delectorum militum millibus eò properat, sperans imparatum & sparsum hostem offendere sub diluculum magno fervore irruit, summaque vi utrimque vario eventu pugnatur. Ludovicus à Velasco audito suorum discrimine, cum aliquot hastatorum turmis è Spinolæ castris advolans, primæ revocat exordia pugnæ. Turbati Mauritiani in fugam se effundunt, instant fugientibus Albertini, donec Verius cum Anglis suis impetum repressit. Hæc inter, Spinola nobili astu quadraginta equites, tympanis instructos, Sylvam, quà iter patebat ad hostes, insidere jubet, quam ingressi, tympana quatiunt, ac varios diversarum nationum, acie procedendi, modos, mentientibus sonis, imitantur. Quare Mauritius omnem cohortium vim imminere ratus, canit receptui, cæsis è suis quingentis, ex Albertinis ducentis, quos inter multorum instar, Comes Trivulsius, qui equiti præerat, tormenti ictu fuit discerptus. Hæc inter, Comes Buquoius Wachtendonkam obsidione cinxerat, & octavo ab obsidione die, ex fossa oppidi aquas, discusso quo cohibebantur septo, deducit. Tùm actis cuniculis, admotoque pulveri igne, latam edidit ruinam, instructaque ad oppugnationem acie, oppidanis tantùm pavorem incussit, ut celerius omnium exspectatione VI. Cal. Novemb. deditionem fecerint. Egressi eodem die nongenti præsidiarii integrâ valetudine, & centum quinquaginta saucii. Ex Albertinis desiderati circiter ducenti. Inde Buquoius, Marte æquè propitio, Cracoviam, Mursici juris arcem, quam Batavi præsidio trecentorum delectorum tenebant, oppugnat, & intrà triduum expugnat, præsidiariis sese

Linga leges accepit.

Pugna atrox conflictatur inter Albertinos & Mauritianos.

Stratagema.

Wachtendoncka ab Albertinis capta.

Cracovia arx expugnatur à Buquoio.

ejus arbitrio dedentibus, quos armis exutos, vitâ salvâ, dimisit. Mauritius verò frustrà tentatâ Geldriâ, copias in hyberna deduxit, anno haud alio Batavis infaustiore. Spinola, inclinato jam anni tempore, ac imbribus fœdo Bruxellam profectus est, & indè facto per Galliam itinere, in Hispaniam contendit.

1606. *Brefortum occupatur & redditur.* Pridie Id. Martii Ludovicus Terralius, qui Galliâ profugus, operam Alberto addixerat, vir manu promptus, urbiumque expugnandarum peritus, de Breforto intercipiendo consilium iniit, & assumptis mille ac ducentis ex Linga peditibus, & quingentis equitibus summo silentio ad mœnia adrepunt: cumque cujates essent, à vigilibus rogarentur, responsum ab instructis tulerunt, Mauritianos sese, cum hostis instaret, amica sub mœnia refugisse, ac de via fessos, ad aliquot horas quietem expetere, eodemque tempore admotis crepitaculis, portæ duæ fœlici successu dissiliunt. Subit Terralius, cæduntur excubitores, cæteri præsidiarii ad arcem diffugiunt. Capto oppido, Terralius vallo & loricâ se contra arcem munit, Præfectus arci in proxima oppida nuntios dimittit, rogans subvenirent parato ultima experiri. Igitur primus Warmelous obsessis auxilio venit, qui ducentos sclopetarios loco palustri in arcem intulit. Miserat & Terralius ad Ludovicum Velascum suppetias & pulverem nitratum, quo potissimùm laborabat, ut ferret, orans, isque ire jussit quadringentos nitrato onustos; verùm in itinere, ubi obsessum oppidum intellexerunt, in reditu à Filleri equite pars cæsi, pars dissipati sunt. Terralius omni spe destitutus, maturâ deditione transegit, & restitutâ prædâ, cum suis incolumis dimittitur.

Ventorum procella. Sub id Feriâ secundâ Paschali in Belgio aliisque orbis partibus sæva ventorum vis, multas passim turres & ædificia stravit, Sylvas & vicos evertit, mare disjectis aggeribus in campos effusum, multa villarum millia à fundamentis diruit.

Slusa tentata. Intereà Terralius, qui Brefortum satis feliciter tentârat, majora animo agitabat, & Slusas invadere constituit. Acceperat per exploratores, portam quæ ad Ortum spectat, negligentiùs custodiri, murumque eâ parte ità humilem & dejectum, ut facilè ascendi descendique posset. Igitur pridie Id. Junii, mille & ducentos pedites secum trahens, dubiâ luce, ac refluo mari, se in viam dat, superatisque canalibus & paludibus, nocte fermè concubiâ ad Slusas venit: Tùm undique ad invadendum spargit militem, ut dùm oppidani non uno loco exagitantur, ipsam, infititio catapultario tubo, portam commodiùs effringeret, nec conatibus prospera fortuna defuit ipsâ subrutâ, duobusque sublíciis pontibus. Hinc Formentus & duo alii Centuriones

turiones cum suis ad primam stationem penetrarunt, ubi Formento & Ghelingero ab excubitoribus sclopetorum displosione stratis, sequentes tanta trepidatio invasit, ut turbatis ordinibus revoluti in suos, quinquaginta circiter in fossam proturbarent. Accessit, quod pars militum præfinitum ad tempus adesse jussi, Terralio ultrà progressuro, defuerant imperatis, quod quibusdam Præfectis non impunè fuit, de quibus Bruxellæ, Archiducis jussu, publicè sumptum supplicium XIII. Cal. Julii, ut imposterum reliqui cordatiores esse discerent.

Hæc inter Spinola ex Hispania Bruxellam redierat auro onustus, ubi cum Comite Buquoio curas & copias partitus, illi decem peditum millia, & mille & ducentos equites, tormenta duodecim ascribit, cum mandato, ut in Brabantia tantisper subsisteret, dum ipse cum octo millibus peditum & equitibus bis mille in Frisiam transiisset, ac dein Buquoius Vahalim versus duceret, eoque transmisso in insula Betua se muniret, ac Neomagum aggrederetur. Sed quò minus initum consilium exsequi posset, prohibuit anni tempestas, jugibus pluviis solitò fœdior, hinc ità intumuerat Isala, ut vado transitum non daret. Quod, si ex voto processisset, & uterque exercitus coïsset, patebant dubio procul Fœderatorum intima. Igitur tempestate tam adversâ Mauritius tempus nactus, decies mille pedites, & bis mille quingentos equites collegit, iisque alteram Isalæ ripam insedit, ut Daventriam, Zutphaniam, aliaque oppida tegeret. At Spinola infensus otio ne nihil ageret, Inicum Borgiam cum sua legione Lochemum, Zutphaniensis ditionis oppidum, cingere jubet, illud trecenti præsidiarii tuebantur. Tertio ab obsidio die, cuneatum propugnaculum portæ proximum occupat, tum productis operibus ad labrum usque fossæ, post aliquam machinarum displosionem, obsessi colloquium petunt, & postridie locum dedunt.

Spinola reditus, ejusque præclara facinora.

Lochemum deditur.

Hinc nonis Augusti Grollam progressus, obsidione cingit, vallo & fossâ castra præmunit. His sepimentis tutus, machinis omnibus concutit, muros convellit, & subterraneis effossionibus ad vallum usque prorepit. Peditum viginti cohortes ad præsidium relictæ, crebris eruptionibus hostem invadunt, Spinoliani impetum fortiter excipiunt & propellunt. Septimo ab obsidione die propugnaculum semilunari formâ ab obsessis multâ cum cæde amissum. Exindè Spinola fossæ & muro imminens, toto impetu oppidum invadere minatur: Quare oppidani Præfectum adeunt, & per omnia sacra obtestantur præveniat ultima, ne se calamitate eadem cum ipsis involvat. Ille his victus XIX. Cal. Septembris deditionem facit, eodemque illo die cum mille & ducentis circiter militibus oppido excessit.

Grolla obsidetur.

Deditur.

Captâ

Rhynberka obsidetur Captâ Grollâ, Spinola ad Rhynberkam castra promovet, & coronâ urbem circumdat XII. Cal. Septembris non aliam digniorem ratus, de qua totis viribus certaretur, seu commoda loci, seu famam spectaret. *Ejus situs.* Hæc urbs ad Rheni ripas posita, quà divaricatus in duo fluenta Rhenus, suis complexibus divulsum à continenti solum ambit & insulam efficit. Duas in ea insula munitissimas arces Batavi in urbis præsidium struxerant, tertiam ad eam Rheni ripam, quæ hinc Insulam, indè Germaniam spectat: urbs verò ex opposito in altera Rheni ripa cis Insulam sita, omnibus bellicis artibus, lunatis operibus propugnaculisque instructa.

Prior Buquoius per Agrippinensium agros, cum quatuor millibus peditum, quingentis equitibus, & quatuor tormentis muralibus, sexque lembis ad urbem venit: Sed priusquàm aditus clauderet, Henricus Nassavius Mauritii frater, centurias peditum quatuordecim oppido intulit, quibus increvit magnum & antè præsidium, ut essent jam equites propè ducenti, pedites supra ter mille. Paucis post diebus, per Clivios & Spinola incessit, sibique sumpsit Trans-Rhenana munimenta expugnare: & quoniam arx tertia, tùm à cæteris arcibus, tùm ab urbe remotior erat, jubet Spinola eam protinùs invadi. Hujus cœpti perficiundi provincia data Baroni Balançonio, ubi ad arcem cum Sequanis suis venit, illi summa cum animi alacritate impetum faciunt: alii portas effringunt; alii muros scandunt, quibus utrisque occupatis tametsi trecenti cecidissent, & defensores adhuc resisterent, omnes confertim in arcem irruunt, obvios quosque jugulant, fugientes insequuntur, resistere ausos sternunt, omnesque internecioni dant. Hâc partâ victoriâ, Spinola pedestres copias, oppositâ flumini viâ, ad urbem deducit, præsidiarii non solùm intus egregiè se tuentur, sed eruptionibus non infeliciter tentatis, obsidentes in horas infestabant; & Mauritius, qui Vesaliam propter castra habebat, fiduciâ auxilii animos iis adjiciebat, sed ad suppetias tàm diuturnus morator fuit, ut obsessi non ferentes vim machinarum, & cunicularias suffossiones, paulatim animis labare cœperint, *Deditur.* ac VI. Non. Octobris urbem Spinolæ permiserint, eâ lege, ut præsidiarii cum armis, signis ad tympani pulsum, impedimentis & duabus machinis bellicis, liberi ac incolumes abirent. Egressi sunt ter mille, trecenti pedites, sub L. signis, nongenti item saucii, ac centum præterea equites & quinquaginta. Ex Albertinis quingenti circiter desiderati, septingenti circiter sauciati.

Venlonia à Mauritio tentata. Pridie quam urbs Spinolæ potestati se submitteret, Henricus Nassavius acceptâ parte copiarum, nocturno astu Venlonam conabatur inter-

intercipere, & quin caperet haud longè abfuit: nam fubrutâ crepitaculo portâ, quidam militum per propugnaculum quod amni Mosæ imminet, jam enifi erant. Sed porta alia obftabat, & priufquam effringeretur, Oppidani & qui urbi præfidio erant, crepitu portarum & armorum fono exciti, impetum retudêre.

Deditæ Rhynberkæ fama Batavos haud mediocriter commovit, dum belli fortunam & fuas vires reputantes, quid deindè futurum, fi porrò cum victore exercitu ingruat hoftis, ex aliis conjecturam faciunt. Accedebat autem iifdem peropportunum quod Hifpani in Spinolæ caftris, ob non repræfentata ftipendia, fecefsionem rurfus auderent, jugum excuterent, vagique per agros palantes, mox Eyndoviam infiderent: quò & alii fe collegerunt, ita ut ex parva manu, numerus fubitò ad mille ducentos excreverit. Hæc turbamenta Mauritio fpem fecêre recuperandi quæ hoc anno trans Rhenum perdita. Quare, ut grandi aliquo facinore annum clauderet, fub exitum Octobris, Ernefto Naffavio, Lochemum expugnandum affignat. Ille vallo promoto, ac difpofitis tormentis biduo oppidum fine intermifsione pulfat, Præfidiarii, quibus Diazius præerat, cum admodum rari effent, quarto ab obfidione die, ad deditionem compulfi, iifdem quibus nuper Spinola conditionibus pacti, oppidum reddiderunt.

Rurfus tumultuantur Hifpani.

Lochemum occupatum.

Inter hæc Spinola hærens Rhynberkæ, id potifsimum curabat, ut reficeret quæ oppugnatio corruperat, nec non fepta, munimina, aggerefq; folo æquaret. Pauci dies militi inter exhauftos labores dati, cùm nuntii afferuntur Mauritium Grollam obfidione premere, neque diu morandum, fi modò falvam eam habere vellet. Quapropter copias confeftim contrahit, feptem millia peditum & equites mille & ducentos, Mauritio multò impar, qui fub fignis habebat peditum millia minus quindecim, equitum tria, at tamen virtuti fuorum fifus, in viam fe dat, & adventus fui obfeffis, trium ictuum difplofione, eminùs dat fignum; cognitoque per exploratores quæ pars caftrorum leviter, nec nifi palis firmata, illac longiore quamvis & per paluftria impedito itinere, oftentat aciem. Mauritius, quamquam primipilares uno propemodum ore pugnandum effe cenferent cum hofte, madoribus, frigore, viâ ac labore feffò, fatiùs tamen duxit, vallum & munitiones cœptas deferere, copiafque in tuta reducere. Spinola cognito ejus difceffu, munitiones defertas occupat, ac ftatim demolitur, proque magna victoria habuit folviffe obfidium, fuis auxiffe animum, hofti imminuiffe gloriam.

Grollam obfidet Mauritius.

Mauritius Grollam deferit.

Inter hæc interventu Marcelli Judicis cum feditiofis, qui Eyndhoviam fecefferant, conventum, iifque Dieftum attributum, quoufque æra militaria dependerentur.

Hic

Hic finis accerbissimorum bellorum, quæ in quadraginta propagata annos, nullis interstitiis consopita, Belgarum gentem affixerunt. Quantum fusum sit sanguinis, testantur campi toties humano sanguine stagnantes: testantur flumina toties cæsorum acervis corporum obstructa: testantur florentissimæ Belgicæ Provinciæ cædibus exhaustæ; urbes potentissimæ subversæ; agri vastati, cùm tristi oportuit spectaculo

Lucan. 7. *——— ——— Videre Parentes.*
Frontibus adversis, fraternaq; cominus arma
Cognatasque acies.

Manil lib. 4 *Qui Patrem nati periment, natosq; parentes,*
Mutuaq; armati coëant in vulnera fratres.

Plutarch. in Apopht. Agesilaus Rex, cùm ad Corinthum Lacedæmonii vicissent Athenienses, eorumque socios, auditâ occisorum multitudine, exclamavit: O infelicem Græciam, quæ ipsa sibi tantum interemit hominum, quantum satis erat ad universos vincendum Barbaros. Idem mihi Poëtæ verbis queritari liceat,

Heu, quantum terra potuit pelagiq; parari
Hoc quem civiles hauserunt sanguine dextra!

Non refero reliquas palæstras & amphitheatra, in quibus Mars impius cædium humanarum spectacula & cruentos ludos exhibuit. Satis in rabiem, ac furorem tot in annos crudeliter decertatum: Satis cruento invicem Marte hactenùs depugnatum. Fessis ædepol, post diuturnos labores, nihil acceptius quiete: ita bello fessis nihil desiderabilius otii cupidine; velut Batavi seriò profitebantur apud Tacitum Hist. lib. 4. Tùm nihil amœnius pace, cujus & nomen dulce est, res verò ipsa & jucunda & salutaris, quâ non modò ii, quibus natura sensum dedit, sed etiam tecta atque agri lætari videntur. Nam

Si æterna semper odia mortales gerant,
Nec cœptus unquam cedat ex animo furor,
Sed arma felix teneat, infelix paret;
Nihil relinquent bella: tùm vastis ager
Squalebit armis, subdita tectis face
Altus sepultas obruet gentes cinis.

Undè velut ex tripode à Seneca tragœdo dictum:

Pacem reduci velle, victori expedit,
Victo necesse est:

Et Archiduces quidem sponte suâ ad pacis Consilia inclinabant, ut bellum hoc perniciosum & funestum componi posset. Movebant longiores populi miseriæ, sumptus, ærariique angustiæ, indeque toties renatæ

renatæ militum seditiones & nunquam constans sine stipendiis disciplina, hinc de pace nonnihil interserebant. Rumusculi illi non injucundi, neque iniquis auribus accipiebantur ab his quibus tam diuturnum & lugubre bellum erat fastidio. Proindè ad explorandos Batavorum animos, & velut prætentandum vadum, nomine Archiducum Hagam venerat Walramus à Wittenhorst, territorii Kesselensis Satrapa, vir nobili genere natus, ac cognationibus in Hollandia copiosus, cum Joanne Gevartio I. C. Turnhautono Scriba. Mandata, quæ cum paucis primariæ dignationis viris communicarunt, nihil aliud continebant, quàm subditorum quietem ancipitis belli exitui anteferre; nemini ignota Archiducum in Belgarum gentem jura, haud aliena poscentium. Ipsi contrà promerent, quæ firmandæ securitati arbitrarentur, pacem, vel in plures annos inducias, & colloquia palàm, an secreta mallent, ipsis permitti. Sed quia nullas ab Archiducibus literas ferebant, res dilata fuit, donec amplioribus mandatis instructi essent. Ejuscè rei gratiâ Gevartius confestim Bruxellas se contulit, qui postquam rediit, in consessum Ordinum admissi, multa de pacis commodis commemorant, plura de calamitatibus publicis, nihil in bello tutum, omnia incerta, multumque sibi fortunam vendicare. Paucis post diebus ad ea responsum, per exiguam pacis spem subesse, quandoquidem Archiduces mentem obfirmatam gerrerent, ut aliquid sibi superesse juris in avitas Provincias arbitrarentur: Eas jam dudum publico decreto (Edictum à se anno octuagesimo primo superioris seculi, die XXVI. Julii, contra Regem Hispaniarum publicatum, intelligebant) in liberæ Reipublicæ statum esse redactas, idque decretum Reges, ac Principes maximos, ictis secum fœderibus, comprobasse, in quo quidem tuendo ut hactenùs, ità porrò quoque omnia extrema sibi experiri certum; omneque colloquium detrectaturos, ni prius Archiduces, Ordines fœderatasque Provincias, pro liberis habuerint, ab hoc prævio elogio sibi incipiendum, ut sui juris dominique censeantur, quod elogium esset pro vindiciis tam diuturni belli. Cum hoc responso dimissi Legati, Bruxellas sese receperunt: Et Wittenhorstius scripsit deindè Ordinibus, compertum sibi Archiduces non id agere, ut ipsorum Reipb. Statum convellant, aut labefactent, mansura cuncta quo tum essent loco.

Initium colloquii de pace, seu induciis inter Sereniss. Archiduces & Batavos.

Hollandici Ordines & Fœderati pro liberis haberi volunt.

1607.

His jactis fundamentis, ineunte Martio Joannes Naius, Franciscani Instituti Monachus, ejusdemque Ordinis Commissarius generalis, ortu Zelandus, jussu Archiducum, & acceptis ab Ordinibus liberi commeatus tabulis, Hagam profectus est, promovendo pacis

P. Io. Naius in Hollandiam mittitur.

 negotio.

negotio. Vir erat induſtrius, efficax, multarum linguarum peritus, haud ignarus Aulæ;nam magnis negotiis immixtus vixerat. Poſtquam venit in Hollandiam, Riſwici aliquantiſper ſubſtitit, explorans quæ potiſſimùm difficultates cœpto obſtarent. Indè perductus ad Principem Mauritium, mandata ſua exponit; edoctuſque nullum tentandæ compoſitionis auſpicium fieri poſſe, ni prius Archiduces declaraſſent,ſe Ordines fœderataſque Urbes & Provincias pro libera ſuique juris & mancipii Republica cenſere. Cujus rei tabulas Archiducum nomine ſignoque firmatas petiturus, Antverpiam,& indè Bruxellam excurrit: paulo poſt rediit cum literis Archiducum in hanc ſententiam: „Nihil ſe magis in votis habere,quàm ut hoc inteſtinum & calamitoſum bellum, quo per tot annos Belgica gens afflicta mœrebat, „ aliquando exhauriretur paratoſque cum Batavorum Ordinibus,ſocialibuſque Provinciis, tanquam liberis, & in quas nullum jus & „ imperium ſibi vendicent, de pace,vel induciis in plures annos, æquis „ & honeſtis conditionibus paciſci, hac quoque inter cæteras, leges „ uti tum poſſidebatur, ità deinceps poſſideretur, niſi oppida, aut Re„giones permutare communis utilitas ſuaſiſſet. Ad id, ut omnis fraudis & inſidiarum ſuſpicio tollatur,miſſuros ſe ad colloquium non alie„nigenas, ſed Legatos gente Belgas,tali numero & loco quem ipſi Or„dines præfinirent. Hæc quò rectiùs procederent, ultrò offerre, ſi „ ipſis idem videretur, ceſſationem ab armis octo in menſes,terrâ ma„rique, tam apud Belgas, quàm apud Hiſpanos.

Multa offerunt Archiduces ſtudio pacis

His litteris in publico Ordinum conſeſſu recitatis, obſtupuerunt hanc Archiducum comitatem & nunc ultrò ſibi offerri conditiones, ità proclives in res Batavas, ut ab integra victoria majora ſperare haud potuiſſent, nempè ut liberi ſolutique alieno imperio, rebus partis fruerentur. Mox ad Archiducum litteras reſponderunt: Placere Patribus conditionem oblatam, ſe proindè curaturos, ut ad omnes quorum intereſt, eâ de re perſcribatur: Inſuper inducias octo menſium ratas habere,utque à quarta Non. Maii inchoärent,quo tempore ſuper ſedebitur ab omni vi hoſtili, urbium obſidionibus, Regionumque invaſionibus, neu novas ſtruere munitiones interim licebit. Additum, ut pactorum decreta Hiſpaniarum Regis calculo, intra trimeſtre ſpatium firmarentur, & ſimul factam ab Archiducibus renuntiationem ratam haberet. Igitur utrimque hoſtilium armorum uſus inhibetur, ac obſeratis Iani foribus, induciæ promulgantur, non terrâ ſolùm,ſed & mari, quod eſt Galliam inter & Angliam ad Sorlingas uſque, ità ut præda omnis, poſt promulgationem, capta, malè parta, damnoque ſarciendo obnoxius cenſeatur, qui eam reportarit.

Ratam habent Ordines ceſſationem ab armis.

portarit. Id magnâ finitimorum Regum, ac Principum admiratione peractum, ut quibus nunquam in mentem venerat, Regem Hispaniarum tam latè imperantem, Majestatis suæ fasces ad tam degenerem conventionem submissurum, ut cum iis, quos à belli primordio pro rebellibus habuisset, eâ lege pacisceretur, quâ Principes solent cum populo libero, in quem nihil sibi juris arrogant.

Veniunt in Hollandiam Legati Regis Galliæ.

Inter hæc Henricus Galliarum Rex, hâc de pace sequestrâ certior factus, Petrum Ianinum, Senatus Divionensis Præsidem, ac intimi sui consistorii Consiliarium, virum multo rerum usu subactum, ad fœderatos Ordines delegavit, consortemque adhibuit Paulum Buzenvallium, qui apud eosdem Ordines, Regii Oratoris munere diu functus fuerat, illoque humanitùs sublato, in vicem suffectus Elias Placius Russius. Missi illi Triumviri, ut Batavis quietem, si possent, conciliarent, deliberarentque de iis, quæ in usum communem fore viderentur. Placuit & Reges Britanniæ & Daniæ, tùm Palatinum & Brandeburgicum Principes interpellari, ut res creperas suis quoque consiliis fulcirent.

Interpellantur & Reges Angliæ & Daniæ.

Nuntiat Spinola approbationem Regis allatam.

Interim Spinola datis ad Ordines literis, certiores eos fecit, Philippum Hispaniarum Regem firmasse Archiducum pacta, petens liberi commeatus tabulas Ludovico Verreyckio, Alberto ab sanctioribus commentariis, (Audientiarii vocabulo designatur) qui instrumentum ferret, isque nono Cal. Aug. Hagam-Comitis venit, Regisque comprobationem Ordinibus exhibuit, hâc propè formulâ:

Tenor approbationis.

„ Postquam sua Majestas accuratè & diligenter expendit, quæ hoc „ scripto, misso sibi à carissimis Fratre, ac Sorore Illustrissimis Archi„ ducibus Alberto & Isabella Clara Eugenia, summo imperio Princi„ pibus, ac Belgii Regionum legitimis Dominis, comprehenduntur, „ super intermissione armorum in octo menses, utque abstineatur ab „ hostili interceptione urbium, oppidorum, arcium, invasione regio„ num, nevè nova propugnacula eo tractu temporis, excitentur: ut„ que utrimque certi homines deligentur, qui de pace, vel longio„ ribus à bello feriis deliberent. His maturè examinatis, ne quid re„ moretur, aut impediat commodum quod indè sperari potest, decla„ rat se suspensionem illam armorum laudare, approbare, firmam & „ ratam habere, quemadmodum sua Majestas illam laudat, approbat, „ firmam & ratam habet in omnibus & singulis capitibus prædictâ „ cessatione armorum comprehensis, quatenùs ea res ad se ullo modo „ pertinere potest: pollicieturque optimâ & integrâ fide, se prædictum „ scriptum in singulis suis capitibus servaturum, opereque completu„ rum, haud secùs ac si ab initio assensum suum interposuisset, atque

„ negotium ſuâ auctoritate & auſpiciis geſtum foret, nec unquam
„ commiſſurum, ut quid ſecùs feciſſe dicatur. In cujus rei fidem, ſua
„ Majeſtas, huic inſtrumento ſubſcripſit, ſuoque ſigillo muniri juſſit.
„ Datum Vallidoleti pridie Cal. Julii 1607.

Ordines diploma regiũ accuratiſſimè diſcutiunt in eoq; multa culpant.

Hoc diploma quùm in Ordinum conſeſſu perlectum eſſet, itum eſt in conſilium de ſingulis vocabulorum apicibus, ne quid inexcuſſum relinqueretur. Multa fuerunt ob quæ verſuti rerum judicabant, hanc ratihabitionem minimè ratam haberi oportere: Quod in charta vulgari, non in membrana conſcripta eſſet: Quod eam Rex ſubſcriptione & quidem ejuſmodi, quâ ad ſubditos uti ſolebat, firmaſſet: quodque minuſculo, non majore ſigillo tantæ rei monumentum obſignatum eſſet. Sed precipuè culpabant, Albertum & Iſabellam ibi Principes legitimoſque Dominos Belgicæ appellari, nullo interim verbo, quo uti poſtulatum, libertatem Ordinum profiteretur. Hæc quùm eſſent objecta Verreyckio, ille incuriam ſcribæ vocabat, idque erratum Bruxellæ quoque deprehenſum fuiſſe dicebat, neque hærendum circà verborum argutias & ambiguitates, cùm nullam pactorum partem rejiciens Philippus, cuncta probaſſe cenſeri deberet; eo maximè cùm ipſa fides ipſam plerumque obliget fidem. Ecquid opus in Principum contractibus ſubtiliores attendere diſputationes? Attamen quùm hiſce rationibus Ordines minimé acquieſcerent, edicunt, non poſſe ſe in ulteriora de pace colloquia deſcendere, ni prius formæ melioris tabulæ à Rege impetrarentur, quarum exemplar triplici idiomate conceptum Belgico, Gallico ac Latino, Audientiario tradiderunt, unius ejuſdemque ſententiæ. Intereà Ordines & hoc Archiducibus pollicentur, ſe claſſem, quæ Hiſpanica littora infeſtabat, revocaturos, prædaſque omnes intra ſeſquimenſem à IX. Cal. Sextil. partas & convectas, reſtituturos.

Mauritius diſſuadet fœdus.

Porrò dum ſuſpenſi hærent animi exſpectatione literarum ab Hiſpania, variæ de hoc pacis, vel induciarum negotio erant ſermocinationes, aliis ad quietem, aliis ad alendum bellum pertinacibus. Fœderis detrectandi vel quibuſcumque rationibus ſuaſor erat Princeps Mauritius. Ille palàm & libellis profitebatur, præclaras in ſpeciem Hiſpanorum pollicitationes eſſe decipulas, quibus ineſcare, divellere, & peſſumdare Batavos eniterentur. Quibus vita militia eſt, Mauritio adſtipulabantur: Quin etiam Zelandi in ejus votum proclives ibant; Mercatores itidem, qui in ſocietatem Indicæ navigationis omne æs ſuum contulerant. Ità quæ ratæ ſpes putabantur, in ſummam deſperationem adductæ erant, cùm ecce perfertur nuntius, Regis adveniſſe literas. Mox impetrato ab Ordinibus commeatu, P. Naius & Audientiarius Verreycken, Hagam profecti ſunt, iiſque IX. Cal.

Novemb. Senatus est datus, tùm aliud Regis diploma protulerunt, verbis fermè ut conceptum ab Ordinibus fuerat. Et quamvis Regis & Sereniss. Archiducum mentem, voluntatem planè & perspicuè exprimeret; nimirum acquiescere se, ut cum Ordinibus implendæ Archiducum fidei, tùm muniendo pacis, aut longarum induciarum fœderi, tractatio instituatur, tanquam cum iis, quos ipse pro libera Republica Statuque habeat & agnoscat, & in quem nullum imperium sibi vendicet: nihilominus rursus causati sunt diploma vitiis laborare, nec respondere Ordinum votis. Vitium esse non tantum in stylo, sed in subscriptionis modo: YO EL RE, *EGO REX*, & omissione quorumdam verborum. Sed ista exilis erant momenti ad infirmandam instrumenti auctoritatem, quùm nulla pravæ suspicionis subesset labes. Illud in argumentum suspicionis trahebatur, quod eodem scripto comprehendebatur, nullius planè momenti, & penitùs irrita fore, quæcumque Rex & Archiduces solenniter promisissent super agnitione libertatis fœderatarum Provinciarum, nisi negotiatio pacis, aut induciarum ritè succederet. Advocatis tamen Urbium ac Provinciarum Delegatis, qui suffragii jus habent, decernunt, suscipiendam sive pacis, sive induciarum tractationem, sic tamen, ut fundamentum illud libertatis inconcussum maneat, nec quicquam permittatur vel Hispaniarum Regi, vel Archiducibus, quod ullo modo ad immutandum præsentem statum & formam regiminis fœderatarum Provinciarum, pertinere posset.

Aliud Regis diploma quod Ordines rursus causantur vitiis laborare

Re igitur per dies aliquot in conventu Ordinum, cui præter Comites Mauritium & Gulielmum Nassavios, Regum quoque Franciæ, Angliæ, & Daniæ Legati intererant, agitatâ, Ordines fœderati scribunt ad Archiduces: si ita videretur, viros aliquot mandatis & auctoritate instructos Hagam ablegarent, quibuscum super instituto pacis, aut induciarum colloquio, agerent; se pari numero, ac potestate è suis quoque delecturos ad facilem & expeditam rerum confectionem. Quoniam verò induciarum tempus cedebat Non. Jan. proximis, Archiducum arbitrio permittebant, dispicerent num è re judicarent mensem unum, aut sesqui superaddere. Placuit Archiducibus in sesquimensem eas prorogari.

Prorogantur induciæ

1608.

Sæva hiems.

Anno ineunte 1608. tanta fuit frigoris asperitas & pertinacia, ut toto Jano amnes rapidissimi alto Gelu vincti & solidati starent, plaustra & currus onerarios sustinerent & inconculsè rotis sulcarentur. Scaldis, fluviorum Belgicorum pater, qui pleno alveo Antverpiam alluit, tantâ spissitudine glaciei adstrictus, ut omne vulgus quotidianis excursionibus, intrepidè medium calcaret. Arbores plurimæ quantumvis annosæ, durâ & rugosâ cortice penitùs exaruerunt. Aqua admota foco, ut contingebat humum, indurescebat. Vinum

alicubi, non ad mensuram, sed in frusta sectum, ad libram appendi oportuit.

Legati Archiducum ad fœdus perficiendum.

Jactis superiore anno futuræ tractationi fundamentis, revulsisque iis, quos memoravimus obicibus, Archiduces, ut quæ bonis avibus cœpta, melioribus perficerentur, desinente Januario, Ambrosium Spinolam, regiæ militiæ Imperatorem, pacis bellique studiis inclytum, cum Joanne Richardoto, publici status, ac sanctioris consilii Præside, pacis artibus clarissimo, Joanne Mansicidoro, rei militaris regio scribâ, R. P. Joanne Naio, Religiosorum Ordinis Seraphici in Belgio Commissario Generali, qui telam hanc, à Joanne Gevartio primùm exorsam, contexuerat, & Ludovico Verreycken, Audientiario atque Archiducibus à commentariis, Hagam-Comitis, quò & aliorum Principum Oratores advenerant, splendido comitatu ablegavit. Iter ingressi Bredam primùm ab Ordinum Legatis deducti, indè Gertrudisbergam delati concretas per aquas trahâ vecti Dordracum, deindè Roterodamum & Delfos intrant. Quaqua transirent ab urbium Rectoribus excepti tanto confluxu omnis ordinis & ætatis hominum, tantâque cum gratulatione & significatione benevolentiæ, ut civitates excitæ sedibus suis viderentur, cupidine visendi duos belli maximos Imperatores, qui nuper infestas duxissent acies, modò pacis colerent artes, atque in mutuos irent amplexus. Paulùm Hagâ Batavorum aberant; cum obviam illis Mauritius procedit, septuaginta stipatus equitibus. Ubi in conspectum venissent, alter alterius obtutu defixi & mutuâ admiratione attoniti, paulisper hæsêre. Mox salute mutuò datâ redditâque, Spinola rhedam Mauritii conscendit & à dextris ejus consedit. Exindè primi dies, ut assolet, epulis ludisque exacti: cumque mutuæ salutationes deferbuissent, cœptum est agi de negotio, cujus ergò venerant. Disceptatores ex parte Ordinum delecti sunt Gulielmus Ludovicus Comes Nassavius, Præfectus Frisiæ, & Walravius Brederodius, Vianæ Dominus; Item ex singulis Provinciis singuli, qui Ordinum nomine cum Delegatis Archiducum agerent, controversiasque dirimerent.

Delecti Ordinum,

Excutiuntur tabulæ potestatis ab Ordinibus.

Primus conventus, habitus VIII. Id. Feb. abiit dum tabulas potestatis gerendi negotii alii aliorum excutiunt, ac refutant. Rex Hispaniarum Syngrapho suo, dato Madriti XVII. Cal. Feb. Archiduces Belgii Principes, & mancipio nexuque Dominos Provinciarum inscripserat, quo titulo libertati suæ fraudem fieri Fœderati causabantur. Additum in eodem: Si de iis, quæ ad orthodoxæ religionis cultum pertinent, quem Archiduces Catholicis efflagitabant, & de aliis rebus controversis inter partes conveniri non possit, potestatem

Syngrapho

Syngrapho contentam, nullius fore momenti & auctoritatis, non secùs ac si nunquam extitisset: neque Philippum Regem ejus vi quidpiam de jure suo imminutum velle,& hæc quoque clausula Fœderatis haud placuit. Quibus objectis, delegati Archiducum comiter reposuerunt, se propediem curaturos, ne quid in delegationis jure desideraretur.

Proximo consessu arguebant vicissim Legati Archiducum, Ordinum mandata restringere agendi potestatem intra mandatorum fines, quæ proferri debere contendebant. Responsum nihil id summæ rei obstiturum, quando adessent Ordines ipsi, qui, ut quodque caput convenisset, protinùs comprobatum irent. Vicissim quæsitum ex Marchione Spinola ejusque collegis, an satis amplâ potestate muniti essent, ut secum agerent tanquam solutis liberisque Provinciis? Non moramur, inquit Richardotus, quem titulum sibi Ordines vindicent, etiamsi Reges vellent appellari, interim sicut Regem & Archiduces, se quoque pro liberis eos, ac sui juris habere. Cur igitur Archiduces, excipiunt Fœderati, titulos & insignia unitarum Provinciarum usurpant? Respondetur, eodem jure & more, quo Hispaniarum Rex Hierosolimorum; Rex Galliæ Navarræ, Rex Britanniæ Franciæ se Reges scribunt, cum tamen præter vocabulum inanesque nominis titulos, nihil habeant. Interim Ordines à se rogari, ut eam moderationem in inscriptionibus suis servarent, quâ minimum labis Regiæ Majestati & Celsitudini Serenissimorum Archiducnm aspergeretur. *Diluuntur objectiones Ordinum.*

Tertiis Comitiis volebant Federati Regem & Archiduces suo posterorumque nomine Fœderatarum Provinciarum, Lingæ, ac Tarantiorum imperio, quæque ipsis possidebantur in perpetuum absistere, ità ut nec titulos amplius, nec insignia usurparent. Hanc contumeliam, Legati Archiducum graviter exaggerarunt apud Gallos Britannosque: indignum id sanè, acerbiores sibi istis à populis imponi leges, quàm Reges Regibus præscriberent, ut non contenti avitum Austriæ domus hæredium possidere, nisi etiam Regem & Archiduces ornamentis evanidorum nominum exuant. Nihilominus Legati Archiducum spatium deliberandi & Principis sui sententiam exquirendi petierunt. Archiduces verò cupiditate tranquillitatis publicæ inflammati, generoso contemptu hasce indignitates, quanquam perpessu asperas, transmisêre. Et quùm Idibus Februarii jam quartùm convenirent, accepêre conditionem, eâ lege, si & cætera convenirent.

Procedente exindè colloquio XV. Cal. Martias lex amnestiæ de ponenda hostilium memoria, deque pignerationibus aut clarigationibus prohibendis (nisi ex causa privatorum debitorum) promulgata est. Deinde *Lex amnestiæ promulgatur.*

indè ad commercia ventum. Negotii fastigium erat Indica & Peruviana navigatio, atque hinc auri exoticarumque mercium exportatio, quam Archiducum Legati Batavis præfractè negabant. Contrà Ordinum Legati dictitabant, navigandi mercandique jus, ità ut cælum solumque omnibus commune, atque ex tractatu pacis longè deteriorem fore conditionem navigationis & commerciorum, quàm si ab armis non discederetur. Hæc controversia variis disceptantium consessibus agitata fuit. Quùm neutra pars de rigore sententiæ quicquam remitteret, & Archiducum Legati negarent, absque Regis Hispaniarum expresso mandato, tantam rem decidi posse, propositæ sunt rationes, quibus per mediam quandam viam difficultas dirimeretur, nimirùm; ut, aut solidam inirent pacem cum navigandi libertate ad utriusque Indiæ littora, portus, ac populos: aut, ut per inducias in aliquot annos, id fieri liceret: aut, ut bellum & hostilitas terrâ marique cessaret iis in regionibus, quæ sitæ sunt intrà tropicum Cancri; quæ ultrà porriguntur, ibi fas esset jus suum tueri. Sed Regis & Archiducum Legatis nihil horum placuit. Non primum, ob defectum potestatis, & quia mandatis instructi erant prorsùs contrariis. Ultimum displicebat, quod portentosum ipsis videretur, eadem cum gente pacem simul colere, & bellum gerere. Medium non admodum improbabant, modò promitterent Fœderati, se finito induciarum tempore, ab Indicis navigationibus omninò abstenturos esse. Id verò se facturos nequaquàm induci potuerunt. Denique cum tantæ difficultates negotium Indicæ navigationis circumsepirent, publicis comitiis subductum est, & in opportunius tempus rejectum, prudenter & opportunè admodum: nam si obstinatis animis utrimque disceptatum fuisset, de induciis omninò actum erat.

Contentio de Indica & Peruviana navigatione.

Interim inita consultatio de cæteris agendorum capitibus, eaque in medium prolata sunt: nimirùm duodetriginta nomine Ordinum: Ex parte Regis & Archiducum septem dumtaxat, inter quæ sextum erat circà Religionem. Interrogati Regii de sensu capitis, an qui ultrò citroque commearent, sacrorum obtentu non infestarentur: an ut ipsi Batavis jura præscriberent, queis res divinæ apud ipsos ordinarentur? dixêre se mentem suam exposituros, cum ad ejus capitis disquisitionem ventum foret.

Post hæc repetita est quæstio Indicarum navigationum, magnaque verborum contentione utrimque disceptata. Accessit & altera contentio de Europæis commerciis: Instabant Regii, ut subditis imperio Archiducum, qui nauticam faciunt, liceret plenis velis è portubus suis ad quascumque Europæ regiones navigare, & ad eos-

dem portus per Batavorum maria & flumina, sine ullo graviori vectigali, quàm antiquitùs fuit usitatum, appellere. Fœderati acerrimè huic voto obluctabantur, postremò sedit hæc sententia: nihil de commerciis statui posse, nisi exploratâ prius Regis voluntate. Affecto jam Martio mense, cum induciarum dies fluerent ad exitum, placuit ut Aprilis Maiusque adderentur. *Induciæ denuò prorogantur.*

His super controversiis acturus cum Rege, in Hispaniam mittitur P. Naius quadraginta intra dies promisso reditu, sed in putando dierum numero, magnopere aberravit, neque tam arduæ molis negotia ab arbitrio promittentium pendent. Postquam enim vir religiosus X. Cal. Majas ad Regem pervenerat, cum in designando filio regnorum hærede occupatum invenit, ita ut intra præstitutum spatium concredita sibi exequi non potuerit. Intereà ne nihil ageretur, XII. Cal. Maii Delegatorum conventus indicitur. Legati Archiducum postulabant ut Fœderati portoria & vectigalia mercibus imposita abolerent, retentis solummodò iis subsidiis, quæ antiquitùs, videlicet ante annum 1566. exigi consuevissent. Item, ut Brabantiâ, Flandriâ & omni Gelriâ trans Vahalim Ordines decederent: In Brabantia Bredam, Bergas-ad-Somam, Graviam, in Flandria Slusam, Axellam, Ardenburgum & quidquid Flandriæ solo continetur, restituerent, acciperentque vicissim Lingam, Oldensaliam & Grollam. Hic non ringi tantùm, sed etiam bile incendi Ordinum Legati, ac dicere fraudem fieri promissis, quibus fidem suam Archiduces devinxerant, utrique populo salvam & incolumem permansuram sui possessionem. Addebant insuper, nequaquam è re sua esse, tot tamque validis propugnaculis fines suos nudare, quibus populi securitas niteretur: nec onera contracti æris alieni dissolvi posse abolitis vectigalibus.

Intereà dum P. Naius longiorem in Hispania moram trahit & finitimorum Principum Legati, longioris moramenti pertæsi, convasatis rebus suis, domum abiêre. Et Præses Janinus Gallicæ legationis Princeps, significavit Ordinibus ad Regem se evocatum, paucisque post diebus Roterodami navem conscendit, ut in Zelandiam trajiceret. Quæ tam repentina viri profectio, varias suspicionum præbuit causas. Sed hos animorum motus placavit subita ejus Hagam reversio. Jamque & Maio mensi finis imminebat, quo exibant induciæ, ne tamen rebus infectis discederetur, placuit eas in annum vertentem prorogari, hâc tamen lege, ut ante finem Quintilis, certi quid de summa rei statueretur. Deindè sæpius sunt repetita colloquia, agitatumque de assignandis cuique parti limitibus, deque redhibitione bonorum Fisco addictorum, aliisque haud parvi momenti capitibus.

Quamobrem profectus Bruxellas Vereyckius, ac mox rediens, aperuit Ordinibus mentem Archiducum: ut privatis sua cuique, ita & Principibus reddenda bona quæ majores tenuissent. De oppidis Brabantiæ & Flandriæ, gratiam facere, dum pagi, villæ & agri circumjacentes Archiducum imperio parerent. Contradixêre Ordines, nec imperium Fisco, nec urbes agro exui posse sine imperii urbiumque exitio, & ni ad æquiora se verterent, quantocyus colloquium abrupturos. factaque est mentio de externis militibus, ut Hispanica præsidia Belgicis finibus deducerentur. Indignum dixêre Legati Archiducum hoc ab iis posci, nihil ex eorum parte Ordinibus præscriptum iri, quid præsidiariis suis militibus statuendum haberent.

Indè XV. Cal. Julii Verreyckius iterum Bruxellas, & postridie Præses Janinus mandata Regis sui obtendens in Galliam contendit.

Septimo Cal. Julii in consessu Legatorum collati sermones de privilegiis oppidorum, collegiorum, regionumque mutuò servandis; ut Magistratuum electio in memoratis Brabantiæ Flandriæque oppidis Archiducibus restituendis, proximo decennio penes Fœderatos esset; Deinde, ut fœdus non Archiducum modò, sed quatuor Præsulum, todidem Baronum, ac Civitatum ipsis parentium, sponsionibus firmaretur. Nec de his conveniebat.

Ipsis Cal. Julii tentati iterum Archiducum Legati de religione, iterum dicebant opperiendum P. Naium, de cujus reditu quùm nec literæ, nec nuntii ex Hispaniis quidquam certi referrent, & pacis negotium haud faciles explicatus habiturutm esse videretur, subnascentibus in dies novis difficultatibus, Ordines de abrumpendo omni colloquio consilium inierunt. Quod ubi Legati Archiducum olfecissent, moram P. Naii, quantum potuêre excusarunt, atque hoc obtentu impetrarunt, ut præfinitum colloquio tempus citrà Cal. Sextiles ad Idus usque Septembres produceretur.

Paulò post Janinus Hagam reversus, in consessu Ordinum vice regiâ verba fecit, de fido Regis in socios animo, suasitque validissimis argumentis ex usu communi fore, ut vel de pace perpetua, vel de longi temporis induciis negotium transigatur. Hoc ipsis consilium dari ab amicissimo Rege, cujus animi propensionem ergà salutem unitarum Provinciarum, illustribus documentis non vice simplici experti essent. Cupere prætereà Regem, pro pietate sua, ut in posterum vi & pœnis, minacibusque Edictis in orthodoxos abstineant, sitque illis liberum clàm & semotè assuetis ritibus numen colere. Hanc libertatem Catholicis non esse invidendam, quandoquidem in ipso bellorum æstu, pro vindiciis publicæ libertatis sociam operam navarunt, opes, fortunas, & vitas periculis objecerunt. Sed belluam

multorum capitum, hoc est, plebem, emollire haud potuit, Catholicis tamen sortem minùs anxiam fecit, qui si non publicas aras, cryptas tamen avito cultui impetrarunt.

Hinc XIII. Cal. Septembris iterum habitus est conventus, in quo Legati Archiducum narrarunt, paratos esse Regem & Archiduces juri suo, summoque imperio in Fœderatas Provincias cedere: Sed pro hoc munere, duo hæc vicissim ab Ordinibus postulare: „Primum, ut liberum Romanæ Religionis usum per omnes di„tiones suas indulgeant. Alterum, ut ab Indicis navigationibus pror„sùs absistant. Quæ cum relata essent ad Ordinum generalium conventum, placuit rem communicare cum Franciæ, & Britanniæ Regum, Palatini quoque, Brandeburgensis, & Lantgravii Legatis. Tandem Ordines iniquarum conditionum haud ultrà tolerantes, omne colloquium abrumpere statuunt, perscriptoque decreto, totam rei gestæ seriem ordine commemorant.

Tradito Legatis Archiducum decreto, graviter de eo apud Regum Principumque Legatos conquesti sunt. Quamobrem VI. Cal. Septemb. dicti omnes Legati, qui pacis tractationi, velut sequestri, interfuerant, in conventum Fœderatorum prodeunt, pressaque hactenùs mandata Regum proferunt, ut pacem, quatenus fieri posset, curarent: eâ desperatâ, saltem inducias suaderent utrisque partibus, sed tutas honestasque, & per quas maneret Batavis indubitata libertas; tùm ut in Indias, Hispaniam & omnia Archiducum loca tuta eis sint commercia, quæque jam possident, retineant.

Indè & Archiducum Legatos accesserunt, quibus hæc eadem proposuerunt; de quo hi, & illi deliberaturos se dixerunt.

Tertio Cal. Septemb. Ordines responderunt, consentire se, ut de multorum annorum induciis agatur, eâ lege, ut ipsorum Status absolutè liber & sui juris pronuntietur. At Archiducum Legati iisdem Oratoribus declararunt, nullum talis conventionis mandatum habere; cæterùm exemplum rei in deliberatione positæ Bruxellas misisse, ac intra quatriduum indè responsum expectare. Quo accepto, responderunt, Archiduces haud quaquam posse amplecti eorum sententiam, propositisque conditionibus concedere; nihilominùs formulam illam induciarum misisse ad Regem, ac sperare ante exitum Septembris responsum. Interim paratos Archiduces, ut quæ in præsens armis suspensis rerum sit facies, maneat per annos septem: & quod ad Indicas, Hispanicasvè navigationes attinet, curaturos ut comitèr eæ concedantur. Quas conditiones si Ordines rejicerent, rogabantur Legati Regum, ut ipsis ad finem

usque Septembris Hagæ subsistere liceret, donec ab Hispania responsum venisset. Hoc ubi per Regum Principumque Legatos renuntiatum est, verbis asperrimis,magnisque contentionibus res agitata est, mox denuntiarunt gratius & acceptius fore, si è finibus Unitarum Provinciarum excederent,& Bruxellas se reciperent, ilicque expectarent Regis responsum. Igitur sublatâ spe quidquam proficiendi, conductis navigiis, præmissisque impedimentis, quarto Cal. Octobris Comitem Mauritium officiosè invisunt; postridie omnibus Regum & Principum Legatis salutem dicunt. Pridie Cal. Octobris Spinola, Richardotus & Mancicidor in Ordinum conventum venerunt, ubi Richardotus collaudatâ sincerâ ac integrâ Archiducum fide, & qui res maximas paci condonassent, Ordinum præfractam duritiem accusabat. „Ultrò, inquit, jam offerun-„ tur à summis Principibus, quæ tam contumacitèr repudiata,frustrà „ aliquando optabitis: Et quoniam per vos stetit, quo minus dissidia „ componantur, in vos quoque redundabit invidia omnium cladium „ & calamitatum, quæ exindè orientur. Huic Ordinum nomine respondit Barneveldius, quasi per relationem criminum in adversarios. Indè Marchio Spinola paucis, sed efficacibus verbis ostendit, quàm sibi grave accidisset, quod tam diu frustrà deliberando tempus extractum foret, quodque rebus infectis discedere cogerentur. Eodem die excepti epulo à Principe Mauritio, post meridiem in viam se dederunt. Abeuntibus comitem se dedit Mauritius Ryswicum usque, & ejus frater Henricus Nassavius ad portum Delphensem usque, ubi conscensâ Mauritii celoce, & aliis ad ipsorum usum conductis navigiis, Dordracum prætervecti, V. Id. Octobris Lilloum appulerunt, ac indè Willebroecam.

Digressis Legatis Archiducum, plerique opininabantur spem pacis planè præcisam, quùm Legati Regum & Principum qui Hagæ remanserant, in eam curam incumbere cœperunt, ut quando æternæ pacis obtinendæ ratio planè sublata esset, saltem longi temporis induciæ paciscerentur. Quare Janinus ipse Bruxellas ad Archiduces percunctatum venit, ecquid fidere deberet his, quæ nuper ipsorum cum ministris agi cœptum esset. Archidux graviter tulit integritatem suam in suspicionem vocari, quasi verba dedisset. Quocircà ingenuè significavit, nihil fuisse à Legatis gestum, nisi jussu & mandato suo: & si rursùs conveniendi copia fiat, ut in annos quindecim, aut ad minimum duodecim induciæ producantur. Eâ fini propositæ sunt certæ conditiones & in Hispaniam missæ, deferente eas R. P. Inico de Brizuela, familiæ S. Dominici, & Archiduci à confessionibus. Is honorificè exceptus à Rege ac Proceribus, animos

tamen ab induciarum mentione alienos invenit. Undè Regem primò, summoto ab interpellationibus secessu, convenit, eique rem sibi concreditam exposuit, rationumque pondere firmavit, idemque egit iterum, & quò fideliùs Regis hæreret animo, scripto complexus est. Tùm conversus ad Proceres Regi à consiliis, disertâ oratione susceptum à se negotium explanavit, iisdemque etiam scripto consignavit rationes quibus niteretur. Rex pro sua sapientia, sexies concilium Theologorum coëgit in dies tres productnm, cui ipse bis interfuit. Denique auditis super eo negotio sententiis, inducias sub certis legibus Rex admisit. His ita constitutis, Inicus in Belgium revertitur, prolatoque Regis placito, hinc Archiduces, indè Regum Legati adæquare controversa laboraverunt. Verùm cum id lentè procederet, nec facilè inter absentes negotia explicarentur, coäctus est rursùs conventus disceptatorum, urbsque Antverpia colloquio lecta. Itaque V. Id. Februarii anno supra Millesimum Sexcentesimum nono, Spinola, & qui cum ipso Hagæ fuerant, Antverpiam ivêre, simulque Regum Franciæ & Britanniæ Legati, formulam secum ferentes, præcipua fœderis capita comprehendentem, in quam Ordines rogatu Legatorum, paucis dumtaxat mutatis, assenserunt. Exhibitâ Legatis Archiducum formulâ, breve deliberandi spatium poposcerunt, quamobrem cessatio armorum ad Calendas Martias prorogata: ac postremò post diversos consessus, lento atque operoso huic negotio finis impositus est, quinto Eid. Aprilis, pactis in annos duodecim induciis, quarum summa est: 1906.

Conventus habitus Antverpiæ, in quo pactæ induciæ duodecennales, legibus hic subjectis.

I.

Serenissimi Archiduces, cùm suo, tùm Regis Hispaniarum nomine, profitentur se cum Ordinibus Fœderatarum Provinciarum agere, tanquam cum populo libero, in quem nullum dominii jus sibi arrogant.

II.

Ut per duodecim proximè sequentes annos firmæ, fidæ & inviolabiles sint, ac serventur induciæ, quibus labentibus, omnis actus hostilitatis terrâ, mari fluminibusque utrimque cohibebitur, sine ulla exceptione locorum personarumvè.

III.

Possessas quisque regiones, ac oppida retineat: ager, pagi, vici, ac territoria oppida sequantur.

IIII.

Subditi Regis Catholici, Sereniss. Archiducum, atque Ordinum mutuam invicem amicitiam colant: nullus sit præteritarum offensionum, acceptorumque per bellum damnorum sensus & amarior re-

cordatio : Sintque libera utrimque commeandi ac mercandi inter se jura, terrâ, mari, amnibusque. Quod tamen Rex Hispaniarum coërcendum judicat Europam intrà, & quæ alia loca Regum, aut Principum amicorum subditis ante hac patuêre. At extra eos fines, possessis sibi regionibus, oppidis, portubusque abstineant, neque eò commerciorum causâ proficiscantur, nisi impetratâ Regis veniâ. Poterunt tamen Ordines eorumque Subditi commercari ac negotiari in aliorum Principum, Procerum, ac populorum, extrà eosdem limites, Provinciis, dùm id fiat permittentibus locorum Dominis; neque ullum impedimentum ipse Rex, Ministrique ac Subditi, molestiamque facessent, quo minus eo jure commeandi commercandique utantur.

V.

Et quoniam tempore opus est, ut qui extrà fines Europæ cum navibus & copiis versantur, de fœdere certiores fiant, placuit, initium induciarum iis in locis demum fore intrà annum. Si tamen nuntius pactorum conventorum citiùs eò pervenerit, ab eo tempore ab omni hostili actu abstinebunt. Post annum si quid hostiliter factum erit, damnum illicò resarcietur.

VI.

Subditis & incolis regionum tàm Regis Archiducumque, quàm Ordinum, graviora tributa, portoria, ac vectigalia non imperentur commercii causâ, quàm ipsismet locorum incolis, & amicorum ac Fœderatorum subditis, qui minimis adstringuntur.

VII.

Erit etiam iisdem incolis & subditis Ordinum eadem libertas, ac securitas in locis, ac dominiis Regis & Archiducum imperio subjectis, quæ Regis Britanniæ subditis postremo pacis fœdere, arcanâ pactione concessa.

VIII.

Non erit fas mercatores, navicularios, socios navales, eorum naves, merces cæteramque suppellectilem sistere, apprehendere, occupare, quocumque prætextu id fiat, sive ex causa generalis, aut specialis mandati, aliavè de causa etiam bellica, ne quidem obtentu conservandi defendendique fines. Hinc tamen excluduntur, si quæ manus injectiones factæ sint per legitimos Justitiæ tramites debitorum causâ, conventorum, aut obligationum ritè contractarum, in quibus ratio æqui & solennes judiciorum formulæ servabuntur.

Quod

IX.

Quod attinet ad commercia Belgicarum regionum & tributa, quæ ratione mercium imperantur, si apparebit quædam modum excedere, delegabuntur arbitri, qui ex communi consensu & judicio, quoad ejus fieri potest, omnia ad moderationem reducant: neque tamen, si id obtineri non possit, ideò ruptas, aut violatas esse inducias existimari debebit.

X.

Si quæ sententiæ judiciavè pronuntiata fuerint in homines diversarum partium, quorum patrocinium nemo suscepit, tàm in civili, quàm capitali causa, non poterunt tempore induciarum nec adversus personas, nec adversus bona condemnatorum executioni mandari.

XI.

Litteræ clarigationis, aut pignerationis nulli concedantur induciarum tempore, nisi causis cognitis, in queis id per leges & constitutiones juris Cæsarei concedi solet.

XII.

Ad portus appellere, ingredi, moram facere cum navibus bellicis, aut milite non licebit; nec in plagis, ac littoribus alterutrius partis commorari, ut indè suspicio metusvè oboriri possit, nisi ex permissu ejus, sub cujus ditione loca illa sita sunt; aut nisi tempestas, aliavè necessitas vitandi periculi in eas oras impulisset.

XIII.

Quorum bona belli causâ occupata, publicata, aut proscripta fuerunt, hi, horumvè hæredes, vel quorum interest, privatâ auctoritate, neque implorato legum ac Magistratuum auxilio, ea vendicare poterunt, iisque uti-frui vi & vigore præsentis pacti, etiamsi hujusmodi bona Fisco addicta, oppignorata, donata, aut alienata fuerint, ad excludendos eos, quibus jure competunt. Ità tamen, ut de iis non sit libera disponendi potestas, alienandivè, aut oppignorandi, nisi impetratâ veniâ ab Archiducibus, vel Ordinibus.

XIV.

Quod & locum obtinebit in hæredibus Principis Arausionensis, ex causa juris, quod sibi vendicant in Salinas Comitatus Burgundici, quarum usus-fructus ipsis cedit, unà cum sylvis & saltibus indè dependentibus. Quod verò spectat ad litem Castellobelini, jam vivo Principe in Supremo Mechliniensi Senatu intentatam, contra Fisci procuratorem Regis Catholici, pollicentur Serenissi. Archiduces, daturos se operam, ut intra anni spatium æquabili jure dirimatur sine ulla longinquiori morâ.

XV.

Si bona utrimque distracta fuerint, eaque Fisco addicta, ii, ad quos ea jure & ex vi hujus fœderis petinebunt, contenti erunt usuris sex nummorum cum quadrante in singulos centum constitutis, quæ singulis annis persolventur à possessoribus dictorum bonorum durantibus induciis, si secùs faxint, licebit ipsa prædia jure occupare.

XVI.

Quod si verò ejusmodi mancipationes bonorum jure transactæ sint, ob expungenda nomina eorum, ad quos ea bona ante publicationem pertinebant, licebit ipsis, aut eorum hæredibus & quorum interest, ea redimere, persoluto intra annum pretio à die præsentis pacti. Quo elapso tempore, deinceps talis non competet facultas. Ipsâ verò redhibitione factâ, licebit pro arbitrio bonis uti, nullâ aliâ potestate juris, aut indulti requisitâ.

XVII.

Hujusmodi autem redhibitio non extendetur ad domos, quæ in urbibus atque oppidis sitæ sunt, iisdemque de caussis divenditæ fuerint, ob incommoda & detrimenta, quæ in emptores reciderent, quod instaurandis iis, aut reficiendis magnos sumptus impendisse potuerunt, quorum ratio, ac discussio longa, ac difficilis foret.

XVIII.

Reparationum quæ factæ sunt in aliis bonis divenditis, quorum redhibitio vi præsentis Tractatus permittitur, si impensæ repetantur, idonei & competentes judices, cognitâ causâ, decretum interponent, manebuntque tantisper prædia hypothecæ nomine obligata pro dictis meliorationibus, nec licebit emptoribus jure retentionis uti, quo illis solvatur, aut satisfiat.

XIX.

Si quæ propugnacula, aut opera publica fuerint utrimque exstructa, permissu & auctoritate supremi Magistratus iis in locis, quæ juxtà formulam hujus pacti, restitui debent, proprietarii contenti esse debebunt pretio & æstimatione facta per eos, qui Jurisdictioni præsunt, nisi aliter partes inter se conveniant.

XX.

Quod ad bona Ecclesiastica, Collegia, & id generis pia loca attinet, quæ sita in Provinciis Fœderatis spectant ad Ecclesias, Collegia & beneficia ditioni Archiducum subjecta, quæ non vænierunt ante Cal. Januarias 1607. restituentur, ut iis utantur fruantur tempore induciarum: non tamen ut habeant alienandi minuendivè facultatem, quemadmodum supra præscriptum est. Quæ verò ante dictum

dictum diem divendita erunt, aut ab Ordinibus quarundam Provinciarum in solutum data, reditus annui ex ea causa solventur, redactis usuris ad sextum decimum quemque nummerum, ab ea Provincia, quæ hujusmodi mancipationes bonorum fecerit. Eadem lex & jus esto ex parte Archiducum suis in terris.

XXI.

Quibus publicata bona restituenda sunt, non teneantur solvere reditus retrolapsos, oneraque prædiis annexa pro eo tempore, quo usu caruerunt. Quod si quis actionem eo nomine intendat, hinc indè Judicum sententiis absolvantur.

XXII.

Nemo pro distractis bonis, vel ex pacto concessis, ut aggeribus munirentur, poterit quidquam repetere, præter ea nomina, quibus se possessores obstrinxerunt ex lege venditionis, aut concessionis, una cum usuris numeratæ in promptu pecuniæ lege sedecim denariorum.

XXIII.

Res judicatæ judiciaque de bonis publicatis pronunciata, contra eos qui judices ratos habuerunt, quique recté & ordine defensi fuerunt, rata ac firma erunt, neque rescindi poterunt nisi per usitatas juris vias.

XXIV.

Serenissimi Archiduces & Fœderati Ordines constituent Magistratus administros Justitiæ & politicæ disciplinæ vindices, iis in locis, oppidis, & castellis, quæ vi hujus pacti Dominis legitimis tempore induciarum cedere debent.

XXV.

Bona mobilia Fisco adjudicata, tùm & proventus, quorum dies ante hoc fœdus initum, cessit, restitutioni non sint obnoxia.

XXVI.

Actiones rerum mobilium, quæ ab Archiducibus, vel Ordinibus ante Cal. Januarias 1607. in gratiam & commodum privatorum utrimque remissæ, penitùs extinctæ sunto.

XXVII.

Tempus quod ab exordio Belgicorum tumultuum, hoc est ab anno 1567. ad hanc usque diem præterfluxit, non imputabitur ad inducendum præscriptionem, aut usucapionem inter partes.

XXVIII.

Qui belli tempore in regiones neutrarum partium concesſere, hujus quoque conventionis fructu potientur, poteruntque ubi placuerit

cuerit sedem deligere, aut ad sedes pristinas securè reverti, observatis regionis legibus, moribus, atque institutis, nec ob causam, pro arbitrio domicilii, bona eorum conveniri poterunt, aut ipsi excidere Dominio rerum suarum.

XXIX.

Nulla castella, propugnacula, vel munitiones, durantibus induciis, ab ambobus populis in omni Belgio excitabuntur.

XXX.

Gentiles Nassavii decurrentibus induciis, nec quoad bona, nec quoad personas conveniri poterunt ob æs alienum, à vitâ functo Principe Aurasionensi ab anno 1567. ad ejus obitum usque contractum, vel ob reditus non solutos, ex quo bona fuerunt annotata & iis regia manus injecta.

XXXI.

Si quid adversus hanc conventionem fraude privatorum, nullo mandato Regis Catholici, Archiducum, vel Ordinum admissum fuerit, damnum illatum ibidem resarcietur, ubi fraus admissa; si tamen injuriæ auctores ibi deprehendantur, vel in loco domicilii. Aliis autem in locis adversus eorum corpora, seu bona litem intentare non licebit; nec eâ de causâ violandæ induciæ: Sed denegatâ Justitiâ, rem suam clarigatione reposcere fas erit.

XXXII.

Omnes exhæredationes, partium, aut belli odio factæ, irritæ sunto.

XXXIII.

Subditi & incolæ tàm Archiducum, quàm Ordinum imperio subjecti, cujuscumque Status, aut conditionis sint, apti & idonei sunto ad succedendum invicem, sive ex tabulis testamenti, sive ab intestato pro locorum consuetudine; ac si qua fortè hæreditas cuiquam hactenus obvenit, eam tutò possideat.

XXXIV.

Omnes utrimque bello capti, sine lytro manumittantur.

XXXV.

Ut autem studiosius hoc pactum observetur, ultrò citroque pollicentur Rex Catholicus, Archiduces, & Ordines, se omnem curam atque diligentiam adhibituros, ut itinera, maria, fluminaque libera sint, ac tuta ab excursionibus & infestationibus seditiosorum hominum, piratarum, latronum; qui si comprehendi queant, pœnas luant scelere dignas.

XXXVI.

Pollicentur pretereà, se nihil facturos, aut fieri passuros contra, ac

in

in præjudicium præsentis Tractatus, rectà, seu per obliquum. Si quid secus admissum fuerit, id sine ulla cunctatione, aut molestia reparatum iri. Cujus rei ut certior sit fides & auctoritas, Rex & Archiduces, se & successores suos eo nomine obligavêre, omnesque leges, statuta, consuetudines, cæteraque huic pacto contraria ejurarunt.

XXXVII.

Præsens fœdus à Rege Hispaniarum, Archiducibusque, itemque ab Ordinibus approbabitur, literæque ratihabitionis in debita solennique forma intra quatriduum ab Archiducibus, atque Ordinibus tradentur. Quod autem ad Regiam Majestatem attinet, Archiduces fidem suam devinxêre, intra trimestre spatium ratihabitionem debito item more rituque conceptam, ab Hispania adfuturam, quæ & Ordinibus tradatur, ut ipsi & eorum subditi hujus pacti beneficio placidè ac pacificè frui possint.

XXXVIII.

Pactum hoc statim post ratihabitionem utrimque datam & acceptam, omnibus locis, ubi de more solet, publicè proclamabitur. Jamque nunc decretum, ut ab omni hostilitate absistatur.

Hæ sunt conditiones, leges & pacta, queis post bella per annos quadraginta continenter gesta, post tam atroces iras, pertinaxque odium, arma tandem per duodecennales inducias posita sunt. Eæque XVIII. Cal. Maij. 1609. Atverpiæ magno omnium plausu publicatæ fuêre. Nevè publicæ ovationi quidquam deesset, Deo pacis auctori, laudes habitæ; in palatina urbis turri campanæ gratissimis modulaminibus omnium aures animosque exhilarabant; festivi ignes totâ urbe collucebant, sed & missiles ab arte excitati, jucundissimum spectaculum præbebant; simul repetiti sæpius è mœnibus tormentorum æneorum horrifici boätus, nec non agitata passim genialia convivia in argumentum publicæ lætitiæ, quod & toto triduo factitatum.

——— *Quis festos referet per compita ludos?*
Omnibus idem animus, certant concordia votis
Gaudia, pervigilem superant funalia noctem,
Ardentesq; faces spargit Vulcanus & ignes.

Ità Serenissimi Archiduces pacem unam, innumeris potiorem triumphis judicarunt, malueruntque de suo jure multa cedere, quàm per incertos certaminum eventus, securitatem civium in discrimen præcipitare: maluerunt bellum sapientiâ extinguere, quàm ejus rabiem post infinitas clades compescere & acie conficere.

Consulere patriæ, parcere afflictis, ferâ
Cæde abstinere, tempus atque iræ dare,
Orbi quietem, seculo pacem suo,
Hæc summa virtus; patet hâc cælum viâ.

Quandoquidem nullâ re homines ad Deos propiùs accedant, quàm salute hominibus dandâ.

Serenissimi Archiducis Alberti elogium ejusque vitæ Synopsis.

Ingratum sane silentium sit, si incomparabilis Serenissimi Archiducis Alberti virtutes & dotes ad miraculum usque suspiciendas, tacitus prætercam. Sed cum eæ tam numero sint multæ, tamque magnitudine stupendæ, ut magis historiæ perpetuitatem, quam elogii compendium exigant, earum summa fastigia delibasse contentus ero.

Natus est Albertus Neostadii in Austria Idibus Novembris, anno Salutis nono & quinquagesimo, supra millesimum quingentesimum; Patre Maximiliano II. Cæsare Augusto, Matre Mariâ Caroli V. Imp. filiâ, & Philippi II. Hispaniarum Regis sorore. Ex hac stirpe nobilissimus hic surculus, auspicatissimo partu sese protrusit, ille, inquam magni Parentis maximus Filius. Infantiam mater fovit: & in tenella ætate jecit earum virtutum sementem, quæ post cum ætate adoleverunt, & Principi semper adhæserunt.

Novennis datus est institutoribus, Augerio Gisleno Busbequio, Nicolao Coretto & Mattheo Othenio. Hi, solerti manuductione juvenescentem Principem, tàm vitâ, quàm factis duxerunt & induxerunt ad intima virtutis adyta, gnari Principes virtutes suas, aut vitia in Rempublicam infundere, adeò ut verissimè dictum sit; nullum mundo beneficentius sidus oriri, quàm bonnm Principem; nec ullum exitialiorem Cometem, quàm malum. Sic ætatis rudimenta inter purpuram & fasces imperii optimus Princeps transegit, ut Alphei instar per salsedinem maris puras trahentis aquas, nihil aulæ vitii, nihil labis hauserit.

Undecennis traducitur in Regiam Philippi II. Hispaniarum Regis, ut in tanti Monarchæ oculis formatus, ipse ad homines regendos destinatus, post Regi succedaneos supponeret humeros. Cumque sciret nulla viros Principes utiliora instrumenta ad regendam Rempub., vel gloriam adipiscendam sibi comparare posse, quàm scientiæ ornamenta, in decurrendis præteriti temporis annalibus enixè & studiosè incubuit: nam præter voluptatem, quam historia nusquam non parit, hæc bello togaqe utilis est, digna Rege, Principibus omnibus impensè colenda. Docet hæc quibus artibus, quibusvè consiliis imperia creverint? quibus contra vitiis infracta corruennt: Si disponendæ acies

acies, distribuendi ordines præcepta dabit Historia. Si bellicæ virtutis exempla ad æmulationem desiderantur; Si militaris disciplinæ calliditas, doli, stratagemata, affatim hæc omnia suggerit historia: illic reperitur sine labore, quæ alii cum labore collegerunt. Quamobrem Carolo Magno, Germaniæ Phœnici, cœnanti res gestæ Antiquorum prælegebantur. Et ipsemet Carolus V. celsissimæ memoriæ Imp. Historicorum lectione mirificè afficiebatur: & imprimis Thucididem, rei politicæ scientissimum scriptorem, elocutione gravem & brevem, sententiis & præceptis uberrimum, à Claudio Massiliensi Episcopo, gallicè interpretatum, assiduè evolvit, ac in deliciis habuit.

Ad Historiæ lectionem, & latini sermonis cultum, Albertus exterorum quoque idiomatum peritiam adjunxit; adeò ut variarum gentium oratoribus, Latinè, Germanicè, Hispanicè, Italicè, Gallicè perorantibus, eâdem linguâ expeditè responderet, nullarumque ferè erat linguarum expers, queis aliquis in Europa honor habetur.

Anno ætatis duo de vigesimo, Gregorius XIII. Pontifex, Albertum literis imbutum & omnigenâ virtute præditum, in sacrum Cardinalium collegium cöoptavit. Purpuræ honore decoratus, eum vitæ cursum tenuit, ut excellens ejus ingenii vis, & in publicis functionibus prudentia, juventutis annos prævenisse videretur.

Aliquamdiu post, Sebastianus Lusitaniæ Rex, quatuor & viginti annorum juvenis, infausto belli tirocinio in Africa pugnans, cæsus est anno 1578. Quo sublato, in Henrico patruo, ætatis jam decrepitæ regnum aliquandiu hæsit, donec eo mortuo Philippus Hispaniæ Rex, per Albanum Ducem anno altero id sibi jure sanguinis asseruit, pulso notho Antonio, eique, plebe factionibus divisâ, Albertum Proregem præfecit. Hic regnum bellis concussum & adhuc ægrum, ac fluctuans tranquillavit, hærentes animis discordiarum fibras evulsit, rebellionis intestinæ fluctus composuit; & post annos continuos decem sanctissimè rexit, fortissimè propugnavit, & anno 1589. Philippo servavit. Eo enim tempore Franciscus Dracus Angliæ Thalassiarchus, cum instructissima CLXVI. navium classe in Lusitaniam appulit, ut Antonio exuli regnum restitueret, militeque in terram exposito, regnique parte potitus, ejus regiæ Vlissiponis expugnationem moliebatur. Indigenis metu perculsis, Albertus infracto animo, mirabili prudentiâ & summâ virtute hostes depulit, & totâ Lusitaniâ expulit. Undè non inepté priscus ille, quisquis fuerit, asseveravit: Felicitatem successuum, esse sobolem prudentiæ.

His tentamentis spectata Alberti prudentia, Philippus Rex vitâ functo

functo Archiduce Ernesto, Belgium bellis civilibus & externis uno tempore crudeliter lancinatum, ejus fratri Alberto commisit, ut eâdem regendi moderatione, quâ nutantem Lusitaniam in fide continuerat, Fœderatos Ordines ad clementissimi Regis gremium & obsequium reducere niteretur. Postquàm anno 1596. in Belgium venit, primùm omnia sibi facienda putavit, ut ab infestis armis discederetur: Æstimabat enim pacem, cum incommodo aliquo, longè pluris faciendam esse, præ gloriâ per ancipites conflictus partâ, volvebatque animo Antonini Pii, & ipse pius Princeps, celebratissimam sententiam: Duram esse victoriam, quæ cum civium jacturâ paratur. Sed cum Ordines Laurum baccis inutilibus superbientem, Olivæ pacis symbolo præferrent; ostendit, ita se pacem amasse, ut bella, non timeret. Sic ut horrendum utrimque bellum usque ad exeuntem annum 1607. protractum fuerit. Cæterum concordiæ semina anteà jacta, postquam tot cæsorum sanguine irrigata fuissent, in Ordinum pectoribus germinare cœperunt, & mox gemmas protrudere, dein in flores erumpere, donec eorundem gratissimum fructum, anno qui insequutus est, parerent.

Dum à sanguine & cædibus Mars feriatur, Albertus in id sedulò incubuit, ut pristino splendori restitueret ea, quæ belli rabies everterat. Prima cura fuit, aras & templa Deo dedicata instaurare, alia à fundamentis excitare, alia à profanis acatholicorum usibus expiare. In laudem Augusti olim dictum est:

Templorum positor, templorum Sancte repostor.

Hoc quàm benè, quàm verè de Alberto dici possit, testatur templum D. Virginis Aspricollense, cujus structura trecentis plus minus aureorum millibus constitit. Opus tam magnificum, ut inter illustrissima totius Belgicæ monumenta celebretur. Testis est illud verè Regium excalceatarum Carmelitarnm Cœnobium, quod Bruxellæ in urbe regia haud procul à Palatio visitur. Asceterium Patrum ejusdem Instituti, à fundamentis in Marmaliensi eremo, regio sumptu erectum. Ecclesiæ Lauretanæ D. Virginis illud donativum, chlamys attalica auro intexta, viginti millenis margaritis majoribus, multis adamantibus, aliisque gemmis innumeris pertexta. Quæ omnia innumeraque alia cœlitum promovendo cultui magnificè instructa, Albertum non minùs Pium, quàm munificum proclamant. Mirum est, quantâ religione & cultu augustissimum Dominici Corporis & Sanguinis mysterium prosecutus sit. Licet enim infirmo esset corpusculo, ac diuturnâ invaletudine quassato, tamen quotannis recurrente Julio, quando solenni ritu sacrosanctum salutis nostræ pignus circumfertur, supplicationem detecto capite, cereoque ardente

dente deducebat. Neque minus fuit pietatis studium ergà venerandas Divorum reliquias, quas undique magnâ curâ, labore & sumptu conquisivit. Testis est insigne illud arboris fragmentum, in qua Servator noster pependit, olim à Balduino Flandriæ Comite, & Hierosymorum Rege, Hollandiæ Comiti, & ab hoc Egmundano Cœnobiarchæ donatum, Coloniâ, quò per bella Harlemo translatum fuerat, postliminio ad ipsum anxiè multumque desiderantem, delatum. Testes Alberti Martyris, nec non Liduinæ Virginis veneranda ossa: Hæc quidem Scheidamo, illa Rhemis singulari devotione expetita.

De aula porrò quid dicam? olim certè jactabatur illud: Exeat aulâ qui vult esse pius. Contrà de Alberti verè prædicari potest: hanc petat aulam, qui vult esse pius. Erat illa pietatis schola, modestiæ sedes, probitatis domicilium: erat pudicitiæ sacrarium, innocentiæ refugium, omnium miserorum tutissimum perfugium, & matronalis verecundiæ gynecæum, sic ut nec Arsenio fuga illius ad salutem necessaria fuisset. Undè inter tot honorificas appellationes, hanc etiam jure suo numerat, *Albertus Pius*. Aurelius Victor in vita Trajani ab egregiis Principibus duo exigebat: Sanctitatem domi, in armis fortitudinem, utrobique prudentiam. Albertus utramque virtutem prudentiæ fibulâ tam arctè adstrinxit, ut cui palma debeatur, in ambiguo reliquerit. Extollant modò annalium monumenta Trajanum, qui ex Senatûs populique Romani appellatione, Optimi cognomen accepit: Numam Pompilium, Deorum & Sacrorum veneratio posteris venerabilem prædicet: Alexandrum Magnum continentia, fortitudo & liberalitas evehat: Belgæ, quando Albertum dicent, Trajano meliorem, Numa Sanctiorem, Alexandro temperatiorem, nihil minus erit; Sed cùm Pium nominabunt, non minùs definitè designabunt, quàm si Albertum appellarent.

Pietati subnecto Justitiam, virtutum omnium Reginam, quam Albertus adeò religiosè coluit, ut nec digitum quidem transversum volens & prudens à legis præscripto deflexerit. Nullus injustitiæ locus in augusto illo pectore, quod ratio totum possedit, in quo nihil ambitio valuit, quæ non paucos ad violandum jus impulit; nihil utilitas quâ solâ plurimi æquitatem metiuntur. Ad principaliora munia, sive sacra illa forent, sive profana, neminem unquam admovit, nisi quem vitæ sanctimonia & prudentiæ fama rebus publicis utilem vulgabat. In hoc æternùm celebrandus, quod duorum & viginti annorum decursu, quibus Principatum tenuit, sub illo, velut sub hasta venalis Magistratus non pependit, integritate, ac fide apud illum emergendum erat. Si quis ultra scire cupiat, quàm fuerit justus, verbo dicam. Extra ordinem

ordinem cognitores habuit, virtute, ac probitate spectatos, & peculiari authoramento obstrictos, qui ad ipsum referrent causas tenuiorum, si qui à potentioribus opprimerentur: nec erat evocanda oratione justitia, occurrebat ultrò tam intentâ bonitate, ut triste aliquid passis, ad remedium salutemque sufficeret id Principem scire. Lites in Belgio perpetuâ edictione succidit & minuit. Cum inaudisset plurimos immenso fœnore obrui, & ab usurariis bonis exui, primùm interusurium fœnibri lege moderatus est. Post Bruxellæ, Antverpiæ, Gandavi, aliisque pluribus oppidis Montes (ut vocant) Pietatis instituit, omnesque fœnerationes è Repub. sustulit. Justitiam sævire passus est in sontium nocentissima capita, quos perdere erat clementia, & servare fuisset crudelitas. Præmia & pœnas, benè, vel malè factis, justâ lance semper impertiit & exæquavit: Sic tamen has irrogabat, ut à Justitia clementia, & hæc ab illâ nunquam discederet, sed tantum secederet, & una alteram temperaret. Sileat nunc Aristidem suum ventosa Græcia, nos Justi cognomen meritò Alberto damus, & verè de illo sancire possumus, quod Athenienses olim de Demetrio per adulationem sciverunt: Quidquid Rex jusserit, id & apud Deos sanctum & apud homines esse justum.

De fortitudine & inconcussa animi constantia quid porrò dicam? cùm Belgicæ navis horridâ belli tempestate undique quateretur, ac procellarum motu in altum modò excuteretur, modò in profundum præcipitaretur abysso absorbenda, unus Albertus inter sævissimas fortunæ collisiones mediis stetit tranquillus in undis, ac animo imperterrito labanti Belgicæ, veluti alter Atlas fulcrum subjecit. Taceo repulsos hostium assultus, fractos impetus, compressam ferociam, fusos fugatosque exercitus, in queis omnibus, cum res postulabat, interdum militis partes, ut Cæsar, egit; semper autem, quod Imperatoris proprium munus esse Scipio dicere solebat, belli gerendi leges adeò prudenter descripsit, ut posset fortunam brutam & insanam non extimescere. Quid multis, cum Henricus IV. Galliarum Rex, anno 1609. quinquaginta bellatorum millia sub signis haberet, periisse Provinciam omnes existimabant, in quam se, tantis fœta turbinibus tempestas exoneraret: cumque vicini famâ tantæ potentiæ perculsi, majorem salutis, quàm dignitatis curam haberent, & copiis (quas capi suis finibus vix posse putabant) transitum ubique trepidè darent; unicus extitit Albertus, qui in communi periculo animos gessit impavidos, ac passim vagantis turbæ cursum, immanesque conatus reprimere, atque in Belgio Thermopylarum angustias facere meditabatur. Poterat atram hanc nubem

bem à ditionibus suis dispellere, si voluisset Regis genio obsequi, eique tradere Condæum Principem & Carolam Margaritam Mommeranciam ejus conjugem, quam Rex amore impotente deperibat: Sed maluit dubios armorum exitus exspectare, quàm restituere Principes confugas, quos in fidem suam acceperat.

Modestia tanta in eo emicuit, ut Principum Electorum suffragiis bis oblatum Imperii Diadema, ultrò respuerit. Ita in illo Principe duæ coäluêre virtutes, maximè diversæ; summa magnitudo, summaque modestia. Inaugurato post Ferdinando II. Cæsari patrueli suo, Regna Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croätiæ, Slavoniæ, Bosniæ, Serviæ, Halitiæ, Cumaniæ & Bulgariæ, Archiducatum Austriæ, Ducatum Silesiæ, Marchionatus Moraviæ, Lusatiæ, & Burgundiæ, Comitatus Habsburgi, Tirolis & Ferretæ, multasque alias Provincias, hæreditario successionis jure sibi devolutas, munificentiâ, nullis ante sæculis auditâ, liberali dono dedit. In hoc imitatus Numam Pompilium, qui ex illustri Sabinorum genere oriundus, privati viri quietem, Soceri amplissimo Regno prætulit: & Fabium Max. qui filio designato Consule, à Reipub. muneribus Fabiæ genti vacationem petiit.

Ad mansuetudinem & comitatem quod attinet, fuit Albertus accessu facilis ut Pompeius; alloquio comis ut Augustus; naturâ benevolentissimus ut Titus, iis etiam, qui aliàs solo tenuitatis, miseriarum, ac vilitatis suæ merito à Principum limine, adeoque aspectu solent arceri. Eo tamen temperamento humanitatem condiebat, ut affabilitas gravitatem temperaret, ne ista absterreret aditurus, illa vilitatem pareret. Quod Imperaror Manuel filium Paleologum monuit apud Xenoph. lib. 7 C. 82. *Principibus non malè conveniunt gravitas, atque magnificentia, sed miscenda semper tibi rigori, qui inesse gravitati videtur, apta quadam suavitas: & severitati, quæ magnificentia ineße videtur, grata quadam popularitas, ut his quoque rebus Imperio tuo decus concilies.*

Patientiæ verò specimen toti orbi incomparabile dedit. Quis credet hominem debilem, languidum, ac exhaustum: totos viginti annos cum acutissimis, ac dirissimis cùm articulorum tùm renum cruciatibus conflictatum, malo nunquam succubuisse? Credat tamen & obstupescat, Albertum in acerbissimis morborum tormentis, nunquam vocem, testem doloris, emisisse, non ingemuisse, non serenitatem vultus mutasse. O fortem patientiæ Athletam! O invictum animi robur! O tolerantiam admirabilem! Eant nunc Romani, qui agere & pati fortia, sua esse gloriosè jactant. Ecce Sergius Clodius,

Eques Romanus, sævitiâ cruciatuum in podagra victus, crura veneno perunxit, atque eâ parte corporis vitalem omnem sensum pellere voluit, ut vacuitate doloris frueretur. C. Marius cum in cruribus varices haberet, præbuit varicosum crus Medico secandum, hancque cruciabilem sectionem fixis oculis spectavit: cumque Medicus alterum crus secare vellet, in eo deforme vitium pati maluit, quàm illud præbere, dicens: Non arbitrari se curationem tanto dolore dignam esse. Sed qui Marium hominem rusticanum tantopere celebrant, quàm defixi hærerent, si audirent, aut viderent Principem delicatè educatum, habitu corporis summè gracili præditum, macie confectum, qui inter acerrimè sævientes vitii in arcto concepti stimulos, cùm artus in diversum articulis exeuntibus, omnem compagem lacerarent, nullam partem animi tam mollem habuit, quam ratione non corroborasset, tantaque vi intendisset ad firmitatem, ut ne tantillum de gradu constantiæ dimoveri posset. Hoc est Spartanâ nobilitate morsus doloris non sentire, & de ipsa imbecillitate triumphum agere.

Summum fuit in Alberto prima nascentis crepundia castitati consecrasse, & hæc quidem virtus à gentis Austriacæ radice propagata, in hunc ramum influxit. Virgineus in regio vultu nitor, in sermone verecundia, in omni actione ingenuus pudor, civibus externisque eum admirandum & venerandum exhibebant. Si quos alieni tori legitima jura contemerasse, aut illicitis amoribus irretiri, rumore acceperat, confestim ab aula facessere & conspectu suo jubebat. Sic Alexander Severus palatium suum comitatumque omnem purgavit, abjectis ex aulico ministerio cunctis obscœnis, nec quemquam passus est esse in Palatinis, nisi necessarium hominem, eumque integrâ probitatis famâ.

Denique, ut semel complectar omnes quæ in optimum absolutissimumque Principem confluxerunt virtutes: Quis non in illo Lycurgi prudentiam suspexit? Antonini pietatem admiratus est? Aristidis justitiam, imperterritum in adversis Pompei pectus, Augusti Cæsaris moderationem, Alexandri magnanimitatem, Fabii Max. modestiam, M. Porcii gravitatem veneratus est? Hunc Belgarum populus consentientibus votis Patrem Patriæ, ut Cæsarem Augustum olim Senatus Rom. consalutavit. Hunc delicias suas, sicut Populus Rom. Gordianum, appellavit. Altius provehor: Pericles jam morti vicinus, à suis variè laudatus est. Alii eloquentiam ejus, prudentiam alii; Victorias isti, illi fortitudinem eximiè commendabant. At ille capite modicè erecto: Et quid est hoc omne? inquit, quod præ-

cipuum

cipuum ego judico, vos omittitis: Nemo propter me unquam vestem pullam induit. Si mortalium ullus unquam, hoc pro se gloriari potest Albertus: Propter me nemo unquam atratus incessit, nemo ingemuit, nemo oculos tersit. Seneca de Nerone juvene: Nemo unus homo, inquit, uni homini tam carus fuit, quàm ille suo imperio. Alberto hoc magis congruit: Nemo alterum sic amavit, coluit, adoravit, ut Principem suum Belgæ, quem norant virtutum omnium absolutissimum exemplar, veram exactamque justitiæ, pietatis, clementiæ & Imperii normam.

Verùm einmvero exactæ felicitatis gaudia illi contegisse, quis verò est qui contendat? Corpus sanè imbecillum variisque morbis, ac languoribus obnoxium nactus erat, qui vitam illius intervallis distinctam ad ultimam sui metam duxerunt. Nullas cum tortore calculo inducias habuit; cum articulorum doloribus perpetuò luctatus fuit. At voluit Deus Opt. Max. his corporis cruciatibus eum admonere mortalitatis, ne fortè nimiâ mentis præcellentiâ hominem se esse oblivisceretur. Quâ verò mentis magnitudine magnanimus Princeps morbum fatalem ingressus fuerit, quis enarrando satis explicabit? quando grassantes per membra dolores, mortis anteambulones, invictâ fortitudine sustinuit; nihil unquam de serenitate vultus remisit, atque in maximo febrium æstu, non nisi sermones, meram pietatem spirantes, effudit, adeò, ut jam tum cœlestis gloriæ primitias differendo degustare videretur. Nullos alios vel libentiùs vidit, vel faciliùs admisit, quàm eos, quibuscum vitæ & salutis suæ rationes conferre solebat. Diebus singulis apud Sacerdotem noxis expiatis, nullo propemodum cibo, præter sacrosanctam Eucharistiam admisso, quâ & quotidie pascebatur, inter continua pietatis & patientiæ signa, diés XIV. exegit. Jam penè corporis vires omnes conciderant, tùm defixis in Fixum cruci oculis cordis, tanquam in patientiæ magistrum, has cedro dignas voces emittebat: *En, Christe Iesu, à tuo nutu pendeo, si mori jubes, lubentissimè morior; si vivere placet, tibi vivere non renuo.* Sic Christianè & piè, ut decebat piissimum Principem, animam Deo reddidit tertio Id. Julii, anno supra millesimum vigesimo primo, Principatûs sui vigesimo secundo, ætatis sexagesimo primo. Ita occidit piissimus Princeps, Christianis Principibus norma & exemplum, qui pietatem & religionem throno intulit, docuitque posteros integritatem vitæ cum diademate posse sociari, cujus casum non ignavo luctu Belgæ prosecuti sunt. Dixerunt veteres morte Africani castratam esse Rempublicam Romanam; mortuo Catone relictum esse Senatum pupillum. Nos verò modestius dicamus, morte Al-

Archiducis Alberti obitus.

berti Rempublicam Belgicam orbatam esse optimo, pio, justo parente. Corpus, hospitium illius illustris animæ, quæ orbem notum & ignotum virtutis suæ famâ implevit, compositum est tumulo in Basilica D. Gudilæ, ante aram Venerabilis Sacramenti, ubi expectat resurrectionem, quùm æternus æterni Dei filius veniet jura fatorum daturus vivis, ac mortuis. Potior autem ejus pars cœlo recepta est, ubi sempiterno ævo perfruitur. Patere, Sanctissime Princeps, ut exemplo magni Ambrosii cum Theodosio suo, jam vitâ functo, sermonem miscentis, iisdem verbis mihi uti liceat: Dileximus virum misericordem, humilem imperio, corde puro & mansueto præditum. Dileximus virum, non sibi, sed Reipub. natum, Catholicæ Religionis decus, Patriæ nostræ ornamentum, nullo unquam periculo magnopere commotum, in ipso vitæ exitu mortis victorem. Dileximus virum, qui cum jam corpore solveretur, magis de Religione, quàm de suis periculis angeretur. Similes Albertos rara sæcula pariunt, ut Phœnices, cujus memoriæ hoc quasi elogium, atque adeò epicedium officiosus exhibeo.



SERE-

SERENISSIMA
ISABELLA, CLARA, EUGENIA,
INFANS HISPANIARVM,
ARCHIDUX AUSTRIÆ, &c.

CUm duodecennales induciæ quinto Id. Aprilis 1621. effluxissent, eaque rerum facies esset, ut ægrè pax sperari posset, tympana passim pro Marchione Spinola, cui suprema rei militaris cura commissa erat, pulsata fuerunt, magni militum delectus habiti, multæ undiqne copiæ conscriptæ, & omnis generis tormenta, commeatus & apparatus bellici convecti. Nec minus Ordines Fœderati ad bellum strenuè se compararunt, & præter eas copias, quas jam sub signis habebant, majores terrâ mariqùe collegerunt, oppida limitanea, arces & castella omni genere commeatus & aliis rebus necessariis quam diligentissimè muniverunt.

1621. Desinentibus induciis fiunt utrimque apparatus ad bellum.

Sub id Arnhemii conventum Provincialem celebrarunt, in quo nova hæc juramenti formula proposita fuit: Ut omnes & singuli reformatam Religionem profiterentur; Romani Pontificis, Regis Hispaniæ, Archiducum & successorum imperium ejerarent. Et cùm non ignorarent Provinciarum Fœderatarum salutem & incrementum in navigatione & negotiatione consistere, novas societates & navigationes in Americam, & Indias Australes instituerunt.

Mense Maio Princeps Henricus Nassavius cum quinque millibus equitum & peditum, trajecto fluvio Demerâ, Brabantiam hostiliter invasit, complures elegantes pagos & vicos, cæsis incolis diripuit, magnaqùe immanitate in cineres redegit, ac ducentos & quinquaginta captivos, inter quos duos Abbates Bredam abduxit, & ingentem pecuniæ vim ab iis extorsit.

1622. Henricus Nassavius infestis armis Brabantiam invadit, direptionibus & flammis cuncta vastat.

Marchio Spinola postquam Vesaliam, omnesque arces præsidiis firmasset, & Henricum Comitem Bergensem cum volatico exercitu à tergo reliquisset, assumptis quadraginta tormentis, XIII. Cal. Augusti Bergas-ad-Somam obsidione cinxit, cum biduo ante Steenbergam oppidum decem machinis vehementer pulsatum, ad deditionem compulisset.

Spinola Steenbergam & Gockam in potestatem redigit.

Batavi

Bergas-ad-Zomam obsidet. Batavi, qui rerum suarum satagebant, octo peditum centurias & quinque turmas lectissimorum equitum obsessis subsidio miserunt. Missi prætereà in urbem bis mille Angli, cum sedecim tormentis. Illi non diu feriati, crebrò eruperunt & cum hoste dimicarunt, multis utrimque desideratis. Intereà Comes Bergensis V. Cal. Augusti Gocham in Ducatu Juliacensi intercepit, factâ præsidiariis potestate, ut cum armis, sarcinis & explicatis signis oppido exirent.

Exercitus Alberstadiensis & Mansfeldius in Franciam penetrat. Eodem hoc mense Septem-vir Palatinus, ut Regi Angliæ, socero suo obtemperaret, Christiano Duci Brunsuicensi Episcopo Halberstadensi, & Mansfeldio, omnibusque quos penes se habebant militum Ducibus, & Præfectis, Magistris equitum, Centurionibus & universis militibus, qui sub eorum imperio stipendia faciebant, jusjurandum, quo sibi obstricti fuerant, remisit, & potestatem fecit, ut alibi rebus suis consulerent. Exercitu exaucthorato, quem decem legionariorum, & totidem alariorum millia conflabant, Halberstadensis & Mansfeldius ex Alsatia moverunt, & in Episcopatum Metensem armatâ manu ingressi, sæviebant ferro & flammâ, velut hostili solo. Indè transmisso Mosellâ, in Verdunensem agrum progressi, magnum pavorem incolis incusserunt. Dux Nivernius, lecto in Picardia & Campania milite, conatibus illorum se opponit. Aliorsum Consalvus Fernandes Cordubensis, metu in Luxemburgos irruptionis, eos magnis itineribus justo cum exercitu persequitur. Mansfeldius ubi se prædam alterius fore videt, Legatos ad Nivernium mittit, se & exercitum Regi Christianissimo offert, si stipendia numerentur, iturum quocumque Rex indixerit, interim tormenta bellica Duci Bullionio Sedani in depositum tradit.

Dùm Mansfeldius præ se fert, quasi Regi Galliæ militare vellet, ipse & Brunsuicensis operam suam Batavis addixerunt, impedimenta & plaustra omnia corrumpunt, aut cremant, & peditatui equos vectarios distribuunt, quo præcipiti fugâ se proriperent. *Indè Comitatum Namurcensem invadit ceditur q; propè Fleru.* Ubi in Comitatum Namurcensem venerunt, haud procul Fleru substiterunt, ut fesso militi quietem concederent. Cordubensis illos assecutus IV. Cal. Septembris bellicum canens, auspicaturus primordia, tormentis postquam in hostes detonuit, pugnam ferocissimam instituit: ac licet Hispanorum acies initiò inclinare videretur, tamen Isemburgicâ & Embdanâ legionibus fortiter rem gerentibus, instauratur iterum prœlium, & Cordubensi omnes strenui Ducis partes explente, paratur victoria. Multum sanguinis hoc certamine fusum est; omnis hostilis peditatus concisus & equitum circiter duo millia cæsa, Brunsuicensi brachium sinistrum glans plumbea comminuit, quod ipsi post,

post, accedente inflamatione, præfectum fuit. Hostium palantium per agros, sauciorum, ægrotorum magnus ubique numerus erat, ita ut ex viginti millibus, vix sex millia cum suis Ducibus evaserint; qui Bredam se receperunt. Captivos omnes (quorum pluria erant agmina) plerique perdendos censebant, ut raptores, sicarios, incendiarios, & sub proscriptis à Cæsare militantes; sed Serenissimæ Principis Isabellæ pietas eos servavit. In victos enim nihil hostile committi voluit, at omnes incolumes dimitti. Hós enim non solum gratuitò vitâ donavit; verùm egenis, erronibus, extorribus etiam Xenodochia assignavit, ægrotis & sauciis medicos, & omnibus alimenta addixit, suoque fato defunctis sepulturam concessit; Sic hostes ubique ut hospites foti sunt. Animi magnitudinis est adversus hostium vires, non adversus calamitatem contendere. *Pietas Serenissimæ Infantis in victos.*

Sed ut ad obsidionem Bergarum-ad-Zomam revertar, pugnis aliquot velitaribus commissis, cum triduo sine intermissione tormenta utrimque magno fragore displosa fuissent, Spinola summis viribus urbem oppugnare constituit. At cum Mauritius junctis Mansfeldii copiis immineret, morbi in castris sævirent, & seditiosi quidam milites clàm consilia cum hoste communicarent, Spinola sub initium Octobris obsidium solvit. Ne tamen nihil hâc expeditione egisse videretur, transportato inter Rhenum & Mosam exercitu, dum Henricus Comes Bergensis Westphaliæ fines suis copiis tenebat, ipse desinente Septembri, vastissimum in Rheni, propè Bonnam, insula, munimentum, à Batavis non ita pridem exstructum, & in ludibrium Romano-Catholicorum Pfaffmutzium appellatum, ab utraque Rheni ripâ arctè obsidet, machinisque indesinenter quatit, & postremò ad deditionem cogit. Auxit gloriam victoris vis annonæ, pulveris nitrati, tormentorum æneorum, armorum, ibi reperta, omnisque generis apparatus bellici numerus longè maximus. *Spinola Bergarum obsidium solvit.* *Paffenmutz à Spinola expugnata.*

Hæc inter Rex Angliæ XXV. Februarii solennia universi regni comitia edixit, in quibus de connubio Caroli, Principis Walliæ filii sui, cum Maria Infante Hispaniæ gravem & luculentam orationem habuit. Dein Princeps Walliæ Cal. Martiis trium dumtaxat comitatu septus, summo silentio in Galliam trajecit; undè citatis equis in Hispaniam contendit, ut Mariam sibi desponderet. cùm igitur XVI. Cal. Apr. feliciter eò appulisset, primùm apud Legatum Angliæ diversatus est: mox in Cœnobium S. Hieronymi ductus, regiis conclavibus usus est. Postquam Rex & regni Optimates illi ab liberali urbanitate officia præstitissent, faustumque adventum gratulati essent, Rex & Princeps equos inscenderunt, Principe ad dextrum Regis *1623.* *Princeps Wallia in Hispaniam proficiscitur, ut Mariam Infantem Hispania sibi desponsaret.*

latus

latus equitante. Cùm ad templum S. Spiritus pervenissent, rectores civitatis ambos sub umbella, aureo textili superinduta exceperunt, & ad palatium regium deduxerunt. Hinc Rex Principem in Reginæ conclave duxit, cui cum Princeps manum osculatus esset, duo Regis fratres, nempè Ferdinandus Cardinalis & Archiepiscopus Toletanus, & Princeps Carolus eum foris exspectantes, in conclave, quod in regia ipsi præparatum erat, unà cum Rege perduxerunt. Ibi Rex eum regio cultu haberi curavit, Prætoriamque cohortem ministerium apud illum obire jussit; ejusque gratiâ criminis reis vitam condonavit, & eos, qui propter æs alienum carcere attinebantur, quintâ parte persolutâ, libertati restituit. Insuper hæc Regina exquisitissimis muneribus eum prosecuta est, quæ viginti duobus ducatorum millibus æstimata fuere.

Pacta connubialia quæ Rex Angliæ spondet se servaturum.

Præter alia pacta, quinque hæ conditiones propositæ fuerunt, in quibus cardo rei vertebatur.

1. Ut in Catholicorum ædibus in Anglia liberum esset Catholicæ Religionis exercitium.

2. Ut omnes Ministri futuræ conjugis Catholici essent, nec ullâ Sacerdotes ipsius, Ecclesiastico cultu incedentes, contumeliâ afficerentur.

3. Ut illa Sacellum suum in Palatio haberet.

4. Ut templum aulæ vicinum ipsi concederetur.

5. Ut liberi ex hoc matrimonio procreati, successores & hæredes regni Angliæ essent.

His conditionibus ab Archiepiscopo Cantuariensi in summæ Curiæ consessu recitatis, præsentibus duobus Regis Hispaniarum extra ordinem Oratoribus, & Legato Serenissimæ Infantis Isabellæ, Rex jurejurando promisit se eas sanctè servaturum. Tùm alia quædam pacta arcana, de quibus inter solos Hispaniæ & Angliæ Reges convenerat, lecta fuerunt, quæ Rex interpositâ jurisjurandi religione quoque firmavit. Etsi igitur jam spes esset matrimonium illud certum ratumque fore, tamen cum non omninò probarentur illæ conditiones à Summo Pontifice, quod is Catholicæ Religioni per totum Regnum ampliùs consultum vellet; & insuper, propter Comitem Palatinum difficultates quædem subortæ fuissent.

Pacta non omninò probantur à Summo Pontifice.

Princeps Walliæ revertitur in Angliam.

Princeps Walliæ mentione de suo discessu apud Regem & Infantem Mariam factâ, & veniâ petitâ, V. Id. Septembris, ipsomet Rege, & multis Summatibus ipsum ad portum usque Asturiæ comitantibus, in Angliam vela fecit.

1624. Mense Februario, cum omnes fluvii concretis glacie aquis consisterent,

rent, Henricus Comes Bergensis coacto octodecim bellatorum millium exercitu, eoque juxtà Embricam in campestria educto, simulavit se rectà Frisiam petere. Sed converso celeriter itinere, cum arcem Bronckhorstiam obiter expugnasset, XIV. Cal. Mart. haud procul Doesburgo Isalam amnem transmisit. Trajecto fluvio, milites, cæsis ex vicino nemore arboribus, eas pro vallo, ac munimento hostium repentinæ irruptioni objecerunt. Ipse Bergensis ad tertium ab Arnhemio milliare substitit. Intereà cum Hispani milites, aliquot pagos atque villas partim exussissent, partim diripuissent, magno terrore omnem illam oram compleverunt. Videbatur potissimum in periculo versari Arnhemium, huic ut præsidio esset, profectus Marquetus cum Batavorum peditum globo, in oppidum receptus, omnia ordine ad defensionem constituit. Hoc nihil moratus Bergensis, assumptâ potissimâ exercitus parte & duobus tormentis bellicis, locum urbi proximum insedit, eamque tormentorum displosione salutavit: nec sibi defuerunt cives & præsidiarii, qui contrariâ displosione aliquot equitum turmas dissiparunt. Videns igitur Bergensis terrorem, quem colonis incusserat, ad cives, ac præsidiarios non pervenisse, statuit, omisso Arnhemio, interiora Regionis invadere: cumque venisset ad Edam oppidulum, cepit consilium reficiendorum in eo militum; qui dum curant corpora, & molestias hyemis abstergunt, venerunt à Mauritio, sub altum noctis silentium, aliquot tubicines cum tympanistis, qui diversis in locis inflantes tubas, & pulsantes tympana, classicum canebant. Hispani rati universas hostium adesse copias, in effusam se fugam dedêre. Igitur transmisso tumultuariè Isalâ amne, Comes Bergensis se cum copiis recepit, multis è suis desideratis, qui frigoris atrocitate obriguerant, contentus in Velaviam arma intulisse, in quam regionem totis XL. annis hostis pedem non fixerat. Circa idem tempus Consalvus Cordubensis frustrà in Frisiam irruptionem tentavit, & munimentum Boertangense juxtà Groeningam sui juris facere. Irritus quoque fuit conatus eorum, qui S. Andreæ munimentum in Rheni insula astu intercipere moliebantur.

Regii varia loca frustrà tentant.

Indixerat Rex Angliæ conventum Ordinum ad III. Cal. Mart. ubi frequentes adfuêre, Rexque perorasset, tùm Buckengamius, qui cum Principe Walliæ in Hispania fuerat, retulit, quid ipse in eo regno deprehendisset. Primò, Regem Hispaniæ nunquam de restituendo Palatinatu seriò cogitasse: deindè Isabellam Archiducem, Anglorum Legatis vanâ spe os sublevisse, habere se jus, atque potestatem conscribendi, atque exauctorandi milites. Eâ spe inductum

Conjugium inter Walliæ Principem & Regalem Hispaniæ Infantem in fumum abit.

Regem Britanniæ, ut Mansfeldium cum copiis è Palatinatu revocaverit, cumque idem de avocando milite Hispano urgeret Bruxellis, responsum fuisse, non esse in Isabellæ manu, abducere indè copias, sed id ab Hispano Rege impetrandum esse. Quamobrem Ordines hoc decretum fecerunt.

1. De conjugio inter Walliæ Principem, & Regalem filiam Hispanicam, verbum ullum deinceps non faciendum.

2. Palatinum Septem-virũ vi & armis in Principatus suos reducendũ.

3. Hispaniarum Regem pro hoste habendum, non solùm quod totum nomen Britannicum gravi contumeliâ affectum fuerit; verùm etiam quod Hispanorum operâ, Filia & Nepotes Regis ditionibus suis fuerint expulsi.

Paulò post Catholicis adempta sunt arma, Jesuitæ verò, Sacerdotes & Clerici omnes proposito edicto proscripti, atque omni regno excedere jussi sunt, civibus, atque incolis, ne quis eos tecto & hospitio excipiat, foveat, aut tueatur, severis constitutis pœnis, & exclusâ omni gratiâ, atque veniâ irrogandis.

Comes Bergensis oppida Clevense, Calcarense, Griedã, Ravensteinium ad deditionem adigit.

Spinola educit exercitum.

Dum hæc in Anglia geruntur, Henricus Bergensis Comes, mense Julio militares copias in aperta camporum eduxit, & nullo armorum oppositu, oppida, Clevense, Calcarense, & Griedam repentè occupavit: Mox Gennepam & Ravensteinium eodem victoriæ cursu ad deditionem compulit. Exindè copias trans Mosam fluvium duxit, & haud procul Graviâ oppido, castra posuit XVII. Cal. Aug. Marchio Spinola cum exercitu mediâ in Campinia consederat, ibique multa fingebat, multa simulabat, Batavosque animo hærentes tenebat. Princeps Mauritius igitur in omnem occasionem intentus, Bredam & vicina oppida, submissis subsidiis, & importato commeatu firmavit. Ipse profectus Hagâ, deportavit navigiis tormenta ænea in Insulam Bommelianam. Ad hæc Mosæ littus, quà urbem Buscoducensem spectat, jacto vallo & fossâ munivit.

Septimo Cal. Aug. præsidiarii Bredâ egressi, pontes omnes circùm urbem dejecerunt, moletrinas everterunt, subductisque sursum cataractis, circumjectum oppido agrum inundarunt. Erant eo tempore in oppido sexies mille, quingenti & nonaginta pedites; equitum verò turmæ quinque, quibus nihil ad sustinendam obsidionem deerat. VI. Cal. Septemb. Spinola Bredam, mediâ nocte, obsidione cinxit, tantâque celeritate vallo clausit, ut exortâ luce, Bredani, non tam ab hoste se circumvallatos, quàm nata quædam mediis in campis propugnacula putarent. Mauritius ad rei famam tentavit, an XIV. navigiis commeatum in urbem importare posset,

Bredam obsidione cingit

sed

ſed irritus fuit conatus; nam tanta fuit Hiſpanorum vigilantia, ut perforatis demerſiſque quibuſdam navibus, cæteræ in eorum poteſtatem venerint. Præterea urbem Spinola tot vallis, tot propugnaculis, tot ſtupendis ſubſtructionibus cinxerat, ut ad eam nullus aditus pateret. Poſtremò Mauritius coäcto XX. millium exercitu, haud longè à Breda adverſis hoſtibus, adverſa caſtra poſuit, ut hoſtilium virium animorumque periculum faceret. Videns autem Spinolam obfirmato in obſidium animo, neque hyemis quidem rigori cedere conſtituiſſe, veritus annonæ in urbe penuriam, varia inivit conſilia, quibus vel caſtra hoſtium inundaret, vel beneficio æſtus marini, commeatum in urbem inveheret. Sed horum nihil ex ſententia ceſſit. Quare motis caſtris, Mauritius Roſendaliam retrogreſſus eſt.

Intereà Batavi, ut Spinolam ab obſidione avocarent, ingenioſiſſimis machinis, & aſtu mirabili arcem Antverpienſem intercipere conati ſunt. Igitur III. Id. Oct. Ryhovius Præfectus Bergæ ad Somam, cum quatuor equitum turmis, & quatuor peditum millibus profectus eſt, trahens ſecum XXX. currus ratibus & pontibus junceis onuſtos, ſcalis inſuper plicatilibus, aliiſque inſtrumentis & machinis pyrobolaribus miro artificio fabrefactis. Ille circuitu facto per pagum Puttam & fanum Jobi Gorini copias duxit, adeò ut Coloni Regios eſſe crederent, qui cibariorum in caſtra ſubvectioni præſidio eſſent: & quò callidiores dolo caperent, Præfecti omnes rubras teſſeras gerebant, & curribus tegmina cum crucibus Burgundicis impoſita erant. Atque ità ſummo ſilentio, obſcuro cælo, tertiâ ferè vigiliâ exactâ, ponè arcem ad portam quæ à ſubſidio nomen habet, venerunt, ubi pontes, trabes, ſcalas & alia inſtrumenta curribus deprompſerunt, moxque duos pontes per foſſam trajecerunt uſque ad pontem penſilem, eoſque duobus ferreis longuriis firmarunt. Indè ulterius progreſſi, pontes & ſcalas ad alterum caſtelli pontem, qui ſurſum tractus erat, admovêrunt, ut eum pyrobolo disjicerent, & aditum ſibi in arcem facerent. Excubitor audito ſtrepitu, quis adeſſet, inclamavit, & ſclopeto diſploſo, claſſicum cecinit. Præſidiarii exciti cubilibus ſtatim arma corripiunt, ſclopetiſque hoſtes ita infeſtant, uti ter relegere cogerentur, relictâ magnâ inſtrumentorum parte. Pro gratiarum actione, Antverpiani epinicia cecinerunt, concrepante vaſtiore ære campano.

Batavi arcem Antverpianam ſtrâtentarût.

Jntereà Mauritius caſtra ſua propè Roſentaliam lato vallo & profundâ foſsâ præmunivit, ac tormenta locis idoneis collocavit, ut quà Sprundelam iter eſt, viam ad Hiſpanorum caſtra occluderet. Eam ob cauſam Hiſpani coäcti ſunt, quidquid Antverpiâ ſubvehebatur,

 magno

magno viarum flexu, primùm Mechliniam & Liram, adverso flumine Scaldi; indè terrestri itinere Westwesêliam, Sundertam, Hoochstratam, Turnhoutum magno præsidio convehere, & secundùm viam multas munitiones ad majorem securitatem excitare.

Per id temporis varia commissa sunt prœlia leviora & pugnæ velitariæ, obsessis creberrimè erumpentibus, in quibus modò hi, modò illi superiores evaserunt.

1625. Postquam Mauritius sæpenumerò, atque variis modis artibusque tentasset urbem obsidione eximere, omnesque conatus illius expectationem frustrati essent, ad extrema auxilia se convertit, & quatuor potentissimorum Regum, Franciæ, Angliæ, Daniæ & Sueciæ opem imploravit. Illi instructissimas in subsidium copias miserunt: alii multi Principes & Civitates quamplurimæ, quicquid virorum, armorum, equorum poterant, subministrarunt. Ad hanc expeditionem quinquies mille currus conducti, & unicuique tres milites, quorum duo sclopetis, unus sarissâ armatus erat, attributi fuerunt, cum valida catena, ut ex curribus munimentum construere possent. Magna etiam vis globorum ignitorum, pulveris nitrati, glandium, tormentorum & instrumentorum bellicorum. Deribitorium Gorcomii & Heusdæ assignatum. His copiis Brunswicensis & Mansfeldius se adjunxerunt. Contrà Spinola, cùm tantam hostium vim non formidaret, relicto ad Bredam Comite Bergensi cum justis copiis & summo imperio, ipse cum reliquo exercitu, quem viginti quatuor millia peditum, & equitum sex millia implebant, hostibus occurrit, qui nec castra aggredi fuerunt ausi, nec armatum expectare, & postero die castra moverunt, & per longam stratam versus Sylvam-Ducis iter instituerunt. Post Mauritii receptum, Spinola tubicinem in urbem misit, & Præfecto literas interceptas exhiberi curavit, quarum argumentum fuisse perhibetur; nullum esse remedium vi & armis urbem obsidione liberandi: eam igitur quoad posset, tueretur: & si quidem diutius hosti resistere nequiret, cum eo conditionibus quàm æquissimis transigeret & urbem dederet. Itaque Nonis Junii cœptum est utrimque de urbis deditione agi, & tres ex urbe missi, tandemque in certas leges conventum fuit. Ita Spinola non tantùm de Breda, sed etiam de Mauritio, quem paulò ante captam urbem indignatio ad mortem adegit; de quatuor Regibus, qui frustrà latis suppetiis, hanc illi gloriam inviderunt; de Brunswicensi & Mansfeldio, qui succurrere non potuerunt, triumphavit. Idibus Junii Sereniss. Infans Isabella in castra, deindè Bredam venit, cui, ut meritò, maximus honos habitus. Illa quamprimum Magistratum mutavit

Mauritius implorat opẽ Regum Franciæ, Angliæ, Daniæ & Sueciæ.

Spinola hostibus in occursum properat.

Deditio Bredæ.

Mauritius ægritudine animi fato raptus.

mutavit, & Catholicos in Senatum allegit: urbi Baronem Balençonium præfecit. In ſignum lætitiæ compitales ignes accenſi, templa expiata, nec non amburbialis ſupplicatio, agendis Deo gratiis, habita, & tormenta in vallum ducta, atque aliquoties diſploſa.

1616. *Mauritio ſuffectus eſt Henricus Fredericus Naſſavius.*

Principe Mauritio, exercitus Fœderatorum Ordinum ſummo cum imperio Præfecto, vitâ functo, Henricus Fredericus Naſſavius ei ſuffectus eſt. Illo Provinciam auſpicante, vetera partium inter Hiſpanos & Batavos ſtudia recruduerunt, & pari alacritate ad arma feſtinatum: ac primùm ab ipſo Principe Henrico expeditio ſumpta. Si quidem ſub finem Julii cum nova belli mole, centum & ſexaginta ſex peditum ſignis, & triginta equitum turmis Arnhemium, atque indè Iſelburgum profectus, munitiones aliquot illic excitari juſſit. Comes verò Erneſtus Caſimirus, caſtrorum Præfectus, cum ſeptuaginta ſignis peditum, & octodecim turmis equitum progreſſus, Oldenſelam arctâ obſidione cinxit. Præſidiarii initio pertinaciter reſtiterunt, & multum negotii Erneſto faceſſiverunt: Sed quia oppidum non admodum munitum, nec commeatu ſatis inſtructum erat, Præfectus cum Comite Erneſto more militari tranſegit.

Oldenſela obſeſſa & dedita.

Captâ Oldenſelâ, Erneſtus eam vallo & propugnaculis nudavit, atque indè Iſelburgum in caſtra ſe recepit. Ipſe verò Princeps Henricus cum quadringentis navibus, prono Vahali devectus, Dordracum venit, ubi circiter ter mille naves in ancoris ſtabant, milite, equis tormentis, commeatu & omni bellico apparatu onuſtæ, quæ omnes ad S. Annæ inſulam convenire juſſæ. Cùm Cæcias flaret, Princeps vela fecit; Poſtquam provecta claſſis, & propè Hulſtam appulſa eſſet, triremem milite inſtructam ad munimentum Kieldrechtam miſit, & illud ſibi dedi petiit, eâ mente, ut valido munitionibus caſtro illic excitato, Waſianam regionem ſibi vectigalem faceret, & Hulſtam arctè premeret. Hæc triremis ab Hiſpanis repetitis tormentorum ictibus ità perterebrata fuit, ut admiſsâ aquâ demergeretur. Eam ſequuta eſt navis bellica, ſed ignitis pilis in eam libratis, cum ignem concepiſſet, parum abfuit, quin omninò conflagraret. Poſtmodum Hiſpani aliquot navigiis potiti ſunt, in quibus omnis generis inſtrumenta bellica, palæ, ligones, cannæ catapultariæ, & quæ ad fodiendum, ac cuniculos agendos neceſſaria erant, vehebantur. Atque ità Batavis in contrarium omnia ceciderunt.

Principis Henrici Naſſavii Conſilia irrita.

Fruſtrà oppugnat Kieldrechtam.

Non fregit eos hic eventus; at ineunte Septembri de tentanda rursùs eadem munitione conſilium cœperunt, eaque fini ingentem claſſem inſtaurarunt & Lilloäm appulerunt, ut mari æſtuante eam adorirentur: quam cùm ſibi dedi poſtulaſſent, vi expugnare aggreſſi ſunt. Præſidiariis

diariis autem ſtrenuè ſe defendentibns, Batavi re infectâ indè recedere, & duo navigia vado illiſa à tergo relinquere coäcti ſunt, quorum unum commeatu, alterum triginta egregiis equis, cum omni choragio onuſta erant.

Foſſa Mariana duci cœpta.

Intereà XI. Cal. Octob. auſpiciis Sereniſſ. Infantis Iſabellæ, Venloäm inter & Rheno-bergam duci cœpta eſt foſſa Mariana, ſpe Rheni aquas in Moſam deducendi: Carolum æmulata illum Magnum, quo, veluti proxenetâ, jungi Danubius debebat & Rhenus. Hujus alvei initium infrà Rheno-bergam ducebatur, cujus exitus propè Venloäm futurus erat, atque ita octo milliaria Belgica complectebatur, XXXV. pedes latus, & V. altus. Hunc Hiſpanorum conatum Batavi ſummis viribus diſturbare moliti ſunt, ideoque caſtra Spinolanis caſtris oppoſuerunt, & in foſſores operaſque impetum ſepiùs fecerunt.

Interim Comes Bergenſis, poſtquam hoſtium caſtra explorare juſſiſſet, aliquid tentandum ratus, ſtrato per paludem ponte, quâ parte Batavi nullum periculum reformidabant, cum aliquot equitum turmis & lectiſſima peditum manu, in ſtationem Comitis Stirumny impreſſionem fecit. Ingens mox ab inſperata hac irruptione trepidatio, quam Bergenſis vi, cædibus & terrore in immenſum auxit. Comes Stirumnus cum trecentis equis in manus venerunt; quatuor militaria ſigna rapta ſunt, multi currus omnimodis ſpoliis pleni ſumma prædæ fuerunt.

Id temporis LX. naves bellicæ, quibus quinquies mille & ducenti milites impoſiti erant, Dunckerckam appulſæ ſunt, quibus naves Dunckerckanæ conjunctæ & in altum provectæ, novem partim Anglicas, partim Hollandicas obvias habuerunt, quarum quædam tormentorum ictibus pertuſæ & compagibus ruptis, mari hauſtæ ſunt, reliquæ in oppugnantium poteſtatem venêre. Poſt hæc in Hybernia portum Seglianum, in quem ſexcentæ naves tutò ſubduci poſſunt & in Anglia munitiſſimum caſtellum Sorlages dictum, occuparunt, præſidioque firmarunt. Mox Antverpiæ & alibi promulgatum eſt edictum regium, quo omnibus navicularii, cujuſcumque gentis ſint, qui naves, aut merces ad ſuæ Majeſtatis rebelles, aut hoſtes pertinentes, caperent, eaſque in aliquem ex ipſius portubus inveherent, poteſtas & commeatus datur, ut eaſdem merces illic liberè divendere, & à captivis redemptionis pretium exigere poſſint, ſalvo jure Fiſci regii, & vigeſimâ ipſi debitâ.

Spinola Sluſam fruſtrà tentat.

Dùm hæc mari gererentur, Spinola Sluſam intercipere molitus eſt. At præſidiarii præmoniti, & ſubmiſſis auxiliis firmati, hoſtem cum damno repulerunt. Tertio

Tertio Non. Ianuarii, Ambrosius Spinola, ille suis palmis illustris Dux, evocatus à Rege in Hispaniam abiit, & per Lutetiam Parisiorum iter faciens, Reginas adit, & aulæ officiis defungitur, ab iisque eximiis honoribus excipitur. Lutetiâ digressus, in castra ad Rupellam venit, cum filio generoque Leganesio, qui Legati extra ordinem Hispanici munus obibat, cui Scombergius per leucam obviam prodit, Rege jubente, quemadmodum etiam ingressum audivit, cum omni benevolentiæ significatione, quæ tantum Regem deceret, Duci tam famoso conveniret. Inter cætera admiscebat Rex, se in ea circumvallatione secutum eam methodum, quâ ille ad subigendam Bredam esset usus. Exindè terrâ mariquе circumduci jubet ad operas spectandas & aggerem. Ad injecta Oceano fræna, cum stupore infit: canali occluso, & sumptu ad continendum exercitum promto, deditionem oppidi extra ullum dubium tandem secuturam. Cumque sciret quo gradu Regiæ benevolentiæ staret Cardinalis Richelius, cujus consilio obsidio processisset, invisere eum, juxta morem aulæ constituit, admirandum institutum pleno ore collaudabat in omnibus. Addebat, sibi nihil molestius unquam accidisse, quàm quod Regem suum rerum gestarum nunquam habuerit testem præsentem. Cardinalis omnia cum fœnore reddebat, ac sermone longius protracto, amicitiam singularem sancire placuit, certo experimento, humanitatis officia, nullo Principum intertrimento, etiam inter hostes constare. 1628. *Spinola in Hispaniam abit.*

Interim Batavi res suas mari promovebant, & instructâ numerosâ classe, totum navigantes orbem, Oceanum sibi vendicare constituerant. Imò Petrus Heinius, Societatis Indicæ architalassus, postquam littora Hispaniæ, & portum Gaditanum diu infestis armis vexasset, mense Maio in Americam vela fecit, deprehensam (cui diu insidiatus fuerat) Peruänam classem, vectigali auro gravem, expugnavit, & aliquot aureorum chiliades in Hollandiam advexit, magnâ Regis Hispaniæ jacturâ, metuque ne seditio legiones incesseret, in Belgio maximè, quibus multa ad eum diem debita stipendia, ad classis hujus appulsum, repræsentari debebant. Major tamen ad privatos Indicæ Societatis affines, quàm in publicum tantæ prædæ portio pervenit. *Petrus Heynius classem Peruanam expugnat.*

Batavi Americano freti metallo, suâ Regem pecuniâ aggressi, munitissimam Brabantiæ urbem Silvam-Ducis, quæ obsessa quater, vim toties inviolata perfregerat, obsidione cinxêre, vallum urbi circumponunt, fossas ducunt, suggestus erigunt, tormentis tonant, diversis locis muros quatiunt, cuniculos complures fodiunt, vim urbi 1629. *Batavi Sylvam-Ducis obsidione cingunt.*

urbi intentant. Nec se oscitanter propugnabant obsessi, boätu tormentorum respondent, crebris & ferocissimis eruptionibus oppugnantes infestant, castra hostium impetunt, operas interpellant, omniaque ad impetum retundendum necessaria comparant. Interim Archiducissa de servanda urbe sollicita, copias celeriter contrahit, simulque ad Imperatorem legat, ab eoque opem & subsidium petit. Henricus Comes Bergensis, regiarum copiarum Prætor, spem amplam fecerat, se hostem à munimentis excussurum, subsidiumque in urbem immissurum. At frustrà jactatio fuit: nam dum ille cunctatur, & moras Bruxellæ ducit, modò hoc, modò illud causatus, Henricus Princeps Nassavius castra tam solidè & accuratè per munimina clauserat, ut nulla pateret semita ad ea perrumpenda. Cum igitur spes ea decolasset in Velaviam irrupit, eodemque tempore Montecuculus ab Imperatore cum exercitu missus, per Cliviam in Geldriam irruit, & expugnato ad Drusianam fossam, vulgò Isalam, propugnaculo, frustrà repugnantibus Batavis, flumen superat, cæsisque septem Hollandorum cohortibus, cum Bergensi copias jungit; mox per Velaviam imperialia signa circumferens, primo impetu Amersfortium deditione occupat. Jamque Amstelodamum usque, & in extremos Hollandiæ fines trepidatio pervaserat, sed amissâ ponè tergum Vesaliâ, divite ad Rhenum urbe, ubi commeatum & tormenta seposuerant, subitò ex hostili solo pedem retrahere coguntur, nullâ re memorabili gestâ. Hanc urbem Embricensis præsidii Præfectus, collectis ex vicinis præsidiis peditum circiter bis mille, intempestâ nocte aggreditur, rorarii quidam fossam tranant, munitionem, incuriâ Præfecti imperfectam, superant, vigiles opprimunt, portam malleis securibusque revellunt, & intromisso milite urbe potiuntur XIX. Augusti. Hispani omnes & Itali trucidati, Germani vitâ donati, Tribuni militares in captivitatem rapti, Losannius qui urbi præerat Arnhemium deductus, posteà libertati restitutus, socordiam Antverpiæ capite luit. Præda opima parta fuit, quinquies centena florenorum millia & LXX. tormenta bellica in urbe capta.

Comes Bergensis & Montecuculus ut Batavos ab obsidione abstraherent, in Velaviam irrumpunt.

Vesalia à Batavis intercepta.

Præfectus socordiam capite luit.

Hoc læto successu animi Batavis creverunt, Sylvæ-Ducensium conciderunt: & postquam nulla aut defendendi facultas, ob defectum pulveris sulphurati, aut spes liberationis superesset, Baro Grobbendoncius urbi Præpositus, æquis conditionibus deditionem pactus, explicatis vexillis, tubis ac tympanis sonantibus, militari pompâ cum præsidiariis & quinque majoribus tormentis urbe excessit. Sic Sylvæ-Duci, ad id temporis virgini, vis illata.

Sylva-Ducis Batavis deditionem facit.

1630. In Belgio hoc anno Hispanos ac Batavos inter nihil memorabile actum,

planè quasi trans Oceanum, atque alterum in orbem omnis belli meditatio enavigasset. Nam Hollandica classis Fernambucum, præcipuum Brasiliæ portum ex inopinato agressa, post brevem oppugnationem, vi cepit, & mox novis operibus communire instituit. 1631

Batavi Henrici Principis Nassovii ductu, comparatâ classe LXX. navium, in Flandriam irrumpunt, Brugas circumsessuri. Sed adventu Joannis Comitis Nassovii inde rejecti, aliam rei benè gerendæ occasionem habuêre, dissipatâ classe 50. regiarum navium, quæ prono Scaldi Antverpiâ Bergas-ad-Zomam solvens, propè hostium stationem vado impulsa, hæsit. Tria classiariorum millia capta. Ioannes Nassovius & Balançonius cum paucis lembum nacti, beneficio noctis incolumes evaserunt. Magnâ cladis hujus invidiâ in Marchionem Sanctacrucium redundante, qui tum militiæ Belgicæ præerat. Haud multò post pax inter Hispaniæ & Angliæ Reges his legibus convenit: „Ut „commercia utrimque essent libera, & portuum usus tam Hispanis „in Anglia, quàm Anglis in Hispania pateret: Tū, ne quid quod ad Hol-„landos pertineret, Rex suis navibus in Hispaniâ deportari permitteret

Classis Belgica dissipata magna cum clade.

Pax inter Hispanum & Anglum.

Initio Veris Henricus Princeps Nassovius lustrato ad Neomagum exercitu, quem explebant peditum CCLIII. vexilla, ac LVIII. equitum alæ, Arsenum oppidulum Mosæ fluvio appositum, ab Hispanis desertum, occupat, munitiones restituit, præsidioque firmat. Indè Venlonam versus movet, missoque æneatore oppidum sibi dedi postulat. Magistratus impetrato commeatu, ut cum Comite Bergensi ea de re conferre posset, idoneos homines ad eum destinat. Interim Princeps Nassavius vallum promovet, & tribus machinis muros pulsat, cumque jam fossæ incumberet, aquasque deduceret, oppidani tertio die, ab quo oppugnari oppidum ceperat, jugum admiserunt. Indè prono victoriæ cursu Stralam sibi vendicavit, & Nonis Iunii Ruremondam adortus, cum pavor oppidanos occupasset, postridie spontaneâ deditione suæ potestatis fecit. 1632.

Venlona Bataviis dedita.

In hoc rerum articulo defectio Henrici Comitis Bergensis vires & res Hispanicas graviter afflixit. Is in transversum actus, sive odio in Hispanam gentem, sive à Batavis luculentioribus conditionibus illectus, ad Eburones secesserat. Ejus secessus vehementer conturbavit Sereniss. Archiducissam, multamque anxietatem creavit, ne cum proceribus quibusdam adversus Regem & Patriam infesto fœdere se devinxisset. Quapropter tertio Id. Iunii nuntium ad eum cum literis allegat, monetque ut ad se promptissimè veniat: intelligeret propensissimum suum animum in illius emolumentum, eandemque benevolentiam consistere integram, nec ullam accepisse mutationem,

Defectis Henrici Comitis Bergensis.

tanto igitur celeriùs rediret. Et quamvis Archiducissa eximiam ipsi contestaretur benevolentiam, ut ejus animum deliniret, impetrare tamen haud potuit, ut ille ad aulam inque viam rediret. Hæc omnia susque deque habebat, ambitione suggerente perfidiam. Quamquam autem honores & beneficia inter mortales censeantur potentissimi vectes ad permovendas voluntates, ambitio tamen quæ animum turbulentum occupaverat, omnem reminiscentiam officii & beneficiorum, quibus Rex Hispaniæ, & ipsamet Archiducissa eum tam prolixè cumulaverant, obliteravit. Igitur XIV. Cal. Julii scribit ad Sereniss. Archiducissam de causis, quas visum erat temeritati sui excessûs prætexere: „Geldriam, cui Provinciæ ipse cum summo „imperio præerat, Hispanorum astu, præsidiis nudatum, adeòque „prædæ & direptionibus expositam, nullâ habitâ ratione operæ castrensis, quam per annos quadragintaRegi navo animo impendisset. „Querebatur perversam gubernandi rationem, quam vel indè ulteriùs tolerare non posset, quod summam Reipub. & orthodoxæ Catholicæ Religionis traheret perniciem: nullo loco haberetur Nobilitatis ordo, Hispanis omne imperium & dominatum sibi impotenter arrogantibus, obtritâ Nobilitate plebeque; per eosdem stetisse, „quo minus armistitium nuper pactum fuisset; eosdem hostiliter sibi „insultasse, dum insigne suum Bruxellæ, secundùm Portam lapideam „pensile, glande plumbeâ trajecerunt. Non dubitare se, Celsitudinem suam optare publicæ rei statum rectiùs ordinatum videre, ad „quam rem nihil posset afferri accommodatius, quàm si posthabitis „rejectisque Hispanis, Ordines patriæ sub imperio S. C. publicam „rem procurarent. Ad hæc trahebat in offensam intimorum Regis „Consiliariorum conventus, Juntas vocant, addebat postremò se „exercitui regio summo cum imperio jam biennio præfuisse, id munus deinceps administraturum pro bono publico, tutela privilegiorum patriæ atque orthodoxæ Catholicæ Religionis, daturumque „operam cum vitæ ac facultatum dispendio, ut Respublica salva sit „& incolumis, pristinoque decori restituatur. Frivolis istis & ridiculis rationibus crepabat Bergensis ad velandam suam perfidiam.

Scribit ad Archiducissam additq; rationes ad velandam suam perfidiam.

Ejusdem ferè argumenti literas exaravit ad Sacrorum Antistites, Nobiles & Civitates primarias Belgii. At illi in primo vestibulo notabant artificium pharmacopæis solitum, qui pyxides specioso salutaris medicamenti nomine insigniunt, intùs periculum occultant. Apparebat statim legentibus esse seditiosas, in eum finem concinnatas, ut authoritas regia imminueretur, populi concitarentur, & bellorum civilium incendium Belgium corriperet.

Deindè

Promulgat ſcriptum apologeticum.

Deindè eò proterviæ proceſſit, ut non erubuerit ſcriptum apologeticum typis promulgare, quo omnes ordinum militarium ductores, militeſque cujuſcumque gentis, unis dumtaxat exceptis Hiſpanis, invitabat, ut ſibi ſtipendia facerent, quæ ditia & opima pollicebatur. Quæ omnia ſatis arguebant longiſſimè meditatum conſilium.

Senatus Mechliniensis Bergenſi diem dicit, ut præſentem ſe ſiſtat, & contumacem reum læſæ Majeſtatis peragit.

Archiduciſſa, ut turbas naſcentes in ſemine reprimeret, Provinciarum Rectores, eorumque Legatos, nec non Senatum oppidorum principalium occupavit, quo eos in officio contineret. Ad hæc Summus Mechliniensis Senatus, Bergenſem proſcriptâ edictâque die, præſentem ſiſtendum vadatur, non obeuntem vadimonium, reum læſæ Majeſtatis peragit, & perturbatorem tranquillitatis publicæ, lapſum omnibus gradibus, dignitatibus honoribusque pronuntiat, facultatibus omnibus Fiſco addictis. Excelſo natus ſit ingenio, qui favorem eximium concoquit. Quemadmodum enim alimentorum copia ſtomachum onerat, calore naturali ſuffocato; ita nimia benevolentia plurimis mortalium adimit mentem, ut nimio favore ebrii, uſum prudentiæ amittant, ita Bergenſis, inviſum caput, à fortuna ovans, ad ſummum gloriæ gradum perductus, in profunda miſeriarum ſemet præcipitavit, ad favorem, tanquam rupem exitioſam colliſus, ac poſtmodum ad Batavos refugus, rerum omnium indigens, ac deſpicabilis & inglorius animam evomuit.

Ruremundâ captâ, Henricus Princeps Naſſavius, ad obſidionem Trajecti animum adjecit. Hoc oppidum ad Moſam, ultra citraque flumen ſparſum eſt; cis flumen Trajectum appellatur: ultra flumen Wica: Igitur IV. Id. Junii eò ducit, & luſtrato diligenter urbis ſitu, continuò exercitum in ſtationes diſpeſcit. Ipſe cum Gallis, Valonibus, Anglis & Scotis propè collem, qui Doeſbergh vocatur caſtra metatur. Chiliarchus Pinſen cum legionariis Friſicis collem Lichtenbergh inſidet. Brederodio aſſignata fuit ea regio urbis, quæ portam Sylvæ-Ducenſem reſpicit. Comiti Stirumnio trans flumen Wica attributa eſt. Caſtris eum in modum conſtitutis, poſterâ die aggere, vallo, munitionibuſque circumſepiri cœpta ſunt. Nec ſegnius in urbe omnia adminiſtrabantur, infirma loca muniebantur, extimum foſſæ labrum loricâ inſtruebatur, munitioneſque in ima foſſa ſubſtruebantur, ex quibus hoſtes porrectâ in latus ejaculatione, ſummovere poterant. Ante omnia ſupra portam Bruxellenſem plutei expediuntur, è quibus hoſti maximopere incommodabant, quò minus eâ parte ad muros ſuccedere poſſit. Virorum quoque æmulatione fœminæ, nullo ordinis, aut conditionis diſcrimine, in

1632.

Obſidium Trajecti ad Moſam.

in centurias distributæ, vexilla cum emblematis gestantes, statis horis ad pulsum tympani conveniebant cum sportis, ligonibus, marris, reliquisque terræ fodiendæ instrumentis, humumque ubi opus erat summâ alacritate comportabant. Urbem tuebatur Marchio Leedius, vir natalibus & bello clarus, cum triginta peditum vexillis, & una equitum turma. Hic nullum generosi & strenui Præfecti munus prætermisit, opera frequenter invisere, suâ præsentiâ, suâ oratione suorum animos accendere, in summis difficultatibus summum animi robur ostendere, omniaque quæ confirmandis animis, levandis laboribus, solandisque præsentibus malis conferre intelligebat. Decimo octavo Cal. Julii Princeps Nassavius tormenta in urbem tonare jussit, at fulminationes ruinam ferè nullam incutiebant: ex adverso oppidani glandibus glandes, globos globis, tonitrua tonitruis vindicabant, obsidentesque continuo fatigabant assultu, operas interpellabant disturbabantque. Mox illam urbis partem, quæ portæ Bruxellensi adjacet, in quam rerum periti conjectabant, primos impetus hostem facturum iri, aggere intus substructo firmarunt, fossâque profundâ & latâ circumdederuut, undè ruinâ editâ, hostem irruentem propellere possent. Id temporis literæ Archiducissæ ad Marchionem perlatæ sunt, quibus supplicationes publicas imperabat, ut opem Deus exercituum rogatus ferret; cumque simul hortabatur, ut urbem fidei suæ & virtuti concreditam, strenué tueri pergeret, pro egregiè navata opera à munificentissimo Rege titulos & honores, à posteritate decus æternum & nunquam interituram gloriam consecuturum. Deindè spe auxiliorum brevi affuturorum sustentabat.

Cujus rei nuntius cùm ad Principem Nassavium pervenisset, ut auxiliarium adventum anteverteret, obsidionem acrius urgere cœpit, omnem impetum in Bruxellensem portam vertit, tormentis continuò tonat, globos ignivomos, aliaque Vulcani machinamenta in urbem ejaculatur, ut sæpius immineret incendium, nisi summâ curâ oppidani effectum prævenissent. Nec verò sibi deerant obsessi, illi contraria tormentorum displosione magnam ignitarum pilarum vim, igniariasque missiles glandes in hostium castra vibrabant, crebroque ex urbe infestis armis erumpebant, iniquiore plerumque obsidentium sorte.

Archiducissa copias cogit ad solvendam obsidionem quibus Marchionem Sanctacrucium præficit.

Inter hæc Archiducissa delectibus habitis, copias haud contemnendas coëgerat. His omnibus Marchionem Sanctacrucium præfecerat. Itaque propius urbem castra movit, & è regione arcis Harem consedit, in omnem occasionem intentus, ut suppetias obsessis ferret.

ferret. Jamque viginti quatuor majoribus tormentis decuſſatâ verberatione fulminantibus, trecenti delecti pedites alacri animo in adverſam Moſæ ripam trajecerant, aditum in urbem tentaturi. Galli, qui fortè eo die vigilias agebant, ubi eos audaciùs provectos conſpexêre, nihil morati tormentorum fulmina, pleno paſſu in eos deferuntur; editur pugna atrox & cruenta, rabie in utraſque partes diffusâ, ut illi non minùs acriter propugnarent, quàm vehementer iſti irruerent. Sed aucti ſubſidiis Galli, Hiſpani ab hoſtium undique urgentium multitudine preſſi, & ab omni propè latere circumventi, poſt cruentam ſtragem ferè omnes deleti ſunt. Nec incruenta omninò victoria Gallis fuit, nam ex iis complures clari nominis, ſpontaneam militiam profeſſi, dum ſtolidâ alacritate gloriam egregio facinore quærunt, impotentis animi veſanum ſtudium, ſuâ cæde expiarunt. Hâc clade multatus Sanctacrucius, conſtituit hoſtium caſtra commeatu prohibere, ſed & hic conatus fruſtrà fuit. Propterea nil ulteriùs tentandum ratus, munitis caſtris deinceps ſeſe tenuit, inutili æquè ac ignobili otio tempus terens.

Comes Papenheimius venit è Germania ſoluturus obſidionem.

Intereà Henricus Gothefridus Comes Papenheimius magnis itineribus obſidionem ſoluturus, è viſceribus Germaniæ movit, florentes equitum turmas, & plurium ſtipendiorum legiones ſecum trahens. In itinere cùm Tremoniam expugnaſſet, aliaque oppida imperialia ſub ſuam poteſtatem ſubjeciſſet, tum tranſmiſſo Rheno, Moſam verſus ducit, Sittartum occupat, fluvium ponte ſubjugat, & utriuſque ripæ potens, hìnc & indè excitatis propugnaculis firmat. Conſilium erat ſimiliter ſupera Moſæ ſibi vendicare, omnemque advectionem annonæ & commeatus à Leödio hoſtibus intercludere, ſed ſagacitas Principis Naſſavii ejus conſilia præoccupaverat. Tandem Papenheimius, ut adoleſcenti de ſe famæ incrementum daret, ad Wicam juxtà ſtationem Comitis Stirumnii caſtra metatur, ſpeculatuſque Batavorum caſtrorum poſitum, nihil turbatus firmitate munitionum, quas caſtris ſuis circumpoſuerant, ſolus adoriri obſidentes ſuſtinuit, convocatiſque ſuorum ducibus ac præfectis, hujuſmodi orationem habuit: „ Viri, inquit, fortes, qui multas, incomparabileſque victorias mecum Cæſari, invictâ virtute veſtrâ peperiſtis, „ paucis omninò verbis cohortandi videmini, ut priſtinum, ſpectatumque ſemper bellicum vigorem ad animum revocetis. Ferro vos „ intra munitiſſimas urbes viam vobis mihique aperuiſtis: ferro æquis „ in campis deprehenſum hoſtem, non ſemel profligaſtis, ubique victores, ubique hoſtium potiti; ſpectatæ virtuti veſtræ non mœnia „ obſtitêre, non rupes, quin ipſi quocumque tentaſtis, vi, ferroque

Oratio Papenheimii ad ſuos commilitones.

irrupiſtis

„irrupistis. Agite igitur fortissimi commilitones, irruite quò soliti „estis robore, quibusque vincere consuêstis animis, liberate obsidio- „ne hanc urbem, vobis gloriam & decus æternum comparabitis. Ego „Dux, ego miles ubique periculorum socius adero, eandemque vo- „biscum subibo fortunam. Hæc fatus, VII. Id. Augusti nullo penso periculorum, quibus suum caput objiciebat, dum globi hostiles circumvolarent, aut ante pedes impingerent, impetum facit, tam prosperò successu, ut actis retrò Batavis, vallum superaret. Multi existimarunt Batavos eâ obsidione excuti tùm potuisse, si idem animus Sanctacrucio fuisset. Sed ille (nefas) suos intrà castra quietos continens, ne quidem eò induci potuit, ut tympanis caneret ad incessum, aut subitarium saltem assultum simularet. Satis illi fuit assidendo spectare urbis indeclinabilem casum. Quo deprehenso, Princeps Nassavius, qui jam ad convalandum dederat tesseram, nihil sibi ab Hispanis metuens, cum potiore exercitûs parte, Mosam transmisit, ut laborantibus opem ferret. Papenheimius ut ardorem militum vidit, non cunctandum ratus, signa canere, tormenta in adversos dirigi, & cuncta pro necessitate periculi, quæ usu & disciplinâ militari didicerat, administrari jubet. Ita novum priori acrius de integro prælium ortum, varium, anceps modò his, & modò illis prosperum & exitiabile. Sed dum æquatâ prælii fortunâ res geritur, Batavi conversi in hostem bipartitò signa intulerunt. Ita Papenheimiani quùm ab fronte, ab latere cæderentur, neque labore & vulneribus fessi, per acervos corporum, atque armorum perrumpere possent circumventi in orbem pugnare coguntur. Tum verò Papenheimius cùm antesignanorum promptissimos cadere vidisset, receptum canere jussit. At nihil ejus primi certaminis omine permotus, ut detrimentum acceptum majore commodo, atque victoriâ resarciret, de meridie hostem rursus adoiri constituit, & si unquam aliàs magno ardore impetum facit. Contrà Batavi totis viribus impetum proruentium excipiunt, & pugnam instaurant: Ita incredibili militum studio, continuato per quinque horas prælio, Papenheimius compluribus suorum amissis, inter quos fuêre Lindlock, exercitûs Legatus, aliique strenuissimi Duces, indignabundus, eâdem celeritate quâ venerat, in ulteriorem Germaniam abscessit. Ceciderunt eâ die ex Papenheimianis circiter duo millia hominum, aut discerpta tormentis, aut ferro cæsa. Batavorum levior jactura fuit. Papenheimius interim graviter irascebatur Sanctacrucio, quod ejus desidiâ tot fortissimi viri periissent; ex adverso tamen non deerant, qui privatis sermonibus dicerent, illum sapientissimè fecisse, quod in ea rerum despe-

Strenuè ac feliciter pugnat, nullam Sanctacrucio ferente opem.

Redintegrat Papenheimius pugnam.

Recedit in Germaniam multis è suis desideratis.

desperatione tot hostibus conjuratis hinc & indè prementibus, atque aliis haud sincerâ fide eventum belli spectantibus, exercitum incolumem servasset, & saluti totius Provinciæ maturè atque opportunè consuluisset. Hoc unum Papenheimio in malis indulsit fortuna, quod suâ etiam clade hostibus opinionem de se virtutis & fortitudinis extorserit: ultro confitentibus neutiquam virtute se pares futuros fuisse si in æquo campo, non vallo fuisset dimicatum.

Post discessum Papenheimii, Princeps Nassavius jam periculo vacuus, urbem quàm acerrimè oppugnare cœpit. Certabatur quotidie ad muros, conatique sunt Batavi sæpius transcendere munitiones, sed ea res semper multis illatis acceptisque vulneribus, improsperè tentata. Demùm Princeps sinuosos cuniculos subter ima fundamenta, occulto fossorum labore, excavari jussit, plurimoque sulphureo pulvere repleri. Quibus operibus perfectis, & igne cuniculis indito, horribili fragore procurrens obliquè, propugnaculum disjectum est, eodemque impetu murus revulsus in fossam procubuit. Tùm Anglos & Scotos murum subire jussit. pugnatum est magnâ utrimque contentione, recentibus atque integris fessis & convulneratis per vices in pugna succedentibus. Verùm præsidiarii, tot bellorum usu periti, sicuti æquitate loci superiores erant, ità subeuntium impetum, multis illatis vulneribus, egregiè retundebant. Ipsæ etiam fæminæ viris immistæ, missilia mala sulphure & resinâ repleta, in subeuntes supernè jaculabantnr. Quo malo perterriti, per ruinas præcipites acti, trecentis suorum amissis, & pluribus igne ambustis, ac consauciatis, se receperunt. Sed ab ea parte, quam Galli oppugnandam acceperant, cum fossâ jam potiti essent, & ad suffodiendum murum se accingerent, Oppidani de sua salute anxii, Marchionem Leedeum circumstant, quo in statu res sint ostendunt, ac supplicibus verbis rogant, ne supremos oppugnationis impetus, exspectare velit, ne dum serò oppidum præsidiis ac mœnibus infirmum, tueri adversus tanti exercitus vim contendit, Batavorum animos ad sui excidium irritaret. Quorum ille precibus victus, advocatis Centurionibus & civium primariis in hanc sententiam prolocutus est: „ De deditione cum hostibus agendum esse se judicare, „ ne si pertinaciùs resistere vellet, attritis ad extremum viribus, ini- „ quiore conditione facere cogeretur, Non esse sibi, neque præsidia- „ riis indecorum, si in summa rerum necessitate, & vitæ & rebus suis „ prospiciant, ac optimè de se meritæ urbis saluti consulere velint. „ Condtiones quas longè æquissimas hostis proponeret, non esse te- „ meré rejiciendas, quùm ad eas mox afflictis ad extremum rebus sit recur-

„recurrendum. Itaque per tubicinem colloquii facultatem poscit; datur, mittitur ad Principem Centuriæ Præfectus Barvoets, paciscitur æquissimis ac honestissimis conditionibus: „Ut præsidiariis „rebus omnibus salvis, sub vexillis ad tympanorum sonitum more „militari abeundi potestas esset: marchioni Leedio exeunti, præsi„dii causa sex tormenta cum apparatu bellico concederentur, reli„quum omnem tormentorum apparatum,totamque commeatus co„piam in urbe relinqueret. His confectis rebus, & hoc convenit, ut „Religionis Catholicæ, Apostolicæ Romanæ liberum exercitium per„mitteretur, & usus templorum non interdiceretur. Iis qui Reli„gionem, quam reformatam appellitant, profitentur, duo templa „attribuerentur. Clerus, Religiosæ familiæ,& Xenodochia bonis „& reditibus suis uterentur, fruerentur. Jura, libertates, & im„munitates confirmarentur, &c. Acta hæc XI. Cal. Septembris. Et ita Trajectum-ad-Mosam post toleratam bimestrem & amplius obsidionem,desperatis subsidiis, Batavicum jugum admisit. Desiderati sunt ex obsessis mille & ducenti, ex Batavis verò ceciderunt supra sex hominum millia. Hinc evidens est nullum unquam munimentum tanto robore & fervore fuisse tentatum, nullum unquam fortiùs fuisse defensum.

Leges deditionis.

Dux Aurelianensis venit in Belgium.

Hoc eodem anno Dux Aurelianensis, Ludovici XIII. Francorum Regis frater, Reginæ matris partes adversus Cardinalem Richelium palàm professus, constituerat limites regni exire & in Belgium secedere. Sic igitur Nanceio digressus, abit Remiremontium. Dehinc Vesontionem; hinc per agrum Lucemburgicum Bruxellas versus iter instituit. Cùm Sereniss. Infanti Gubernatrici renuntiaretur Aurelianensem non longè à Bruxellis abesse, jubet omnem ipsi debitum honorem expedii,radeò ut cum summo cultu exciperetur. Marchio Mirabellæ eum nomine Regis Hispaniarum suscipit. Marchio Sanctæ-crucis cum omnibus Ministris & Nobilibus obviam ultra leucam excurrit,agmini adjungens turbam cataphractorum ex equestri ordine,solido ferro tectorum: Universæ oppidi tribus armatæ egregieque adornatæ, longâ serie vias & plateas cingebant, adeò, ut eosdem susciperet honores, quibus Regina mater anno 1631. in urbem excepta fuerat. Ingressus Bruxellas descendit ad palatium Infantis, ad quam invisebat antè matrem Reginam, exceptus eâ benignitate,civilitate, & lubentiâ,quæ pietatis propensionisque particularis ergà regium sanguinem præberet testimonium.

Ipsa in limine primæ aulæ ad excipiendum hospitem præstolabatur, ut ibidem primos sermones intelligeret. Post officiosas urbanitatis

nitatis usurpationes, deducit Aurelianensem in alteram aulam, ubi equites Aurei Velleris & proceres conversabantur, qui postquam salutatoriæ venerationis cultum intranti adhibuissent; tum Infans & Aurelianensis sedes occupant: illa sinistram, hic dextram. Colloquio per semihoram extracto, Aurelianensis rogat permissionem dissuaviandi fæminas ad festivitatem chorearum ornatas. Hâc civilitate defunctus, abit ad Reginam matrem, quæ tenerrimo affectu magnisque lætitiæ signis eum recepit. Commoratus est in aula à vicesimo octavo Januarii, usque ad decimum septimum Maii, sumptu & lautitiâ penitùs regiâ acceptus, adhibitis ad fallendum tædium, quibusvis liberalibus oblectamentis. Antequam autem discederet, publicè fuit auditus, utque Infantis Gubernatricis gratiam auferret, ea deducendum curat in hospitium ab omnibus aulæ proceribus, submittens tres capsas, quæ magnificentiam abundè testarentur. Prima tecta erat corio succinum optimum redolente, acu insuper picta phrygionum operâ, cujus clavis, sera & insignia ex auro diversi colore & gerebat geminam vestem opulentissimam. Altera operta erat serico villoso, optimi muricis & attalici laboris, & gerebat lintea variorum usuum, ad summam elegantiam. Tertia ferebat quævis genera eduliorum ex sacchara & opere dulciario. Addebat fistulas ignivomas & duos equos eximios. Nec tamen obliviscebatur principaliores ex comitatu demereri, & adamantibus torquibusque aureis, quibus Regis Hispaniarum imago pendula, pretium & gratiam augebat. Sic splendidè donatus Aurelianensis ab aula recessit.

Capto Trajecto-ad-Mosam, dùm deorsum cuncta feruntur, & aliundè Carondeleti, postquam opes natalium & fortunæ dissipassent, in Gallorum partes transivissent, eorumque præsidium in oppidum Bouchain, quod Hannoniæ partem facit, recepissent: Sereniss. Infans, cui ægrè faciebat, Provinciam bellis horrendis rapi & conculcari, accommodatis ad temporis necessitatem consiliis, operam dabat, si quâ ratione gliscens belli incendium restingui posset. Propterea per conciliatores & proxenetas, curat Batavorum animos tentari: eorum enim non minùs intererat pacem coire, aut vim armorum, ad tempus inhiberi, cum successus belli non semper pari stent talo, adeò ut nihil difficilius sit quam diuturnam servare expeditionem, in qua fortuna multum sibi vendicat. Ex istis causis lecti sunt utrimque viri spectatissimi, qui tanto operi laudatam applicarent industriam. Verùm, cum magni interesset Galliæ, inducias Hispanis inter & Batavos impediri, ea Provincia traditur Charnassæo. Ille Hagam-Comitis profectus, postquam salutem solennem à Rege

1633.

Carondeleti fratres ad Gallorum partes transeunt.

Sereniss. Infans tentat Batavorum animos, ut belli incendium restingui possit.

Principi Auriaco, Ordinumque Directoribus, ac Delegatis dixisset, proponebat, considerarent vehemens illud desiderium quo Hispani persequerentur inducias, suspectum esse, trahereque rationem alicujus compendii: Quæri ab Hispanis inducias, propter rerum suarum perturbationem summasque angustias, postquam per Indias, per Germaniam, per Belgium, perque Italiam undiquaque oppugnarentur, neque copias, neque pecunias pro necessitate rerum sufficere, & damnum avertere possent: Proindè sibi visum esse magni momenti, nihil quietis, nihil interspirationis hosti dari, ad casum vergenti: undè facilè judicarent, quanto cum dispendio transigerent cum Hispano admodum debilitato, qui nullam inveniat rationem restituendarum rerum suarum, nisi ex induciis, quarum dies cum cesserit, semper redeundum esse ad principium, nullo alio operæ pretio, nisi compendio, quod Hispanorum impotentia offerret, neglecto. Denique, nihil celabat ipsos, si inducias paciscerentur, apud Fœderatos planissimè fidem perdere, non solùm, quod de illorum instituto essent contemtim judicaturi, ob consilia tam dispendiosa; sed etiam quod per eam rerum tempestatem inceptarent, quæ in maximum suum vergerent præjudicium. Hæc ferè summa est rationum, quæ à Charnassæo per diversas occasiones & colloquia cum Ministris Reipublicæ Hollandicæ instituta, prolatæ, quibus tàm vehementer detonabat, ut Auriacum & Delegatos Ordinum in suam sententiam traduceret, ut deinceps de induciis cogitare desinerent. Hæc ubi confectum habuit, hortatur ex mandatorum serie, ut maturè exercitum educerent, Regem id curaturum, ut Succus duodecim bellatorum millia suppeditaret, quæ duce Me'andro ante mensem Augustum præstò fuêre, adeò ut Auriacus his suppetiis fretus, Rhynbergam obsidione cingeret, & mox ad deditionem compelleret.

Charnassæus missus à Rege Galliæ omnem transactionem Batavis dissuadet.

Batavi Rhynbergam ad deditionem compellunt.

Sub finem hujus anni vivere desiit Sereniss. Isabella Clara Eugenia, Hispaniarum Infans Belgii Gubernatrix, anno ætatis octavo & sexagesimo. Genita est in Sigobiensi Hispaniæ nemore, anno Christiano supra millesimum quingentesimum sexagesimo sexto, pridie Id. Augusti Philippo II Hispaniarum Rege, & Isabel'â Valesiâ, Henrici II Galliarum Regis & Catharinæ Medicææ filiâ, tertiâ Philippi uxore. His tam præcellentibus stemmatis, sua quoque pulchritudinis dona natura adjecit. Liberali enim formâ, totiusque & corporis & membrorum elegantiâ mirificè enituit, ut sicut nomine, ita & veritate rei Isabella, id est pulchra diceretur. Quæ insignes & generis & naturæ dotes meruêre, ut Sereniss. Alberto, Archiduci Austriæ, matrimonii nexu jungi digna haberetur, quo excelsiorem illu-

Isabella Claræ Eugeniæ virtutes & Encomium.

illustrioremque maritum, non solùm sperare, sed ne optare quidem potuit: maritum, inquam, qui & pace & bello, nulli clarissimorum priscâ ætate Principum concesserit. In pace quippè, Provincias Belgii & Burgundiæ, quas Isabella in dotem attulerat, admirabili suâ prudentiâ, Justitiâ incorruptâ, vigiliis indefessis ita Gubernavit, ut nec ulli labori parceret, & nec somno, quieti, aut ulli voluptati indulgeret, dum in publicum prodesset. Bello verò tantâ gessit se animi acrimoniâ, tantâ rerum militarium experientiâ, tam invicto robore, ut quoties manu conferendum fuit, hostes ipsos in fensissimos profligârit, ingentes fuderit exercitus, atque ita plurimis palmis incomparabilem famam, & gloriam immortalem sit consecutus. Hujus tanti Principis tam præclarum connubium, quamvis Isabellam felicissimam redderet, divina tamen illa Heroïna, hoc illustri culmine non contenta, suis etiam se fecit virtutibus spectabilem: in Deum enim, in Sanctos, in Christianam Religionem impensissimè ferebatur, nullo unquam die rem divinam omittebat, ad sacram synaxin ita frequenter accedebat, ut eâ solâ vitam suam sustentare videretur. Divos omnes, sed potissimum Deiparam Virginem singulari prorsus affectu colebat, ad cujus templa, Hallense & Aspricollense quotanis peregrinationes suscipiebat, munera ingentis pretii, sacrasque vestes (quas plerumque suis ipsa manibus conficiebat) offerebat. Plures eâ imperante religiosæ domus, pluraque Divis erecta sunt delubra, quàm annis ante ducentis, cum ejus ex Austriaca Burgundicaque stirpe majores, his Provinciis imperarent. Et ne omnia persequar, templum D. Virginis Aspricollense feliciter absolvit; hypogæum ibidem continuato & arcuato ad stuporem opere, à sacri palatii infimo clivo, in templi adyta regio planè sumptu perduxit. Castitatis & continentiæ, omnisque matronalis verecundiæ tam tenax erat custos, ut verbum impudicum coram ea ne nutu quidem significari, nedum proloqui fas esset, adeò, ut quæ cum ea convenissent nobiles Matronæ & puellæ, non tam in regali gynæceo, quàm in schola pudicitiæ versari dicerentur. Atavis licet Imperatoribus & Regibus edita, quantâ modestiâ contempsit ea, quæ mentem illorum inflant! simulatque Serenissᵒ Archiduce marito spoliata fuit, omnibus se gemmis, monilibus, armillis, aliisque regiis ornamentis spoliavit, comam deposuit, sacrum velamen assumpsit, purpuram abjecit, in parthenium S. Francisci sodalitium se adoptandam dedit, nuncupatoque voto adstrinxit, vulgari quoque deinceps supellectili usa, parietes nudos aulæis, paucæ Divorum effigies longè melius, quàm Phrygionum artificium decorabant, & humillimum stratum principali thalamo prætulit.

Una hæc Princeps, Phœnicis instar, rara inter Monarchas omnes meritò habebatur, quippè singularis ejus modestia in gestu, comitas in verbis, temperantia in moribus, justitia quæ divitem & pauperem æquâ pensitabat lance, effusæ denique in egenos largitiones, omnium illi benevolentiam conciliabant: Has tamen dotes clementi quadam gravitate ita temperabat, ut & mansuetudinem colerent, & Majestatem in ea venerarentur. Populos sibi creditos, non solùm ut Princeps, gubernavit sed tanquam mater amavit: ingruentibus enim bellorum procellis, quamvis ut plurimùm peragendis publicis negotiis defessa, per noctis silentium Sacrarium ingrediebatur, ibique preces, suspiria lachrymas ad Deum pro eorum tranquillitate & salute fundebat, & noctes sæpissimè solidas inter preces insomnes ducebat. Constantia verò tanta in hâc Heroïna fuit, ut tam prosperæ blandimenta fortunæ, quàm adversæ asperitates, nunquam inflexa, eodem semper vultu exceperit. De prudentia ejus quid porrò dicere necesse est, cum ipsius Pontificis Urbani VIII. calculo prudentissima habita fuerit: Bellis gravissimè quatiebatur Italia, fremebant armis omnia, scribit ex urbe Pontifex ad augustam Principem de sopiendis Italiæ tumultibus, illa omnem adhibet operam, cuncta tam gravia, tam acerba, velut salubre quoddam sidus confecit, & dispulit. Liberalitatem ejus atque munificentiam, splendidæ largitiones sumptusque regii cumulatè ostenderunt, & ut alios innumeros prætercam, Christianissima Galliæ Regina Maria Medicæa, Gasto Borbonius, Aurelianensium Dux unicusque Francorum Regis Ludovici XIII. frater, regia Lotharingiæ Princeps Margareta, Borbonio dignissima thalamo, testes locupletissimi erunt, quos postquam summo amore honoreque in urbem regiam aulamque suam, tanquam in asylum receperat, ultrò etiam præsidia vitæ liberali manu adjecit. Hoc profectò erat Isabellam esse; hoc erat Isabellam illam Ferdinandi conjugem, Hispaniarum Reginam, quam hæc sanguine, ut abaviam, & nomine refert, æmulari. Illa sacrorum cultum mirificè zelabat, & in eo assidua erat: Sacerdotes honorabat, templa exornabat, magnisque muneribus cumulabat. Sic casta fuit, ut de ea ne rumor mentiretur; mimos, scænicos, ludiones exosa, eorum vice viros & matronas graves apud se habebat, nobilesque pueros utriusque sexûs, qui studiis optimisque artibus erudiebantur, ejusque aula, nil nisi palæstra virtutis & honoris erat. Rex Ferdinandus & ejus Consiliarii, gnari quanta ejus peritia, & in censendis sententiis felicitas esset, ejus consilia, ut oracula amplectabantur. Bello Granatensi pluries interfuit, idque cum marito præsens confecit. Ejus consiliis junctum

Hispa-

Hispaniæ Navarræ Regnum: Insulæ Canariæ subditæ; novus Orbis, tot ante sæculis occulta naturæ pars, per illam retectus & subjectus est. Isabella Clara Eugenia proneptis Isabellæ Reginæ, ut huic pietate, beneficentiâ & benevolentiâ est compar, ita etiam prudentiâ rerumque omnium peritiâ; Rex Philippus pater, natam ad omnia alta magnasque res, ipsus in istis exercuit; Illius in arduis rebus vigilantiam, in consiliis judicium, in sententiis felicitatem, in omnibus rebus gestis, actibus, factis æquitatem Belgica miratur & stupet. Altera bellis interfuit, ista in bellis suâ authoritate & gratiâ seditiosos militum motus repressit ex suis sedibus excivit, ut militarent & cum hoste confligerent, fecit. Ab ejus aula omnes pariter virtutes traxerunt, Dei metum, Sanctorum cultum, castitatem modestiam, frugalitatem, omnemque probitatem. Est enim facilius, ut ait Cassiodorus 3. Var. ep. 12. errare naturam, quàm dissimilem sui, Princeps possit Rempublicam formare. Sed ô diram fatorum seriem, ô immitem mortalium sortem: Venit tandem & illuxit fatalis illa dies, quâ tantam Principem cœlum invidit. Vix redierat VI. Cal. Decembris è Lakensi Deiparæ Virginis delubro, cum eam morbus invasit, quo paulatim ingravescente, in animæ suæ salutem tota incubuit, ac post expiatam exomologesi conscientiam, Sacramentis Catholico ritu munita, ubi calendis Decembris hoc mortale corpore exuta, ad immortalem vitam abiit, nunc ipsius acta vita æternitate, atque immortalitate sempiternâ cumulatur. Quicquid rerum sacrarum in Oratorio suo possidebat, Sacello Sanctissimæ Eucharistiæ, in Basilica S. Gudilæ Sacrato, ultimi decreti tabulis consignavit.



AD

ILlustriores Ducum Brabantiæ res gestas oculis tuis subjeci, tùm ad gloriæ stimulos & incitamenta virtutum, tùm ut alios in hanc arenam provocarem, qui subsequentium Belgii Rectorum illustria & memoranda facta, continenti serie condant. Non quod volui explevi, at quod potui. An voti compos factus sim, cordatiorum esto judicium. Fruere interim tu æquus & favens, hoc qualicumque conatu, ad tui fructum & jucunditatem: ac si lubet, ipsum pro tua benignitate à malevolorum convitiis propugnato. Quod si accidisse sensero, reliqua quæ molior, propediem expectato

——modo stamina nobis
Longa trahat Lachesis. Vale.

RERUM BRABANTICARUM

Index copiosissimus.

A



Attre-

C.

Chri-

Comi-

D

Fre-

G.

rece-

K.

L.

N

P.

Que[...]

Q

R.

Seuen-

T.

Turbæ

Henri-

Z.

FINIS.



